
יהוה
INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER FVNDATA MDCCCVII
Ps. CXIX
169
JOH XVII
17.



COLLECTIO

SELECTA

SS. *ECCLESIÆ* PATRUM.

PATRES APOSTOLICI.

I.

PARISIIS, E TYPIS DECOURCHANT,
VIA VULGO DICTA D'ERFURTH, N° 1.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. CAILLAU,

MISSIONUM GALLICARUM PRESBYTERO,

ET NONNULLIS CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE,
PRÆDICATORE REGIO, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:
BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

TOMUS PRIMUS.

BRUXELLIS,

APUD MÉQUIGNON-HAVARD, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DE LA CHANCELLERIE.

M. DCCC. XXIX.


יהוה
INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER. FVNDATA MDCCCVII.
Ps CXIX
169
JOH XVII
17.
ὁ λογος
ὁ σος
αληθεια
εστι
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ.

COLLECTIO

SELECTA

SS. *ECCLESIÆ* PATRUM.

PATRES APOSTOLICI.

I.

suit; S. Irenæus, qui *Millenariorum* errori patrocinatus est; S. Cyprianus, qui credidit iterandum esse baptismum ab hæreticis collatum: sic in Patrum agmine honorificum etiam nunc tenent locum Origenes et Tertullianus, quorum prior *in quibusdam*, ut videtur, posterior, ut certum est, in tam multis erravit; sic et ipse doctorum quodam modo doctor *Augustinus*, scriptis Retractationum libris, sese in pluribus emendare coactus est. Unde sic Vincentius Lirinensis : « Quidquid, quamvis » ille sanctus et doctus, quamvis episcopus, quamvis confessor » et martyr præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id » inter proprias, et occultas, et privatas opiniunculas a com» munis, publicæ et generalis sententiæ auctoritate secretum » sit. » Sed ut ejusdem verbis utar, « Quidquid *e contra* vel » omnes, vel plures uno eodemque sensu manifeste, frequen» ter, perseveranter, veluti quodam consentiente sibi magis» trorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, » id pro indubitato, certo, ratoque habeatur. » Quapropter *cum Deus*, docente Apostolo, *dederit quosdam quidem apostolos..... alios autem pastores et doctores ad consummationem Sanctorum, in ædificationem corporis Christi, ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ* (Ephes. IV, 11, 14), « Beatorum Patrum sanctum catholicumque consensum, ne » quis sibi temere contemnendum arbitretur.... Quos in Ec» clesia Dei divinitus per tempora et loca dispensatos, quisquis » in sensu catholici dogmatis unum aliquid in Christo sentien» tes contempserit, non hominem contemnit, sed Deum. » (*Vinc. Lir. Commonit.* I.) Unde in concilio apud Ephesum celebrato *hoc catholicissimum, fidelissimum, atque optimum visum est, ut in medium sanctorum Patrum sententiæ proferrentur* : unde in Chalcedonensi adversus Eutycheten exclamatum est : *Hæc est fides Patrum, omnes ita credimus* : unde hoc habet Constantinopolitanum III, adversus Monothelitas, act. XII. « Omnino » necesse est non solum secundum sensum sequi sanctos Pa» tres, sed iisdem uti vocibus cum illis.... Nos ergo sanctorum » Patrum dogmata tanquam legem sanctæ Dei Ecclesiæ susci» pimus. » Unde cum eodem Vincentio Lirinensi definiendum

est, « necesse profecto esse omnibus deinceps catholicis qui » sese Ecclesiæ matris legitimos filios probare student, ut re- » jectis profanis profanorum novitatibus, sanctæ sanctorum » Patrum fidei inhæreant, adglutinentur, immoriantur. »

Quod autem ad eloquentiam attinet, fatendum est illos, *cum non venerint in sublimitate sermonis, nec in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis annuntiantes testimonium Christi* (1 Corinth. II, 1, 4), sive latino sermone, sive græco dixerint, non tam puram nitidamque orationem adhibere, quantam Tullius ille vel Demosthenes. Sed, præterquam quod minus æquum videretur inter se conferre auctores tam diversæ ætatis, quorum alii in splendore, alii vero in occasu temporum linguarumque versabantur, notandum est magnum esse discrimen inter elocutionem et eloquentiam; elocutio verba verborumque dispositionem, eloquentia res rerumque ordinem maxime spectat. Si quis ergo, agresti licet oratione utens, animum tamen lumine percellere, commotisque mentis quodammodo præcordiis lacrymas et gemitus elicere valuerit; jam ille non forsan bene loquens evasisse, sed eloquens dicendus est. Quæ si vera sint, nonne eloquens erat noster ille Paulus, cum, *etsi imperitus sermone* (2 Corinth. XI, 6), nunc tremefactum alloqueretur proconsulem, nunc in ipsa philosophorum oratorumque matre Græcia ignotum Atheniensibus Deum apud ipsos Areopagitas prædicaret, nunc fratribus valefaciendo tot tantosque fletus, flens et ipse, excitaret, nunc præsertim, quod multo magis mirandum est, ita rudibus verbis omnium animos alliceret, ut *plures*, juxta Bossuetii effatum, *semi-barbarus ille Ecclesias Christo erexerit, quam divus Plato sibi unquam devinxit discipulos?* (Paneg. S. Paul.) Nonne eloquens erat Syriacus Ephraem, cum hinc extremos orbis dies, horrendamque supremi Judicis majestatem, irrevocabilis sententiæ terrores proferentis; illinc stuporem, gemitus, lacrymas planctusque peccatorum, procul a cœli deliciis, quos vanis precibus repetebant, in profundos ignis sulphurisque lacus cadentium, ita ob oculos populi audientis poneret, ut omnes et tremerent, et flerent, et exclamarent? Nonne eloquens erat apud Græcos Joannes Chrysostomus

in præclara illa Flaviani ad Theodosium oratione, qua sanctus pontifex, *spirantem adhuc minarum et cædis* (Act. Apost. IX, 1) principem ad misericordiam tam fortiter simul suaviterque inflectit? Nonne tandem eloquens erat qui primum apud Latinos ingenii locum adeptus est Augustinus, cum convivia illa et saltationes quæ tumulos martyrum dehonestabant, iterum iterumque aggressus, primum plausus, quos contemneret, deinde lacrymas, quibus speraret, tandem plenam, qua gauderet, victoriam obtinere meruit? Elegantiora forte Tullius vel Demosthenes, sed nescio an efficaciora dixissent.

Nonne igitur timendum est ne severum nos maneat judicium, si *particula boni doni* vecordes animos *præterierit*. (Eccli. XIV, 14.)

Cum autem ingenti laborum parvoque sacerdotum numero sæpius fiat, ut vix aliquod Patrum lectioni tempus impendi possit; cum etiam aliunde non sine magno librorum apparatu pecuniæque impensis universa Veterum collectio possit acquiri; cum insuper in immensa illa collectione, plura reperiantur quæ profundam quidem indicant doctrinam, sed ab uno fere vel ab altero, data occasione, quasi per transennam interrogentur; cum denique inter Doctorum opera, quædam sæpius occurrant quæ non satis prosint legentibus animosque minus delectent; non inutile visum est omnes Sanctorum celeberrimos tractatus, posthabitis dissertationibus et notis quæ libros ipsos aliquando volumine superant, magna cum diligentia seligere, præloque subjectos in publicum emittere, ita ut vel studiosus lector, vel dissertaturus orator, vel magnum aliquod opus animo pervolvens scriptor, præclarissima christianæ antiquitatis monumenta uno intuitu complecti valeat. Hoc igitur ordine totum opus dirigetur:

1° Quidem breviter exponendum erit, quidquid in SS. Patrum vita præcipuum videbitur, superadditis aliorum recentiorum circa singulos encomiis, adjunctoque insuper codice, quo varia uniuscujusque opera, variæ editiones, versiones variæ oculis legentium subjiciantur. Nec enim Ecclesiæ alumnos deceret, si dum omnia forte omnium profanorum et nomina et

opera recensere queant, turpi circa propugnatores religionis ignorantia laborantes, nesciant prorsus quo tempore quave regione vixerint; qui syriace, vel græce, vel latine scripserint; qui per sermones, qui per dissertationes, qui per epistolas, vel fidem excitare, vel mores corrigere curaverint.

2° Præcipui sanctorum Doctorum Libri integre lingua latina excudentur, juxta probatissimas versiones editionesque maxime commendandas.

3° Pauca admodum opera, quæ non infima laude claruerunt, sed propter mutationem temporum plura nunc minus utilia continent, diligenti subjicientur analysi, ita tamen, ut propria auctoris verba, nullis quæ prodesse valeant omissis, semper et ubique rescribantur: quorum inter numerum referentur, Epistola S. Barnabæ, S. Irenæi libri contra hæreses, S. Clementis Alexandrini Stromata, etc.

4° Si quæ difficilia vel minus catholicæ veritati consentanea offendant, hæc notis brevioribus et illis quidem non a nostra penuria, sed a ditiore celeberrimorum interpretum copia assumptis, elucidari curabimus.

Hinc tibi, amice lector, quasi uno intuitu perspicere dabitur venerandam Doctorum illorum turbam, quos ita jure canendo extollebat poeta Santolinus Victorinus:

« Patrum canitiem, tot venerabiles
» Rugas objiciunt, unde nitet fides;
» Quæ sunt prisca docent, quæ nova subruunt,
» Servant depositum Dei. »

Et iterum ipsos allocutus:

« Per vos Relligio totaque Veritas,
» Per vos virgineis fulget honoribus:
» Per vos Christus amat pandere divites
» Thesauros sapientiæ.

» Vestris unda fluit pura canalibus,
» Christi floret ager, munda nitet seges;
» Lac aptum pueris, et solidum viris
» Cauti sufficitis cibum. »

Quod si religionem veritatemque tueri, si virgineos fidei honores propugnare, si sacras ex apertis christianæ sapientiæ the-

sauris haurire divitias, si nitidam puris e canalibus doctrinæ undam, qua Christi floreat ager mundaque niteat seges, effundere voluerimus, lac quod aptum pueris, et cibum quem viris solidum cauti sufficiunt, inhianti ore suscipiamus, unde et ipsi Patrum canitiem, venerabilesque rugas objicientes, quæ sunt prisca docere, quæ nova subruere, quæ a Deo commendata, deposito fideles, servare valeamus.

Quo ut certius procedatur, sublatis in altum oculis, dirigatur animus ad deprecandum illum solum veri luminis Auctorem, qui *dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam*, ejusdemque poetæ verba sensusque iterum usurpantes, hæc sæpius coram Domino cordis desideria profundamus :

« Quæ dixere tuis consona sensibus,
» Nostris illa, Deus, cordibus imprimas :
» Quos terris colimus, quos sequimur duces,
» Fac nos moribus assequi. »

Sic oratione simul et labore, in doctrinæ cito eloquentiæque viam promoti, vel debellatis Ecclesiæ adversariis, vel conversis ad meliora peccantibus, victoriæ carmen ovantes ingeminare poterimus :

« Vicerunt stygias hi quibus hæreses,
» Hæc nos accipimus tela superstites :
» His pugnamus adhuc, nec dubio exitu,
» His armis quoque vincimus. »

B. C.

SANCTUS BARNABAS,

APOSTOLUS.

GRÆCUS.

(INTER AN. CHRISTI 70 ET 80.)

PRIMUS in ordine temporum, et multo etiam magis in debitæ venerationis ordine occurrit S. Barnabas, qui a vetustioribus Ecclesiæ Patribus, et ab ipso Luca (Act. XIV, 13) venerando Apostoli nomine decoratur, sive quod fuerit modo quodam *singulari a Sancto Spiritu vocatus, sive quod non parum cum cæteris Apostolis ad constituendum Christi regnum contulerit.*

Levites origine (IV, 36), in insula Cypro natus est, ubi agrum parentes habuere. Josephi nomine, quo prius appellabatur, ab Apostolis mutato, dictus est Barnabas, quod est secundum Lucam *consolationis filius*, ideo quod, teste Chrysostomo, consolationem afflictis ingerendi dono polleret mirabili. Addi etiam potest cum B. Hieronymo, Barnabam interpretari posse *filium prophetæ*, quo dignior nemo, cum prophetica præsertim laude inclaruisse prædicetur.

Docent Græci illum ab infantia Hierosolymam missum, celeberrimum cum Paulo Gamalielem audivisse, interque primos et præcipuos septuaginta discipulorum emicuisse; unde pro certo habendum est tantam fuisse ejus felicitatem, ut ab ipso Salvatoris ore verba vitæ æternæ perceperit.

Cum autem esset « multitudinis credentium cor » unum et anima una, » cum, « quotquot possessores » agrorum aut domorum erant, vendentes afferrent » pretia eorum quæ vendebant, et ponerent ante » pedes Apostolorum (IV, 32, 34) : quem habebat » agrum vendidit Barnabas, et attulit pretium, et po- » suit ante pedes Apostolorum. » (*Ibid.* 37.) Deinde cum mutatus Hierosolymam venisset Paulus, et ab eo timentes declinarent fideles, Barnabas « appre- » hensum duxit ad Apostolos, et narravit illis quo- » modo in via vidisset Dominum, et quia locutus est » ei » (IX, 27) : quo tanti viri testimonio securiores facti, illum inter fratres receperunt.

Post aliquot annos, comperto quod « quidam ex » iis qui dispersi fuerant a tribulatione facta sub Ste- » phano, loquerentur et ad Græcos Antiochiæ Domi- » num Jesum, miserunt Apostoli Barnabam usque » ad Antiochiam, qui cum pervenisset, et vidisset gra- » tiam Dei, gavisus est. Hic *omnes* frequens hortari » in proposito cordis permanere in Domino, quia » erat vir bonus et plenus Spiritu sancto et fide. » (XI, 19 et seq.)

Sed cum solis tantis laboribus sufficere non pos- set, « inventum Paulum perduxit Antiochiam, et » annum totum conversati in Ecclesia docuerunt » turbam multam, ita ut primum cognominarentur » Antiochiæ discipuli Christiani. » (*Ib.* 26.)

Urgente vero quam Propheta prædixerat Agabus fame, « discipuli, prout quisque habebat, proposue- » runt singuli in ministerium mittere habitantibus in » Judæa fratribus, quod et fecerunt mittentes senio- » res per manus Barnabæ et Pauli. » (*Ibid.* 29 et 30.) Florebant autem in « Ecclesia quæ erat Antiochiæ » prophetæ et doctores plurimi » præter Paulum et

Barnabam : quibus « ministrantibus Domino et jeju- » nantibus dixit Spiritus sanctus : Segregate mihi Pau- » lum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. » Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis ma- » nus, dimiserunt illos. » (XIII, 1, 2 et 3.)

Qui assumpto Joanne Marco, Sancti Barnabæ sororis filio, Seleuciam primum, deinde Cyprum, postea Salaminam peragrantes, Paphum denique pervenerunt, ubi « proconsul Sergius Paulus, » castigato Elyma Mago, « credidit admirans super doctrina Do- » mini. » (*Ibid.* v. 12.) Unde Pergen Pamphiliæ civitatem prætercurrentes, ubi fatigatus recessit Joannes Marcus, Antiochiam Pisidiæ deveniunt. Cum autem « repleti zelo Judæi contradicerent his quæ » dicebantur, blasphemantes, tunc constanter Pau- » lus et Barnabas dixerunt : *Vobis oportebat pri- » mum loqui regnum Dei, sed quoniam repellitis » illud et indignos vos judicatis æternæ vitæ,* ecce » convertimur ad Gentes. » (*Ibid.* 45 et 46.) Jam autem « disseminabatur verbum Domini, et audientes » Gentes gavisæ sunt et glorificabant verbum Do- » mini ; Judæi autem excitaverunt persecutionem in » Paulum et Barnabam, et ejecerunt eos de finibus » suis. » (*Ibid.* 50.) Illi igitur, « excusso pulvere pe- » dum, venerunt Iconium, ubi fiducialiter agebant » in Domino, » cum « facto Judæorum et Gentilium » impetu, ut contumeliis afficerent et lapidarent » eos, aufugerunt ad civitates Lycaoniæ ; et ibi evan- » gelizantes erant. » (XIV, 5 et 6).

Stupefacti, visis miraculis, pagani, illos tanquam Deos suspicientes, « volebant sacrificare, vocabant- » que Paulum Mercurium, Barnabam vero Jovem » propter venerabilem, ut Chrysostomo videtur, vultus et corporis aspectum. « Barnabas autem et Paulus

» exilierunt in turbas clamantes et dicentes : Viri, » quid facitis? et nos mortales sumus, similes vobis » homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti » ad Deum vivum, qui fecit cœlum et terram. » (xiv, 11, 12, 13 et 14.) Mox autem mutatæ mentes; concitatæ a Judæis debacchantur Gentes; obrutoque lapidibus Paulo, vix uterque salva anima evadunt. Nec ideo ab Evangelii prædicatione desistunt; sed cum Derbe populum docuissent, « reversi » sunt *per easdem civitates* confirmantes animas dis» cipulorum et exhortantes ut permanerent in fide, » Antiochiamque Syriæ urbem repetierunt, « unde » fuerant traditi gratiæ Dei. » (*Ibid.* 20, 21 et 25.)

Hic celebris exorta quæstio de legis Mosaicæ ritibus, quorum necessitatem « descendentes quidam » de Judæa docebant. » Sed « facta seditione non mi» nima Paulo et Barnabæ adversus illos, statutum » est ut *ipsi* ad Apostolos ascenderent. » (xv, 1 et 2.) Qui, « cum venissent Hierosolymam, tacuit omnis » multitudo audiens illos narrantes quanta Deus fe» cisset signa et prodigia in gentibus per eos. » (*Ibid.* 12.) Deinde, congregato Apostoli Hierosolymis generali concilio, confirmata Pauli et Barnabæ doctrina, remiserunt eos Antiochiam, « scribentes per » manus eorum, ne inquietarentur gentes, » (*Ibid.* 19 et 23) laudantesque eos tanquam fideles Dei ministros, « qui tradiderunt animas suas pro nomine » Domini nostri Jesu Christi. » (*Ibid.* 26.)

Cum rursus aliquandiu « demorati fuissent Antio» chiæ, docentes et evangelizantes cum aliis pluri» bus verbum Domini, » proposuit Barnabæ Paulus, « ut revertentes iterum visitarent fratres quibus ver» bum Domini prædicaverant. » (*Ibid.* 35, 36.) Suborta vero Barnabam inter et Paulum contentione,

propter Joannem Marcum, quem ille quidem volebat, nolebat autem hic secum ducere, Barnabas, « assumpto Marco, navigavit Cyprum; Paulus autem, electo » Sila, perambulabat Syriam. » (xv, 39 et 41.)

Hic narrationis apostolicæ finis: de sequentibus non satis constat. Si Theodoreto fides, ad S. Paulum reversus Barnabas, Corinthum una cum Tito missus est. Romam invisisse narrat Dorothæus et Recognitionum auctor. Hunc patronum habet civitas Mediolanensis, quæ, traditioni insistens, fidem ab illo accepisse gloriatur; unde a S. Carolo Borromæo urbis Apostolus prædicatus est.

Tantis demum exantlatis laboribus, Cypro, in ipsa civitate, martyrio vitam, provecta jam senectute, consummavit. Viventem adhuc *Barnabam* commemorat Paulus anno *56* (*1 Corinth.* IX, *6*); S. autem *Chrysostomus nondum mortuum* fuisse supponit *anno 63*, unde probabilius concludendum videtur illum inter annum 70 vel 80 diem extremum obiisse.

Græcam habemus Epistolam, S. Barnabæ nomine insignitam. Apostolo tribuunt Clemens Alexandrinus, Origenes et alii. Sed ab Hieronymo et Eusebio inter apocrypha deputatur, nec unquam ab Ecclesia in canonem divinorum scriptorum fuit admissa [1]. Cunctis autem fatentibus, scripta fuit viventibus Apostolis [2]; quod patet etiam ex stylo quemdam temporum apostolicorum odorem referente. Auctor,

[1] Eadem controversia dividit recentiores; authenticam affirmant Hamond, Vossius, Cotelier, Du Pin, Cave, Nic. Le Nourry, Lardner; negant Hug. Menardus, Nat. Alexander, Tillemont et D. Ceillier. Utitur hic argumento quo rejicit S. Augustinus opera falso SS. Andreæ et Joanni supposita ab hæreticis : « Si essent, recepisset Ecclesia. » Nimirum, non fuit ab Apostolis scriptum quidquam, quod non Ecclesia habuerit divinitus inspiratum.

[2] Scilicet paulo post eversam a Tito Hierosolymam, an. 70.

divinorum oraculorum imo et eruditionis hebraicæ non imparibus videtur. Errorem judaicum de observandis legis mosaicæ ritibus, confutandum aggreditur.

Cum desint in exemplari græco quinque fere prima capita, nec aliud supersit nisi vetustissima versio latina, quæ ubique incuriam et barbariem prodit, analysi totam subjiciemus, et interdum fragmenta, majori attentione digna, producemus.

Catholica dicitur Epistola S. Barnabæ, quemadmodum S. Jacobi, quia non ad unam certam gentem mittitur, sed ad omnes ubique Judæos recens ad fidem conversos. Nullus titulus in fronte, sed ex prærupto incipit salutandis fidelibus : « Avete filii et » filiæ, in nomine Domini nostri Jesu Christi qui nos » dilexit in pace. » Duas in partes dividitur, quarum prior agit de abrogato usu legis mosaicæ, posterior utilia saluti monita quasi per consectarium proponit.

Postquam, expansis charitatis visceribus, gratiam Spiritus sancti ipsis a Deo infusam fidelibus gratulatus est, nullam esse amplius ritibus judaicis virtutem S. Barnabas variis argumentis demonstrat.

1° Quidem ex prophetis : « Dominus adaperuit » enim nobis per omnes prophetas, quia non uti» tur nostris hostiis, neque victimis, neque oblatio» nibus, hæc dicens : [1] *Quo mihi multitudinem sacri» ficiorum vestrorum, dicit Dominus? Plenus sum » holocaustomatibus arietum, et pinguaminibus agno» rum; et sanguinem hircorum et taurorum nolo : » nec si veniatis videri mihi. Quis enim exquisi» vit hæc de manibus vestris? calcare aulam meam*

[1] Monendum est ab auctore fere semper poni sensum, non verba.

» *non adjicietis. Si attuleritis mihi similaginem, vanum; supplicamentum*[1] *exsecratio mihi est. Neomenias vestras, et sabbata, et diem magnum non sustineo : jejunium, et ferias, et dies festos vestros odit anima mea.* (Is. I, 11.) Hæc ergo vacua fecit, ut nova lex Domini nostri Jesu Christi, quæ sine jugo necessitatis est, humanam habeat oblationem. » Quod interpretatur per illud Ps. L, 19 : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despiciet. »

2° Ex jejuniorum judaicorum abolitione : « Dicit ergo iterum de his ad illos : *Ut quid mihi jejunatis, ut hodie audiatur vox vestra in clamore? Non tale jejunium elegi, dicit Dominus, ut quis humiliet animam suam sine causa. Neque si curvaveris quasi circulum collum tuum, et saccum te circumdederis, et cinerem straveris : nec sic celebrabis jejunium acceptum.* (Is. LVIII, 4.) Ad nos autem sic dicit : *Cum jejunaveris, solve omnem nodum injustitiæ, et omnem consignationem iniquam dele; resolve suffocationes impotentium commerciorum, dimitte quassatos in remissionem, et omnem cautionem malignam dissipa. Frange esurienti panem tuum, et egenos sine tecto induc in domum tuam; cum videris nudum, vesti, et domesticos seminis tui non despicies. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, et vestimenta tua*[2] *cito orientur : et præibit ante te justitia, et claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis, et Deus exaudiet te.* » (Ibid. 6.) Unde ita prosequitur : « In hoc ergo, fratres, providens est et misericors Deus, quia in simplici-

[1] Ex interpretibus, supplicamentum ponitur pro *thymiama*.
[2] Ob vocabulorum græcorum similitudinem legendum videtur *sanitates tuæ*.

» tate crediturus esset populus, quem comparavit » dilecto suo, atque ante ostendit omnibus nobis, » ut non incurramus tamquam proselyti ad illorum » legem. »

3° Ut solvat objectionem dicentium « quia testamen» tum illorum et nostrum est, » ostendit, fœdere divino per idololatriam soluto, legem dilectionis Christianis reservatam esse. Hoc sensu explicat figurative factam a Moyse tabularum fractionem : « Et projecit » Moyses tabulas lapideas de manibus suis, et confrac» tum est testamentum eorum, ut dilectio Jesu con» signetur in præcordiis vestris in spem fidei illius. »

4° Veteris testamenti occasum ex adventu et passione Christi demonstrat, dicens : « Nisi enim venis» set in carne, quo modo servati fuissemus nos ho» mines, videntes eum? quandoquidem ii qui solem » hunc, aliquando desiturum, opus manuum ejus, » aspiciunt, non valent radios illius obtueri. Fi» lius itaque Dei ideo in carne venit, ut summam » imponeret peccatis eorum, qui ad mortem perse» cuti sunt prophetas illius. Igitur ob hoc passus » est. » Quæ quidem passio a prophetis prænuntiata, ut Judæis occisoribus noxia, ita Christianis fidelibus salutaris. « Ubi ergo, ait, nos renovavit » per remissionem peccatorum, effecit ut aliam for» mam haberemus, animam nempe puerili similem; » ipse enim reformavit nos...... Itaque nos sumus, » quos introduxit in terram bonam, scilicet lacte et » melle manantem; » et consequenter nos a servitute legis veteris liberavit.

In decursu sermonis Apostolus ipse dicere non veretur Apostolos « homines omni peccato ini» quiores, » vel, juxta antiquam versionem, « super » omne peccatum peccatores : » nam Christus non

venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam : ubi usurpatur hyperbolica locutio, nec ad litteram accipienda.

5° Ex annihilatione circumcisionis : « Circumcisio » enim, in qua confidebant, irrita facta est. Præcepit » enim circumcisionem, non carnis : illi autem trans- » gressi sunt, quia malus Angelus decepit illos. Ait » ad eos : *Hæc dicit Dominus Deus vester : Hic inve- » niam novam legem; nolite serere super spinas.* » *Circumcidimini Domino vestro.* (Jer. IV, 3, 4.) Et » quid dicit? *Circumcidite duritiam cordis vestri;* » *et cervicem vestram ne induretis.* (Jer. VII, 26.) » Atque iterum : *Ecce, dicit Dominus : Omnes gentes* » *incircumcisæ sunt, ac præputium habent; iste vero* » *populus corde est incircumcisus.* (Jer. IX, 25 et 26.) » At inquies : Et vero ille populus in signum cir- » cumciditur. Verum et circumciduntur Syri omnes [1] » ac Arabes, ac omnes sacerdotes idolorum [2]. Hinc ergo » pertinent quoque ad Domini testamentum? Sed et » Ægyptii circumcisionem usurpant. Discite igitur, » filii, de omnibus abunde. Abrahamus, qui primus » dedit circumcisionem, in spiritu prospiciens in fi- » lium, circumcidit, accepto trium litterarum docu- » mento : narrat enim Scriptura, quod Abrahamus » viros e domo sua decem et octo et trecentos cir- » cumcidit. Quæ ergo illi in hoc data est cognitio? » Discite : primo, *decem et octo;* dein, *trecentos.* De- » cem autem et octo exprimuntur per ι, decem, η, » octo ; habes initium nominis Ιησους : quia vero crux » in signa litteræ T, *quæ designat numerum CCC,* » habitura erat gratiam, ideo ait, *et trecentos.* Osten- » dit itaque Jesum in duabus litteris, et crucem in » tertia. »

6° Ex fine prohibitionis nonnullorum ciborum,

[1] et [2] Generalior est hæc auctoris affirmatio.

quæ a Deo non tantum ideo facta est ut ab illis vere et realiter Judæi abstinerent, verum etiam ut ea peccata vitarent quæ illis cibis significabantur, quo modo Christiani ipsi debent abstinere.

7° Ex virtute baptismi et crucis, quam colligit ex Ps. I, 3 : « *Erit tanquam lignum quod plantatum est* » *secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit* » *in tempore suo.* » Et subdit : « Animadvertite, quo » modo aquam et crucem simul descripsit. Hoc enim » dicit : Beati qui cum sperassent in crucem, descen» derunt in aquam; quia mercedem inquit, in tem» pore suo, id est tunc, retribuam. Nunc vero, ait » *folia non defluent.* Hoc ait : Omnis sermo qui ex » ore vestro exierit in spe et caritate, erit in conver» sionem ac spem multis. Rursum alius propheta di» cit : *Et erit terra Jacobi laudata per omnem terram.* » (Soph. III, 19.) Hoc ait, vas spiritus illius, quod » magnificat. Deinde quid dicit : *Et erat flumen a dex*» *tra fluens, et ex eo emergebant arbores pulchræ, et* » *quicumque ex illis manducaverit vivet in æternum.* » (Ez. XLVII.) Hoc ait, quod nos descendimus qui» dem in aquam pleni peccatis ac sordibus, inde autem » emergimus fructum afferentes, in corde, timorem » et spem in Jesum habentes ex spiritu. » Virtutem crucis etiam adstruit ex pluribus figuris et præsertim ex figura serpentis ænei a Moyse erecti, quem morsi a serpentibus aspicientes sanabantur. Cum igitur per passionem Christi via salutis sufficienter Christianis pateat, legalibus antiquis non amplius indigent.

8° Ex reprobatione Judæorum et electione Gentium, quam figuratam contendit seu historia Rebeccæ gravidæ, quam Deus sic allocutus est : « *Duæ gen*» *tes in utero tuo sunt, ac duo populi in ventre tuo;* » *atque unus populus alterum superabit, et major*

» *serviet minori* (Gen. xxv, 21); » seu historia Ephraim cui, licet minori, benedixit Jacob præ Manasse; seu promissione Abrahamo facta : « *Ecce posui te pa-* » *trem gentium quæ per præputium credunt Do-* » *mino* (Gen. xv et xvii, ad Rom. iv). »

9° Ex abrogatione sabbati, de quo præcepit Deus, *ut sanctificetur* manibus mundis et corde puro. « Si » ergo quam diem Deus sanctificavit, aliquis nunc » potest sanctam efficere, nisi sit per omnia mundus » corde, erravimus. Vide igitur, tunc pulchré requies- » cens sanctificabit illam; quando nos poterimus re- » cepta justa promissione, deleta iniquitate, novatis » vero cunctis a Domino, poterimus, inquam, tunc » eumdem diem sanctum reddere, ipsi prius sancti » effecti. Demum illis dicit : *Novilunia vestra, et sab-* » *bata vestra non fero.* (Is. i, 13.) Cernite qua ra- » tione loquatur : *Non mihi* accepta *sunt* præsentia » *sabbata, sed illa* quæ feci, quando scilicet universis » finem imponens, octavi diei faciam initium, hoc » est, initium alterius mundi. Idcirco et diem octa- » vum in lætitia agimus, in quo et Jesus resurrexit » a mortuis, et cum apparuisset, ascendit ad cœlos. »

Post hæc auctor probare nititur intra sex millia annorum mundum et omnia consummanda esse, juxta numerum dierum creationis : « Nam, inquit, apud » illum dies æquiparantur mille annis. » Quæ opinio multos antiquos propugnatores habuit, SS. Irenæum, Hippolytum, Justinum, Hilarium, Hieronymum, et Augustinum. Sed videtur Ecclesia hanc similitudinem improbasse, cum in concilio œcumenico, Lateranensi v, vetuerit ne oratores christiani tempus secundi adventus Christi præfigere auderent.

10° Ex ruina templi Judæorum, et ædificatione templi spiritualis : « Iterum quod tradenda esset ci- » vitas una cum templo et cum populo Israelitico,

» est declaratum. Ait quippe Scriptura : *Et erit in*
» *novissimis diebus, tradet Dominus oves pascui, et*
» *caulam, et turrim eorum, in exitium.* (Jer. c. xxv,
» et Is. v.) Atque contigit quemadmodum locu-
» tus est Dominus. Quæramus itaque an exstet tem-
» plum Dei. Exsistit; quandoquidem ipsemet se il-
» lud facere ac perficere testatur. Scriptum enim
» est : *Et erit, hebdomada completa ædificabitur ma-*
» *gnifice templum Dei, in nomine Domini.* (Dan.
» IX, et Ag. II.) Invenio igitur, quod templum ex-
» sistit. Qua ratione ergo ædificabitur in nomine
» Domini? Discite. Antequam Deo crederemus, erat
» cordis nostri domicilium corruptioni obnoxium et
» imbecille, ad modum templi vere per manus ædi-
» ficati : plenum siquidem erat idolorum cultu, et
» erat domus dæmoniorum, quod faceret quæcum-
» que Deo contraria sunt. Ædificabitur autem in no-
» mine Domini. Attendite; ut templum Domini ma-
» gnifice ædificetur. Quo modo? Discite; accepta
» remissione peccatorum, et spe habita in nomen
» Domini, facti sumus novi, iterum ab integro crea-
» ti : quare in domicilio nostro vere Deus exsistit;
» habitat in nobis. Quo modo? Verbum ejus fidei,
» vocatio ejus promissionis, sapientia justificationum,
» mandata doctrinæ : ipse in nobis prophetat, ipse in
» nobis inhabitat, morti addictis nobis aperit fores
» templi, id est, os; nobis dat pœnitentiam, sicque
» introduxit in templum incorruptum. Quare qui
» cupit esse salvus, non in hominem respicit, sed in
» eum qui in homine habitat atque loquitur; admi-
» rans quod nunquam, neque audierit eum talia
» verba ore fundentem, neque ipse audire deside-
» raverit. Hoc est templum spiritale Domino con-
» structum. »

In posteriore parte, seu conclusione, quam totam

hic proferemus, docet Apostolus duas esse vias hominibus, unam lucis, cui præpositi sunt lucis conciliatores, angeli Dei, et alteram tenebrarum, cui præpositi angeli Satanæ. « Via lucis hæc est, si quis cupiens » incedere ad præfinitum locum, suis operibus properet. Cognitio itaque nobis data, in hac via ambulandi, ejusmodi est. Diliges Creatorem tuum. Gloria » afficies eum qui redemit te a morte. Eris corde simplex, et spiritu dives. Non adhærebis ad eos qui incedunt in via mortis. Odio habebis omne id perpetrare quod Deo non placet. Abhorrebis omnem » simulationem. Ne derelinquas mandata Domini. » Teipsum non exaltabis; eris autem humilis. Non » assumes tibi gloriam. Non capies malum consilium » adversus proximum tuum. Non dabis animo audaciam et confidentiam. Non *fornicaberis*. Non » adulterium *facies. Pueros non corrumpes.* Ex te » *non egrediatur verbum, tibi* a Deo concessum, in » *ulla impuritate.* Non accipies personam, in arguendo cujuspiam lapsu. Eris mansuetus. Eris quietus. Contremisces ad verba quæ audiisti. Fratri tuo » ignosces. Ne ambigas utrum futurum sit, necne. » Ne assumas in vanum nomen Domini. Diliges proximum tuum, plusquam animam tuam. Non interficies fœtum in abortione, nec etiam interimes post » nativitatem. Ne auferas manum tuam a filio tuo, » vel a filia tua; sed a pueritia docebis eos timorem » Domini. Bona proximi tui non concupisces, nec » eris avarus et fraudator. Neque ex anima tua adhærebis superbis; sed cum justis atque humilibus » adscriberis. Quæ tibi contingunt vexationes, tamquam bona admitte. Non eris inconstans, nec bilinguis; laqueus enim mortis est, lingua duplex. » Subjicieris Domino Deo; dominis vero, ut Dei imagini, in verecundia et timore. Ne in amaritudine

» imperes ancillæ aut servo tuo, qui in eumdem spe-
» rant, ne forte non timeas Deum, qui super utrum-
» que est; quoniam non venit vocare secundum
» personam, sed super quos Spiritus præparavit.
» Communicabis in omnibus cum proximo tuo, nec
» quidquam dices proprium : si enim in incorruptis
» consortes estis, quanto magis in iis quæ corrum-
» puntur? Non eris lingua præceps : os enim laqueus
» est mortis. Quantum potes, et supra quam potes,
» coles castitatem. Noli porrigere manus tuas ad ac-
» cipiendum, ad dandum vero contrahere. Diliges ut
» pupillam oculi tui omnem qui tibi loquetur ver-
» bum Domini. In memoriam tuam nocte ac die
» revocabis judicii diem. Exquires quotidie vultus
» sanctorum; etiam speculatus per verbum, et ad
» exhortandum incedens, atque meditans, ad servan-
» dam animam per verbum. Et manibus tuis opera-
» beris, ad redemptionem peccatorum tuorum. Non
» dubitabis dare, neque murmurabis cum das: *Omni*
» *petenti te, tribue* (Luc. c. VI, v. 30) : cognosces
» autem quis sit bonus mercedis retributor. Servabis
» quæ accepisti, nec addens, nec demens. Malus,
» odiosus tibi erit in perpetuum. Juste judicabis. Non
» facies dissidium; sed pacem conciliabis inter con-
» tendentes, eos associans. Confiteberis peccata tua.
» Non accedes ad orationem tuam in conscientia
» mala. Hæc est via lucis.

» Via autem tenebrarum et cæcitatis, obliqua
» est, plenaque maledictionis. Est enim via mortis
» æternæ cum supplicio : in qua sunt quæ perdunt
» animam viatorum, idolorum servitus, temeritas,
» elatio potestatis, simulatio, cor duplex, adulterium,
» homicidium, rapina, superbia, transgressio, dolus,
» malitia, arrogantia, veneficium, magia, avaritia,
» nullus Dei timor. *In qua sunt*, bonorum persecu-

» tores; osores veritatis, amatores mendacii; non
» cognoscentes mercedem justitiæ, non adjuncti ad
» bonum, viduæ et pupillo non attendentes ex justo
» judicio; vigilantes, non ad timorem Dei, sed ad
» malitiam: a quibus longe ac procul sunt mansue-
» tudo et patientia; qui diligunt vana, consectantur
» remunerationem, non miserentur inopis, non labo-
» rant in gratiam illius qui labore ac ærumnis con-
» fectus est; ad obtrectationem prompti, non cognos-
» centes auctorem suum; liberorum interemptores,
» in abortione corrumpentes Dei opus; aversantes
» egenum, opprimentes afflictum, divitum advocati,
» pauperum iniqui judices; per omnia peccatores.

» Æquum igitur est, ut edocti justificationes Domi-
» ni, quotquot prius scriptæ sunt, in eis ambulemus.
» Qui enim eas facit, in regno Dei gloria cumulabitur:
» qui vero alia elegerit, simul cum suis operibus per-
» ibit. Propterea resurrectio, propterea retributio. Ro-
» go vos qui reliquos antecellitis; si accipitis aliquod
» bonæ voluntatis meæ consilium, habetis vobiscum
» quibus benefecistis, ne eos derelinquatis. Prope si-
» quidem est dies in qua omnia cum Malo peribunt.
» Prope est Dominus, et merces ejus. Etiam atque
» etiam rogo vos: estote vobis boni legislatores, vo-
» bis manete consiliarii fideles; tollite ex vobis omnem
» hypocrisim. Deus autem, qui universo mundo do-
» minatur, det vobis sapientiam, scientiam, intelli-
» gentiam, cognitionem justificationum suarum, in
» patientia. Efficiamini autem docti a Deo, exqui-
» rentes quid a vobis requirat Dominus; et efficite,
» ut salvi sitis in die judicii. Si qua vero est bonæ
» rei recordatio, mementote mei, hæc meditantes; ut
» et desiderium, et vigilantia, in aliquod bonum eva-
» dat. Rogo vos, gratiam postulans: quamdiu pul-
» chrum hoc vas vobiscum est, in nullo horum defi-

» cite; sed indesinenter hæc exquirite, et adimplete
» omne mandatum : hæc namque digna sunt. Quare
» potissimum id operam dedi, quantum in me fuit,
» ut scriberem vobis; quo exhilararem vos. Salvete,
» filii dilectionis, et pacis. Dominus gloriæ et omnis
» gratiæ, sit cum spiritu vestro. Amen. »

Hæc postquam Epistola per plura sæcula in bibliothecarum pluteis delituisset, Jacobus Usserius, Armachanus primas, prelo subjiciebat Oxonii, 1643; sed urbis Oxoniæ parte magna incendio correpta, typographeum cum hoc exemplari conflagravit. Paulo post, nempe an. 1645, opus ab Hugone Menardo, monacho congregationis S. Mauri, annotationibus eruditis illustratum, cura Lucæ d'Achéry, ejusdem ordinis, Menardo morte prærepto, in lucem separatim Parisiis prodiit in-4°. Porro D. Isaacus Vossius, an. 1646, Amstelodami, ex tribus græcis manuscriptis, Florentino, Vaticano et Theatinorum, editioni Epistolarum S. Ignatii *hanc* Epistolam adjunxit, brevesque notas addidit; et iterum typis mandavit, Londini, 1680, in-4°. Ex Vossii textu, suam Usserius finxit interpretationem latinam. Demum an. 1672, Joannes Bapt. *Cotelier*, societatis Sorbonicæ theologus, Bibliothecæ suæ *SS. Patrum qui temporibus apostolicis floruerunt*, Epistolam hanc inseruit, notas laudatissimas apposuit, versionemque novam adornavit. Hanc typis renovari curavit et adampliavit Ad. Leclerc, Amstelodami, in-fol. 1698, et iterum 1724; quæ posterior optima est editio. Pluries etiam excusa est in variis collectionibus.

Habetur magna ex parte illius Epistolæ gallica versio apud D. Fleury, Hist. eccles. lib. II, c. 67. Integram autem vertit D. Legras, ex congregatione Oratorii, et typis mandavit in fine magnorum Bibliorum, apud Desprez, Parisiis, 1717, in-fol. et in-12.

Angli et Batavi una cum Hermæ Pastore et Epistolis SS. Clementis, Ignatii et Polycarpi, Epistolam Barnabæ sua lingua verterunt, 1693 et 1710, in-8°.

Germanicæ interpretationes, an. 1693 et 1711, in-12 prodierunt.

SANCTUS HERMAS,

APOSTOLORUM DISCIPULUS.

GRÆCUS.

(CIRCA ANI 96.)

Hermas, cui tribuitur de *Pastore* liber, quamquam græce scripsisse credatur, Romæ tamen, S. Clemente summo pontifice, vixisse non immerito videtur. S. Hieronymus Eusebiusque asserunt eum esse de quo Paulus ad Romanos scribens: *Salutate*, inquit, *Hermam*. (Rom. c. xvi, v. 14.) Liberos uxoratus habuit, nulla ecclesiastica auctoritate, sed pietate singulari insignis.

Liber Pastoris nunquam in Canone receptus (S. Athan. Epist. Pasch. S. Hieronym. in prolog. Galeat.), et inter apocrypha deputatus (Tert. de Pudicit. c. x), sæpius tamen ab antiquis usurpatus est (S. Irenæus adv. hæres. lib. iv, c. 37; S. Clemens sæpius; Origenes; Hieronymus, etc.), et propter moralia, quibus redundat, præcepta plurimum commendatus; imo et apud quasdam Græciæ Ecclesias publice legebatur. (Hieronym. de Script. Ecclesiast.) Hinc Origenes: « Pastoris Scriptura valde mihi utilis videtur, et, ut » puto, divinitus inspirata. » (In Epist. ad Rom. lib. x.) Hinc S. Athanasius : « Sunt et alii libri, non » quidem Canonici, sed quos Patres sanxerunt legi » iis qui ad fidem accedunt, cupiuntque in pietatis

» verbo institui, ut Sapientia Salomonis... et Pastor.»
(Epist. Pasch.) Hinc denique Rufinus: « Alii libri
» sunt, qui non canonici, sed ecclesiastici a majori-
» bus appellati sunt, ut est Sapientia Salomonis; in
» novo autem testamento libellus qui dicitur Pasto-
» ris sive Hermatis. » (Expos. in Symb. Apost.)

Dividitur liber *Pastoris* in tres partes, quarum
prima complectitur visiones quatuor, secunda duo-
decim præcepta ad mores et christianam pietatem
spectantia, tertia decem similitudines, quibus ad-
umbratæ sunt totidem veritates.

In visionibus, apparet Hermæ anus facie decora
et veste splendida, quibus miris insignibus vera
declaratur Ecclesia. Hæc ei exprobrat negligentiam
in castigandis filiis et reprimenda loquacitate uxo-
ris : « Semen tuum, Herma, deliquit in Dominum,
» et..... addiderunt peccatis suis libidines, et com-
» maculationes nequitiæ, et sic impleverunt *ini-*
» quitates suas. Sed impropera verba hæc filiis tuis
» omnibus, et conjugi tuæ. Et ipsa enim compes-
» cat linguam suam, in qua malignatur.... Tunc
» remittentur illis peccata.... si ex toto corde suo
» egerint pœnitentiam. » Eadem postea describit
structuram Ecclesiæ triumphantis; videt specta-
tor sex juvenes turrim ædificantes lapidibus poli-
tis, « ita ut commissuræ eorum non paterent.... Alii
» autem lapides multi circa turrim positi erant, et
» non utebantur illis ad structuram. » Quod sic ex-
plicat anus : « Turris est Ecclesia, quæ super aquas
» ædificatur, quoniam vita vestra per aquam salva
» facta est; fundata est enim verbo omnipotentis et
» honorifici nominis : continetur enim ab invisibili
» virtute Dei. Illi autem juvenes sex, qui ædificant,
» sunt angeli Dei, qui primo constituti sunt, qui-

» bus tradidit Dominus universam creaturam suam » struendi, ædificandi, et dominandi creaturæ il- » lius.... Cum ergo consummata fuerit structura tur- » ris, omnes simul epulabuntur juxta turrim, et ho- » norificabunt Dominum, quoniam consummata erit » structura turris.... Lapides quadrati et albi.... sunt » *apostoli*, episcopi, doctores, et ministri ingressi » *in clementia Dei*. Qui vero imponuntur in struc- » turam.... ii sunt qui jam dormierunt et passi sunt » causa nominis Domini...., qui ingressi sunt in æqui- » tatem Domini, et direxerunt vias in mandatis ejus. » Quos autem rejiciebant, et ponebant juxta turrim... » ii sunt qui peccaverunt et voluerunt pœnitentiam » agere; propter hoc non sunt projecti longe a turri, » quoniam utiles erunt in structura, si pœnitentiam » egerint.... Qui autem recidebantur, et longe *proji-* » *ciebantur a turri,... ii sunt filii iniquitatis*, et qui » *crediderunt in simulatione*, et omnis nequitia non » *discessit ab eis* : propter hoc non habent salutem, » quoniam non sunt utiles in structura, propter ne- » quitias suas. » Præterea erant septem mulieres turrim supportantes, et dixit anus : « Prima, quæ conti- » net manu, Fides vocatur; per hanc salvi fient electi » Dei. Altera vero, quæ succincta est et viriliter agit, » Abstinentia vocatur; hæc filia est Fidei. Cæteræ » quinque sunt Simplicitas, Innocentia, Modestia, » Disciplina, Charitas.... Virtutes æquales habent; » connexæ autem ad invicem sunt virtutes earum, » et sequuntur se invicem sicut natæ sunt. » In alia visione, prænosci dantur Hermæ mala Ecclesiæ superventura, opposita bestiæ magnæ forma, quæ sicut cete locustas ore evomebat. Cum ergo hanc bestiam sine damno pertransisset, dictum est illi : « Si præpa- » raveritis vos, poteritis effugere illam; si cor ves-

» trum fuerit purum ac sinè macula, et reliquos dies » vestros servieritis Deo sine querela. Immittite solli- » citudines vestras super Dominum, et ipse diriget » eas. Credite Deo, qui estis dubii : quoniam omnia » potest, et avertere iram suam a vobis, et mittere » vobis præsidia. »

In limine secundæ partis, narrat Hermas intrasse ad se virum quemdam reverenda facie, habitu pastorali, pallio albo amictum, qui peram in humeris et virgam manu gestabat : « Ego sum, inquit, *Pastor* ille » cui traditus es. » Inde opus totum Pastor appellatus est. Primo omnium docet eum angelus fidem in unum Deum : « Crede quod unus est Deus, qui om- » nia creavit et consummavit, et ex nihilo omnia » fecit. Ipse capax universorum solus immensus » est, qui nec verbo definiri, nec mente concipi po- » test. » Dein varia vult eum monitum ex quibus licet non catenatis exquisitiora seligemus. Fugienda obtrectatio : « De nullo male loquaris, neque liben- » ter audias male loquentem : sin vero et tu audie- » ris, particeps eris peccati male loquentis.... Perni- » ciosa est detractio : inconstans est Dæmonium ; nun- » quam in pace consistit, sed semper in discordia est. » Danda eleemosyna : « Omnibus inopibus da simplici- » ter, nihil dubitans cui des. Qui ergo accipiunt, red- » dent rationem Deo, quare acceperunt, et ad quid. » Qui autem accipiunt ficta necessitate, reddent ra- » tionem. Qui autem dat, innocens erit ; sicut enim » accepit a Domino, ministerium consummavit. » Fugiendum mendacium : « Deus verax est in omni » verbo, et mendacium non est in ipso. Qui ergò » mentiuntur, abnegant Dominum, non reddentes » depositum quod acceperunt. » Servanda patientia : « Æquanimis esto et patiens, et omnium operum

» nequissimorum dominaberis, et operaberis omnem » justitiam.... Quod si iracundia aliqua supervenerit, » continuo Spiritus sanctus, qui in te est, angustia- » bitur, et quæret discedere.... nam totum mel a » modico absynthio disperit, et perdit dulcedinem » mellis. » Dignoscendi uniuscujusque hominis duo genii, et utriusque inspirationes : « Duo sunt genii » cum homine; unus æquitatis, et unus iniquitatis. » Æquitatis genius tener est, lenis et verecundus, » mansuetus et quietus. Cum ergo in cor tuum as- » cenderit, continuo loquitur tecum de justitia, de » pudicitia, de castitate, de benignitate, de venia, » de charitate, de pietate. Huic ergo genio crede, et » operibus ejus. Accipe nunc et genii iniquitatis » opera. Primum amarus est, iracundus et stolidus, » et opera illius perniciosa sunt, et evertunt servos » Dei.... *Hæc ergo et quæcumque illis similia sunt,* » *cum in cor tuum ascenderint,* intellige genium » *iniquitatis* tecum esse, recede ab illis omnibus, et » nihil illi crede[1]. » Timendus Dominus : « Time Do- » minum, et mandata ejus custodi. Servans enim præ- » cepta Dei eris potens in omni actu, et omne negotium » tuum erit incomparabile. Timens enim Dominum » omnia bona operaberis. » Perseverandum in oratio- ne : « Pete sine dubitatione, et scies misericordiam » Domini, quod non te derelinquet, sed petitionem » animæ tuæ adimplebit.... Sed si petas aliquando » petitionem, et non accipies, noli dubitare : forsi- » tan enim propter tentationem, aut pro peccato » tuo, quod tu ignoras, tardius accipies petitionem » tuam.... Si autem cessaveris petendo, de te quera-

[1] Observat bene D. Ceillier hanc doctrinam quæ assignat cuique duplicem angelum, bonum et malum, non esse propriam uni Hermæ; nam amplexi sunt Orig. hom. XXIII super Josue, S. Basilius in III Is. S. Chrysost. hom. III in Ep. ad Cor.

» ris, non de Deo, quod non dederit tibi. » Repellenda tristitia : « Longe fac a te omnem tristitiam : » etenim hæc soror est dubitationis, et iracundiæ.... » Utræque ergo res lædunt Spiritum sanctum; dubi» tatio, quia non successit actus ejus, et tristitia, quia » facit iracundiam spiritui.... Sicut enim vinum aceto » mixtum eamdem suavitatem non habet, sic et tris» titia Spiritui sancto mixta eamdem orationem mun» dam non habet. » Probandi prophetæ ex operibus : « Habes utrorumque prophetarum vitam. Proba ergo » de vita et operibus hominem qui dicit se, Spiritum » sanctum habere : tu autem crede spiritui venienti » a Deo, habenti virtutem : spiritui autem terrestri, » vacuo, qui a diabolo est, in quo fides non est en» que virtus, credere noli. » Possunt servari mandata : « Dominari potest omnium horum mandatorum, qui » habet Dominum in corde suo : qui autem habent » Dominum in labiis suis, et cor illorum obtusum est, » et longe sunt a Domino, illis mandata hæc dura sunt » et difficilia. Ponite ergo vobis... Dominum Deum » vestrum in corde habere, et intelligetis quod nihil » facilius est his mandatis, neque dulcius, neque man» suetius, neque sanctius... Potest autem diabolus luc» tari, sed vincere non potest : si enim resistitis illi, fu» giet a vobis confusus.... Minæ illius sine virtute enim » sunt, sicut hominis mortui nervi. »

In decursu hujus libri pastor perpendit quomodo agendum sit viro erga mulierem adulteram : « Si con» vivit cum illa vir, particeps erit mœchationis ejus; » dimittat illam. Quod si dimiserit, et aliam duxerit, » et ipse mœchatur. Quod si mulier dimissa pœniten» tiam egerit, et voluerit ad virum suum reverti, debet » recipere peccatricem. » Quæ solutio admodum consentanea est regulis quas semper observavit Ecclesia.

Crimini verterunt Hermæ quod videtur opinari relapsis nullam esse condonationem, his verbis : « Si » quis peccaverit, unam pœnitentiam habet; si au- » tem subinde peccet, et pœnitentiam agat, non pro- » derit homini talia agenti. » Sed solum maximam difficultatem indicat, ut evidenter patet ex immediate sequentibus; addit enim : « Difficile enim vivit » Deo. » Nec crudiora sunt verba præcedentia, quam quæ leguntur in Epist. ad Hebræos, VI, 4 et 6 : « *Impossibile est eos.... rursus renovari ad pœniten-* » *tiam.* »

Parte tertia, exponuntur iterum a Pastore præcepta utilissima, adhibitis variis imaginibus quas inter duplex præsertim notanda similitudo : 1° quidem : « Vitis, inquit, fructifera est, ulmus autem » lignum sine fructu est. Sed vitis hæc, nisi appli- » cita fuerit ulmo, et super illam requieverit, non » potest multum fructum facere : jacens enim in » terra malos fructus dat.... Sic dives habet opes, » a Domino vero pauper est. Cum igitur dives præ- » stat pauperi, quæ illi opus sunt, pauper orat Do- » minum pro divite, et Deus præstat diviti omnia » bona : quia pauper dives est in oratione, et vir- » tutem magnam habet apud Dominum oratio ejus... » Sunt ergo ambo consortes bonorum operum suo- » rum. » Altera : « Sicut in hieme omnes arbores » abjectis foliis aridis similes sunt, nec potest co- » gnosci quæ sunt aridæ, aut quæ virides : sic et » in hoc sæculo nec justi nec injusti cognoscuntur, » sed similes sunt omnes. Sicut in æstate fructus ar- » boris cujuscumque declaratur, et patet : sic et jus- » torum factum declarabitur, et patebit, et omnes » hilares et gaudentes in illo sæculo restituentur. »

Rursus pastor in similitudine nona mysteria Ec-

clesiæ astruit; quod animadvertimus ad indicandum quam clare auctor ambas naturas in Christo explicuerit. Apparent illi media in planitie duodécim montes varii coloris, et in medio eorum petra illis altior exsurgens quæ portam habebat splendidam; et statim angelum interrogat: «Primum omnium, domine, hoc » mihi demonstra. Petra hæc et porta quid sunt? Au» di, inquit: petra hæc et porta Filius Dei est. Quo» nam pacto, inquam, domine, petra vetus est, porta » autem nova? Audi, inquit, insipiens, et intellige. » Filius quidem Dei omni creatura antiquior est, ita » ut in consilio Patri suo adfuerit ad condendam » creaturam; porta autem propterea nova est, quia » in consummatione, in novissimis diebus apparebit, » ut qui assecuturi sunt salutem, per eam intrent » in regnum Dei. » Et alibi : « Servus vero ille Filius » Dei est.... Ipse autem plurimum laboravit, pluri» mumque perpessus est, ut aboleret delicta eorum. » Deletis igitur peccatis populi sui, ipse iisdem mon» stravit itinera vitæ, data eis lege, quam a Patre » acceperat. Vides igitur esse Dominum populi, ac» cepta a Patre suo omni potestate. » Cæteris in similitudinibus agitur de temporalium cura, de vero jejunio, de pœnis peccati, de necessitate pœnitentiæ, de variis electorum et pœnitentium generibus. Hanc circa jejunium parabolam proponit : « Qui» dam cum haberet fundum, servosque multos, » in quadam parte fundi sui posuit vineam succes» soribus. Deinde peregre profectus, elegit ser» vum quem habebat fidelissimum, ac sibi pro» batum, eique assignavit vineam, præcipiens ut » vitibus jungeret palos. Quod si fecisset, et man» datum suum consummasset, libertatem eidem se » daturum promisit.... Postquam autem servus fecit

» quæcumque præceperat dominus,... cœpit secum
» ita cogitare : Fodiam nunc vineam hanc, et erit
» formosior cum fuerit fossa; et extractis herbis ma-
» jorem dabit fructum.... Post aliquantum vero tem-
» poris venit dominus, et cum vidisset.... lætas esse
» vites, ex facto hoc servi sui gaudium cepit. Adhi-
» bito itaque filio, quem carum et hæredem habe-
» bat, et amicis in consilio.... ait illis : Ego quidem
» huic servo libertatem promisi, si custodisset man-
» datum meum; et custodivit illud, et præterea opus
» bonum adjecit in vineam. Pro hoc igitur opere,
» volo eum filio meo facere cohæredem.... Igitur si
» custodieris mandata Domini, et adjeceris etiam sta-
» tiones has majorem dignitatem conquires, et ho-
» noratior apud Dominum eris.... Primum omnium
» cave ab omni probro, et turpi verbo, et ab omni
» noxia cupiditate, et purifica sensum tuum ab omni
» vanitate sæculi hujus.... Peractis quæ supra scripta
» sunt, illo die quo jejunabis, nihil omnino gusta-
» bis, nisi panem et aquam; et computata quanti-
» tate cibi quam cæteris diebus comesturus eras,
» sumptum diei illius reponas, et dabis viduæ, pu-
» pillo aut inopi : et sic consummabis humilitatem
» animæ tuæ.... Et erit hostia tua accepta Domino,
» et scribetur hoc jejunium tuum. »

Negari non potest in hoc opere sæpe eadem recursare, nec præcaveri nauseam, allegorias longius quam par est expositas, denique dictionem laxiorem esse et aliquando non-satis emendatam, saltem in versione. Ast illud non obstitit quominus Hermæ instituta statim invaluerint, et usitata fuerint sive ad confirmandas veritates fidei, sive ad refellendos hæreticos.

Librum *Pastoris* primus edidit Lefevre d'Étampes, Parisiis,

1513, in-fol. Gerbelins, Argentorati, 1522, in-4°. Excusus pariter fuit Basileæ 1555 et 1569, in orthodoxographis, et pluries Parisiis in Bibliothecis Patrum. Cotelier prelo subjecit Parisiis, 1672, in-fol. cum Patribus qui temporibus apostolicis floruerunt; et rursus Leclerc, Amstelodami, 1698 et 1724. Hæc editio ultima amplissima est et optima; præter variantes et notas, quibus illustratur, in ea inveniuntur fragmenta græca undequaque collecta. Longiora tamen secundi libri fragmenta græce dedit Fabricius in tomo v Bibl. græcæ.

Fleury (Hist. Eccl. lib. II) magnam partem gallice vertit; integram Legras, ex congreg. Oratorii, 1717, in magnis Bibliis, in-fol. et separatim in-12, apud Desprez, Parisiis. Legitur etiam in fine Bibliorum de Sacy, an. 1742.

Anglicam interpretationem Wake excudit Pastoris, simul et Epistolarum SS. Barnabæ, Clementis, Ignatii et Polycarpi, Londini, 1693 et 1710.

SANCTUS DIONYSIUS

AREOPAGITA,

PRIMUS ATHENIENSIUM EPISCOPUS,

ET MARTYR.

GRÆCUS.

(CIRCA AN. 96.)

« NEC de ultima plebe consistimus, aiebat Minu- » tius Felix ad Paganos, si honores vestros et pur- » puras recusamus. » Scilicet ab incunabulis Ecclesiæ, tot et tanti fuerunt scientia vel dignitatibus nobiles Christo mancipati tirones, ut Ethnici Christianos tanquam ex colluvie nationum coactos, spernere non auderent; tam pauci vero ut non eorum auctoritati tribueretur mundi reformati gloria. Inter hos numeretur S. Dionysius hujus senatus pars maxima cujus auctoritas oraculum censebatur, nimirum Areopagita. Cum Paulus coram prædicaret Dei omnipotentiam et mortuorum resurrectionem, Dionysius verbo credidit, et dein, ob fidem et pietatem, primus sedem Atheniensem consecutus est. (Constit. Ap. lib. VII, Dion. Cor. apud Eus. lib. III Hist.)

Magna inter doctos quæstio de Dionysio Areopagita, scriptisque sub ejus nomine ambulantibus. Nemo quidem nescit Dionysium Areopagitam, a Paulo ad religionem christianam conversum, primum extitisse Athenarum pontificem. Illum vero primo Ecclesiæ sæculo in Gallias venisse, et Francorum simul Apostolum, primumque Parisiensem episcopum evasisse, non potest probabiliter defendi, quamvis illud a pluribus martyrologiis, et præsertim a martyrologio Romano asseratur; cum facile demonstrari possit Dionysium Parisiensem, labente sæculo tertio, vel incipiente quarto vitam martyrio consummasse. Martyr pariter Dionysius Areopagita occubuit, Domitiano imperante, id est, circa annum 96, quo crudelis ille defunctus est persecutor.

Non nostri est instituti expendere, utrum revera Dionysius Areopagita scripserit quæ nunc ejus nomine decorata supersunt opera; sufficiet annotare, 1° illa opera saltem ad annum circiter 500 esse referenda, cum ex hoc tempore ab omnibus Dionysio tribuantur; 2° illa etiam non esse contemnenda, cum qualiscumque eorum auctor, ab Anastasio Sinaita dicatur « celeberrimus rerum divinarum mystus » (Contempl. Anag. in Hexaem.); a Gregorio Magno « antiquus venerandusque pater » (2 Hom. 34, de Drach. perd.); a S. Joanne Damasceno « divinus, » sanctissimus et eloquentissimus Dionysius, divi- » nis rebus abundans profundusque » (3 orat. de fidel. defunct.); a secundo denique concilio Nicœæ celebrato, generali VII, anno 787, Magnus Dionysius, ejusque verbis omnes præcitati utantur ad confirmanda fidei dogmata. Fatendum est igitur

illa non prorsus lectu indigna, ac proinde silentio minime prætermittenda.

Scripsit igitur S. Dionysius Areopagita, sive antiquus sub ejus nomine auctor :

1° Librum *de Cœlesti Hierarchia*, in quo describuntur SS. Angelorum ordines et functiones;

2° Librum *de Ecclesiastica Hierarchia*, ubi de sacramentis et ordinatione sacrorum Ecclesiæ ministrorum sermo habetur;

3° Librum *de Divinis Nominibus*, in quo illa quæ de essentia, attributis, perfectionibusque et actionibus Dei in sacra Scriptura sparsim continentur, collecta sunt et explanata;

4° Librum *de mystica Theologia*, ubi quæ in Deo esse nequeunt nuda et simplici enarratione exposita sunt;

5° Undecim *Epistolas*, scilicet 4 ad Caium monachum, 1 ad Dorotheum diaconum, 1 ad Sosipatrum sacerdotem, 1 ad Polycarpum antistitem, 1 ad Demophilum monachum, 1 ad Titum episcopum, 1 ad Joannem Ep. in Patmos insula exulantem, et 1 ad Apollophanum philosophum.

Hoc de illius scribendi genere judicium in ejus vita tulit Suidas : « Ejus sapientiam et eloquen- » tiam stylus præstantissimus librorum ab eo con- » scriptorum plane demonstrat, siquidem et externa- » rum quæ vocantur disciplinarum, nostrarumque » peritissimus fuit. Nam si ad suorum verborum splen- » dorem, sententiarumque profunditatem respicias, » non humanæ naturæ, sed cujusdam immortalis di-

» vinæque virtutis hoc esse fœtum existimaveris. » (Suid. vit. Areopag.)

Sæpe hæc opera in lucem prodierunt, vel latine, vel græce, illisque in alias linguas transferendis vel explicandis viri eruditissimi operam suam consecrarunt. Inter has editiones eminet illa a R. P. Balthazare Corderio S. J. adornata, cum novis accessionibus, Parisiis, 1644, vel Venetiis, 1755, 2 vol. in-fol.

SANCTUS CLEMENS,

PAPA I ET MARTYR.

EPISTOLA SANCTI CLEMENTIS

AD CORINTHIOS.

SANCTUS CLEMENS,

PAPA I ET MARTYR.

GRÆCUS.

(AN. A CH. 100.)

Ut rivus, quo proprior ad fontem, eo limpidiorem volvit liquorem, sic S. Clemens, Pauli comes, ab ipso celebratus (ad Phil. iv, 3), et Petri auditor, dignus cui manus ipse imponeret, teste Tertulliano, nonnisi sinceros haustus doctrinæ ministrat. Unde a veteribus inter auctores sacros diu annumeratus est.

Faustini filius erat et ortu Romanus, sed gente Judæus.

Pauca de factis ejus, sed eximia ab historia tradita sunt. Nempe Christi tyro factus ante annum 62, Philippis una cum S. Paulo testimonium fidei dedit; deinde eumdem Romam comitatus, adhæsit S. Petro, et huic tertius successor fuit, an. 91, licet jam ab anno 65 sacrum episcopi munus susceperit. Supremus pontifex, operam propagandæ fidei navavit, primosque in Gallias direxit Evangelii præcones; in ecclesia Corinthiaca pacem gravi dissensione turbatam feliciter restituit; Domitianæ persecutionis cruciatus delibavit, tandemque, cum digne per decem fere annos gubernaculum Ecclesiæ tenuisset, e vita migravit, an. C. 100, Trajani vero imperii tertio. Aliis placuit, sed paucis assentientibus, eum ante S. Anacletum S. Lino successisse, et apice de-

posito summæ dignitatis, ultimos vitæ annos in oratione et solitudine mentis consumpsisse. Quidquid sit, martyr ob confessionem habitus, in canone missæ inter primarios recensetur.

Apocrypha sunt *acta martyrii* S. Clementis in Chersoneso Taurica.

Varia ejus nomine prodierunt opera, quæ certissime ad posteriorem ætatem sunt referenda, nempe:

1° *Recognitiones*, quæ decurrente sæculo secundo coactæ sunt, et ab Origene commemoratæ. Harum exstat tantummodo versio latina, a Rufino, ex petitione Gaudentii episcopi Brixiensis elucubrata. Huic collectioni fabulis et absurdis commentis refertæ, et imprimis erroribus Ebionistarum, valde similia sunt nec meliore nota commendanda, *Epitome actorum S. Petri*, necnon *ejusdem Revelationes*, quæ annotavit Varadius, convertit Perionius, Turnebius græce edidit.

2° *Canones SS. Apostolorum*, ævo tertio collecti, qui æquius appellarentur *Canones conciliorum* quæ præcesserant.

3° *Constitutiones apostolicæ*, ad idem ævum pertinentes, a S. Epiphanio notatæ (Hær. 45, 85), sed posthac amplius vitiatæ. Regulas complectuntur usu veteri consecratas, nec inutilia præ se ferunt; unde et a scriptoribus ecclesiasticis sæpius usurpantur.

4° *Liturgia S. Clementis*, antiquissima, sed falso titulo insignita, quemadmodum et sequentia.

5° *Clementina*, in Athanasii synopsi memorata, quæ constant novem et decem homiliis. Omnia græce et latine edidit Cotelier in Bibliotheca Patrum apostolicorum, Parisiis, 1672, et Leclerc, Amstel. 1698 et 1724 in-fol.

Duæ ad Corinthios missæ sunt Epistolæ. Quæ pos-

terior habetur, licet sex annis prior scripta, dubia videtur quibusdam, quia videlicet in ea reperiuntur nonnulla, juxta ipsos, ex Evangelio Ægyptiorum extracta. Sed si attente conferantur varia Scripturæ loca, e diversis libris petita, eumdem saltem sensum evidenter referent cui alludit S. Clemens, licet forte non ad verbum. In ea epistola, hortatur *Corinthios* ad vitæ sanctitatem; quippe qui a Christo ad lumen Evangelii vocati grato animo, non ad divinitatis confessionem duntaxat, sed et ad mandatorum observationem induci debent. Testante S. Dionysio Corinthio, non minus celebris erat hæc epistola apud veteres Patres, quam sequens; sed supersunt tantum fragmenta.

Altera, quæ hic transcribitur, præcipuum antiquitatis monumentum, perdiu in ecclesia *Corinthi et* multis *aliis publice et cathedratim lecta est*, non secus ac *epistolæ Apostolorum*. Occasionem dederunt ista, ut supra diximus, dissidia, quæ eo usque processerant, ut invidia lacerati vel superbia elati, quidam laici presbyteros ausi essent de sede sua detrudere. Interea, qui apud Corinthios prudentiore utebantur ingenio, S. Clementi causam retulerunt, quo efficacius auctoritate litem componeret. In capite responsionis (an. 96) sola Ecclesia Romana inscribitur, ut obtemperaret auctor consuetudini, qua episcopi hujus ætatis ferme nihil insciis fidelibus aut inconsultis, tractare sueverant. Rem ita fuisse in hac occasione docent Dionysius apud Eusebium, S. Clemens Alexandrinus, Origenes, et præsertim S. Irenæus, his verbis: « Sub hoc Clemente, seditio non » modica apud Corinthios exorta est inter fratres, » ita ut ex persona Romanæ ecclesiæ scriberet ipse » Clemens ad Corinthios. »

Idem (adv. hæres. lib. III, c. 3) sic laudat hanc epistolam : « Potentissimas Corinthiis epistolas Cle- » mens misit. » Hieronymus vocat « valde utilem epi- » stolam, quæ videtur caracteri epistolæ sub Pauli » nomine ad Hebræos convenire.... Omnino grandis » in utraque similitudo est. » (De Scriptoribus ecclesias. c. 13.) Denique judice Photio, qui in hoc puncto cæteris consentit, « Clemens dictione sim- » plex ac perspicuus, accedensque ad ecclesiasticam » et inelaboratam dicendi formam. » (Cod. 121.)

Præterea duæ *ad virgines* encyclicæ eidem Clementi tribuuntur : istæ, de quibus S. Hieronymus et S. Epiphanius, non ita pridem repertæ, scilicet an. 1752, a Jacobo Westein in manuscripto codice syriaco, simul cum versione latina eodem anno typis mandatæ sunt, iterumque 1757. Non indignæ tali auctore, scriptæ videntur ad explicandam magni Pauli doctrinam de virginitate, quæ impense in iis commendatur, nec tamen honor demitur conditioni matrimonio illaqueatorum.

Geminam Clementis ad Corinthios primus edidit græce et latine Junius Patricius, Oxonii, 1633, in-4°, ex manuscripto dicto Alexandrino, in quo adjuncta est novo Testamento; et post hunc Maderus, Helmstadii, 1654, in-4°. Excusa est in-8° Oxonii, 1669, Londini, 1687, et Cantabrigæ, 1718. Labbe in primo tomo Conciliorum utramque comprehendit, Cotelier cum aliis supra dictis Patribus, Frey inter epistolas SS. Patrum apostolicorum, Basileæ, 1742, in-8°.

Maxima pars in gallicum sermonem conversa legitur apud Fleury (Hist. Eccles. lib. II, c. 33); integras autem gallice produxit D. Legras, ex cong. Oratorii, in magnis Bibliis, vol. 4, Parisiis, 1717, in-fol. apud Desprez.

SANCTI CLEMENTIS

EPISCOPI ROMANI,

EPISTOLA AD CORINTHIOS PRIMA.

SCRIPTA EX ROMANÆ ECCLESIÆ PERSONA.

EX VERSIONE RUFINI.

Ecclesia Dei quæ incolit Romam, Ecclesiæ Dei quæ incolit Corinthum, vocatis sanctificatis in voluntate Dei, per Dominum nostrum Jesum Christum: gratia vobis et pax ab omnipotente Deo per Jesum Christum multiplicetur, in vobis peculiariter et continue.

I. PROPTER calamitates et casus adversos qui nobis acciderunt, fratres, tardius videmur convertisse animum ad eas res quæ a vobis, dilecti, quæsitæ sunt; et ad alienam peregrinamque Dei electis seditionem, scelestam ac impiam; quam pauci homines præcipites ac temerarii, in tantum vecordiæ inflammarunt, ut venerabile ac celebre et ab omnibus dignum amari nomen vestrum, magnopere blasphemetur. Quis enim apud vos diversatus, virtute omni plenam, firmamque fidem vestram non probavit? modestam ac decentem in Christo pietatem non est admiratus? magnificentiam hospitalitatis vestræ non prædicavit? perfectam stabilemque cognitionem non judicavit beatam? Nam sine personarum acceptione cuncta faciebatis, et in Dei legitimis ambulabatis; subditi præpositis vestris, et honorem debitum senioribus vestris tribuentes, juvenibus ut moderata et honesta cogitarent mandabatis, mulieribus denuntiabatis ut in inculpata et honesta et casta conscien-

tià peragerent omnia, diligerent pro officio maritos suos; atque in obedientiæ regula constitutæ, res domesticas honorate administrarent, docebatis, omninoque modeste se gererent.

II. Omnes autem humili animo eratis, nullatenus superbientes[1], magis subjecti quam subjicientes, dantes potius quam accipientes; Dei viatico contenti, et accurate attendentes sermonibus ejus : dilatati eratis in visceribus, et passiones illius præ oculis vestris erant. Sic pax alta et præclara omnibus dabatur, insatiabile benefaciendi desiderium et plena Spiritus sancti super omnes effusio erat : atque referti sanctæ voluntatis, bona alacritate cum pia confidentia extendebatis manus vestras ad omnipotentem Deum; supplicantes illi, ut propitius esset, si quid inviti peccassetis. Vobis per diem ac noctem sollicitudo erat pro universa fraternitate, ut cum misericordia et conscientia salvaretur numerus electorum Dei[2]. Sinceri, et simplices eratis, atque injuriæ immemores, invicem. Omnis seditio, et omnis scissura vobis abominationi erat : de proximorum delictis lugebatis; eorum defectus, vestros judicabatis : omnis bonæ operationis non pœnitebat vos, sed parati eratis ad omne opus bonum. Veneranda et virtutum omnium referta conversatione ornati, cuncta in timore ejus peragebatis. Mandata Domini scripta erant in cordis vestri tabulis.

III. Omnis gloria et distensio data est vobis; et impletum est illud Scripturæ : « Edit et bibit, et dilatatus est, ac » incrassatus; et recalcitravit dilectus[3]. » Hinc æmulatio, et discordia, et seditio, persecutio ac tumultus, bellum et captivitas. Sic insurrexerunt inhonorati contra honoratos, inglorii contra gloriosos, insipientes contra sapientes, juvenes adversus seniores[4]. Ideo procul absunt justitia et pax;

[1] I Petr. v, 5. — [2] Hebr. viii, 12, et 2 Machab. vii, 37. — [3] Deut. xxxii, 15. — [4] Isa. iii, 5.

dum unusquisque timorem Dei deserit, et in fide illius cæcutit, nec institutis præceptorum ejus ambulat, nec Christo decenter conversatur; sed unusquisque secundum pravas cupiditates suas incedit, *invidiam* iniquam et impiam assumendo, per quam et mors *intravit in* mundum[1].

IV. *Ita enim scriptum est* : « Et factum est post dies, obtulit Cainus ex fructibus terræ, sacrificium Deo : Abel autem *obtulit* et ipse de primogenitis ovium, et de adipibus earum. Et respexit Deus super Abelem, et super munera ejus : super Cainum autem, et super sacrificia ejus non advertit. Et contristatus est Cainus valde, et concidit vultu suo. Et dixit Deus ad Cainum: Quare tristis factus es? et quare concidit vultus tuus? Nonne si recte offeras, non autem recte dividas, peccasti? Quiesce : ad te conversio ejus; et tu principatum habebis ipsius. Et dixit Cainus ad Abelem fratrem suum*: Transeamus in campum. Et factum est, dum essent in* campo, surrexit Cainus super *Abelem* fratrem suum, et occidit eum[2]. » Videtis, fratres, quod æmulatio et invidia fratricidium effecit. Propter æmulationem, pater noster Jacobus aufugit a facie Esavi fratris sui[3]. Æmulatio fecit, ut Josephus usque ad mortem exagitaretur, et usque ad servitutem accederet[4]. Æmulatio Mosen coegit fugere a conspectu Pharaonis regis Ægypti, quando scilicet a suo populari audiit : « Quis te constituit arbitrum vel judicem super nos? Numquid tu vis me occidere, quemadmodum occidisti heri Ægyptium[5]? » Propter æmulationem Aaron et Maria extra castra stabulati sunt[6]. Æmulatio Dathanem et Abiromum vivos demisit in infernum, quod tumultuati essent adversus famulum Dei Moysen[7]. Ob æmulationem, David non solum invidiosus exstitit alienigenis, verum etiam a Saüle rege Israelis fuit vexatus[8].

[1] Sap. II, 24. — [2] Gen. IV, 3. — [3] Gen. XXVII. — [4] Gen. XXXVII. — [5] Ex. II, 14. — [6] Num. XII. — [7] Num. XVI. — [8] I Reg.

V. Sed ut vetera exempla relinquamus; veniamus ad nuperos athletas : sumamus ætatis nostræ generosa exempla. Propter æmulationem atque invidiam, qui Ecclesiæ erant fideles ac justissimæ columnæ, etiam usque ad mortem passi sunt persecutionem. Accipiamus præ oculis nostris bonos Apostolos. Petrus, ob iniquam æmulationem, non unum aut alterum, sed multos sustinuit labores; atque ita martyr effectus, discessit ad debitum gloriæ locum. Propter æmulationem Paulus patientiæ præmium obtinuit, cum catenas septies portasset, vapulasset, lapidatus esset; præco factus in Oriente ac Occidente, eximium fidei suæ decus accepit; totum mundum docens justitiam, et ad Occidentis terminum veniens, et sub principibus martyrium passus, ita e mundo migravit, atque in locum sanctum abiit, patientiæ magnum exemplar factus.

VI. His viris qui divinam vitam duxerunt, aggregata est ingens electorum multitudo, qui multas contumelias multaque tormenta propter æmulationem passi, exemplo pulcherrimo apud nos fuerunt. Propter æmulationem vexatæ mulieres, Danaides, et Dirce, cum gravia et nefanda supplicia sustinuissent, in constanti fidei cursu pervenerunt; et corpore debiles, nobile præmium acceperunt. Æmulatio abalienavit uxores a maritis, et mutavit illud patris nostri Adami dictum : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro ex » carne mea[1]. » Æmulatio et contentio urbes magnas evertit, et gentes magnas eradicavit.

VII. Hæc, dilecti, non tantum ut vos admoneamus, scribimus; sed etiam ut nos ipsi commonefaciamus : in eodem enim stadio versamur, et certamen idem nobis impositum est. Quocirca relinquamus inanes et vanas curas, atque veniamus ad gloriosam et venerabilem sanctæ vocationis nostræ regulam. Videamus quid bonum, et quid jucundum

[1] Gen. II, 23.

acceptumque coram eo qui fecit nos. Fixis oculis respiciamus in sanguinem Christi, cernamusque quam pretiosus Deo sit ejus sanguis, qui propter nostram salutem effusus, toti mundo pœnitentiæ gratiam obtulit. Intueamur diligenter omnes mundi ætates, *discamusque quod in singulis ætatibus, pœnitentiæ locum Dominus dedit volentibus ad ipsum converti.* Noe pœnitentiam prædicavit; et qui ei obedierunt, servati sunt[1]. Jonas Ninivitis urbis subversionem prædicavit; illi autem de peccatis suis acta pœnitentia, Deum precibus placarunt, et salutem consecuti sunt, licet alieni a Deo essent.

VIII. Ministri divinæ gratiæ, per Spiritum sanctum de pœnitentia sunt locuti : ipseque omnium Dominus, de pœnitentia locutus est cum juramento. « Ego enim vivo, dicit » Dominus; nolo mortem peccatoris, sicut pœnitentiam[2]; » addens et pulchram *sententiam* : « Resipiscite domus Israel » *ab iniquitate vestra*[3]. *Dic filiis populi mei* : Si peccata vestra a terra usque ad cœlum pertingant, et si sint rubriora » cocco, et nigriora sacco; conversi autem fueritis ad me » ex toto corde, et dixeritis : Pater; exaudiam vos, tanquam populum sanctum[4]. » Et in alio loco sic dicit : « Lavamini et mundi estote, auferte mala ex animabus vestris, » ab oculis meis : quiescite a malitiis vestris, discite facere » bonum, quærite judicium, liberate oppressum, judicate » pupillo, et justificate viduam; et venite, et disputemus, » dicit. Et si fuerint peccata vestra quasi phœniceum, sicut » nivem dealbabo : et si fuerint ut coccinum, sicut lanam » dealbabo. Et si volueritis, ac audieritis me, bona terræ » comedetis; si autem nolueritis neque exaudieritis me, gladius devorabit vos : os enim Domini locutum est hæc[5]. » Omnes itaque dilectos suos volens pœnitentiæ fieri participes, omnipotente sua voluntate firmavit.

[1] Gen. VII. — [2] Ezech. XXXIII, 11. — [3] Is. I. — [4] Jer. III et XXIX. — [5] Is. I, 16.

IX. Quare obediamus magnificæ et gloriosæ illius voluntati; et supplices illius misericordiæ ac benignitati, procidamus, et convertamur ad miserationes ejus, relictis vanis operibus, contentione, et quæ ad mortem ducit æmulatione. Fixis oculis eos intueamur qui magnificæ ejus gloriæ perfecte servierunt. Accipiamus Henochum, qui in obedientia justus repertus, translatus fuit, et non inventa est mors illius[1]. Noe fidelis inventus, per ministerium suum secundam nativitatem mundo prædicavit; et per eum Dominus conservavit animalia, cum concordia in arcam ingressa[2].

X. Abrahamus, *amicus* vocatus[3], inventus est fidelis, quando dictis Dei audiens fuit. Hic per obedientiam egressus est e terra sua, et e cognatione sua, et e domo patris sui, ut exigua terra, et cognatione debili, et domo parva derelicta, promissiones Dei in hæreditatem acciperet. Dicit enim ei : « Abi de terra tua, et de cognatione tua, et de » domo patris tui, in terram quam tibi demonstravero : et » faciam te in gentem magnam, et benedicam tibi, et ma» gnificabo nomen tuum, et eris benedictus; et benedicam » benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi; et » benedicentur in te omnes tribus terræ[4]. » Ac rursus cum recessit a Loto, dixit ei Deus : « Respiciens oculis tuis, vide » a loco in quo nunc tu es, ad Aquilonem, et Africum, et » Orientem, et mare; quia omnem terram quam tu vides, » tibi dabo eam, et semini tuo usque in sæculum : et faciam » semen tuum sicut arenam terræ; si potest aliquis dinu» merare arenam terræ, et semen tuum dinumerabitur[5]. » Et iterum ait : « Eduxit Deus Abrahamum, et dixit ei : » Respice in cœlum, et numera stellas, si potes dinumerare » eas : sic erit semen tuum. Credidit autem Abrahamus » Deo, et deputatum est ei ad justitiam[6]. » Propter fidem et

[1] Gen. v; Hebr. xi. — [2] Gen. vii; Eccli. xliv, 17. — [3] Is. xli, 8; Jac. ii, 23. — [4] Gen. xii, 1. — [5] Gen. xiii, 14. — [6] Gen. xv, 5.

hospitalitatem datus est ei filius in senectute, et per obedientiam obtulit eum, sacrificium Deo, in uno montium qui ei a Deo ostensus fuit [1].

XI. Propter hospitalitatem et pietatem Lotus e Sodomis salvus evasit, cum tota regio circumjacens igne et sulphure damnata esset [2]. Palam fecit Dominus, quod sperantes in illum non relinquit; eos vero qui in contraria declinant, punitione ac supplicio afficit. Quæ enim una cum eo egressa fuerat uxor illius, cum diversa sentiret, nec concors esset, in ejusmodi signum posita est, ut salis statua, in hodiernum usque diem, sit facta; quo cunctis notum esset, quod animo incerti, et de potentia Dei dubitantes, in judicium et in significationem universis generationibus fiunt.

XII. Ob fidem et hospitalitatem servata est Rahaba meretrix [3]. Missis enim a Jesu filio Navæ ad Jerichuntem exploratoribus, intellexit terræ rex, quod regionem illius exploratum venerant; et emisit viros, qui eos comprehenderent, ut comprehensi necarentur. Hospitalis igitur Rahaba, suscipiens eos, occultavit in solario sub lini stipula. Supervenientibus autem hominibus a rege missis, ac dicentibus: Viri ad te venerunt, terræ nostræ exploratores, educ eos, rex enim ita imperat: illa respondit: Duo viri quos quæritis, ingressi sunt apud me, sed confestim abierunt, et vadunt; non ostendens eis illos. Et dixit ad viros: Certo scio, quod Dominus Deus vester tradit vobis urbem hanc; timor enim et pavor vestri incidit in omnes habitatores ejus. Quando igitur contigerit vos eam capere, servate me et domum patris mei. Et dixerunt ei: Sic erit quemadmodum locuta es nobis. Cum igitur nos adesse cognoveris, congregabis omnes tuos sub tecto tuo, et servabuntur; quotquot enim invenientur extra domum, peribunt. Et addiderunt, ut signum daret; nempe funiculum coccineum appenderet

[1] Gen. XXII. — [2] Gen. XIX; 2 Petr. II, 6. — [3] Hebr. XI, 31; Jos. II.

de domo sua : manifestum facientes, quod per sanguinem Domini futura esset redemptio universis credentibus et sperantibus in Deum. Videte, dilecti; non solum fides, sed etiam prophetia in muliere exstitit.

XIII. Humiles itaque simus, fratres; deponentes omnem arrogantiam, et fastum, et amentiam, et iras; atque faciamus quod scriptum est. Dicit quippe Spiritus sanctus : « Non glorietur sapiens in sapientia sua, neque fortis in for- » titudine sua, neque dives in divitiis suis : sed qui gloria- » tur, in Domino glorietur; in quærendo illum, et faciendo » judicium ac justitiam[1] : » præcipue memores sermonum Domini Jesu, quos locutus est, docens mansuetudinem et æquanimitatem. Sic enim dixit : « Misereminі, ut miseri- » cordiam consequamini; dimittite, ut dimittatur vobis : si- » cut facitis, ita vobis fiet; sicut datis, ita dabitur vobis; » sicut judicatis, ita judicabitur vobis; sicut indulgetis, ita » vobis indulgebitur : qua mensura metimini, *in ea men-* » *surabitur vobis*[2]. » Hoc præcepto, et his *mandatis stabi-* liamus nos; semper obedientes simus sanctis illius eloquiis, humiliter de nobis sentientes. Ait enim sanctus sermo : « Super quem respiciam, nisi super mansuetum et quie- » tum, et trementem eloquia mea[3]? »

XIV. Justum ergo ac pium est, viri fratres, Deo potius obedientes nos esse, quam sequi eos qui in superbia et seditione duces fuerunt abominandæ æmulationis. Detrimentum enim non leve, imo vero grande periculum sustinebimus, si præcipitanter nos tradiderimus voluntatibus hominum, qui ad contentionem et seditiones collimant, ut nos ab eo quod recte habet abalienent. Benigni inter nos simus, juxta misericordiam et dulcedinem illius qui fecit nos. Scriptum quippe est : « Benigni erunt habitatores terræ; et innocen- » tes, remanebunt in ea : iniqui vero exterminabuntur ab

[1] Jer. IX, 23; 2 Cor. X, 17. — [2] Luc. VI, 36. — [3] Is. LXVI, 2.

» illa [1]. » Et rursus dicit : « Vidi impium superexaltatum, et » elevatum sicut cedros Libani : et transivi; et ecce non » erat : et quæsivi locum illius; et non inveni. Custodi in- » nocentiam, et vide æquitatem; quoniam sunt reliquiæ ho- » mini pacifico [2]. »

XV. Adhæreamus ergo iis qui cum pietate pacem habent, et non iis qui cum simulatione pacem volunt. Dicit enim : « Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum » longe abest a me [3]. » Et iterum : « Ore suo benedicebant; » corde vero maledicebant [4]. » Rursusque ait : « Dilexerunt » eum ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei : cor autem » ipsorum non erat rectum cum eo; nec fideles habiti sunt » in testamento ejus [5]. Muta fiant labia dolosa [6]. Disperdat » Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam : » qui dixerunt : Linguam nostram magnificabimus; labia » nostra apud nos sunt; quis noster Dominus est? Propter » miseriam inopum, et gemitum pauperum, nunc exsur- » gam, dicit Dominus : ponam in salute, fiducialiter agam » in eo [7]. »

XVI. Christus siquidem eorum est qui humiliter de se sentiunt, non eorum qui supra ovile ejus efferunt sese. Sceptrum majestatis Dei Dominus noster Christus Jesus, non venit in jactantia arrogantiæ neque superbiæ, cum potens sit, sed in humilitate [8]; quemadmodum Spiritus sanctus de ipso locutus est. Ait quippe : « Domine, quis cre- » didit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum » est? Annuntiavimus in conspectu ejus quasi parvulum; » sicut radix in terrâ sitienti. Quoniam non est species ei, » neque gloria : et vidimus eum; et non habebat speciem, » neque decorem; sed species ejus inhonorata, deficiens præ

[1] Prov. II, 21; Psal. XXXVI, 9. — [2] Ps. XXXVI, 35. — [3] Is. XXIX, 13. — [4] Ps. LXI, 5. — [5] Ps. LXXVII, 36. — [6] Psal. XXX, 19. — [7] Psal. XI, 4. — [8] Hebr. VIII, 1.

» specie hominum. Homo in plaga et dolore positus, et » sciens ferre infirmitatem : quia aversa est facies ejus, de» specta, et non reputata. Iste peccata nostra portat, et pro » nobis dolet; et nos reputavimus eum esse in labore, et in » plaga, et in afflictione : ipse autem vulneratus est, propter » peccata nostra, et infirmatus est, propter iniquitates nos» tras. Disciplina pacis nostræ super eum; livore ejus nos » sanati sumus. Omnes quasi oves erravimus; homo in via » sua erravit, et Dominus tradidit eum propter iniquitates » nostras; et ipse propter afflictionem non aperit os. Sicut » ovis ad victimam ductus est, et sicut agnus coram ton» dente se mutus, sic non aperit os suum. In humilitate ju» dicium ejus sublatum est : generationem ejus quis enar» rabit? Quia tollitur de terra vita ejus; ab iniquitatibus » populi mei venit ad mortem. Et dabo pessimos pro sepul» tura ejus, et divites pro morte illius. Quia iniquitatem » non fecit, neque dolus inventus est in ore ejus : et Domi» nus vult mundare eum plagis. Si dederitis *pro peccato*, » anima vestra videbit semen longævum. Et Dominus vult » auferre de dolore animam ejus, ostendere ei lucem, et » formare intelligentia, justificare justum bene servientem » multis : et peccata eorum ipse portabit. Propterea ipse » possidebit multos, et fortium dividet spolia : pro eo quod » tradita est ad mortem anima ejus, et in iniquis reputatus » est : et ipse peccata multorum tulit, et propter iniquita» tes eorum traditus est[1]. » Et rursus ipse dicit : « Ego autem » sum vermis, et non homo; opprobrium hominum, et ab» jectio plebis. Omnes qui conspiciebant me, subsannave» runt me, locuti sunt labiis, moverunt caput : Speravit in » Dominum, eruat eum; salvum faciat eum, quoniam vult » eum[2]. » Cernitis, viri cari, quod exemplar nobis datum

[1] Is. LIII, 1. — [2] Psal. XXI, 7.

sit : nam si Dominus adeo humiliter se gessit, quid faciemus nos qui sub jugum gratiæ ejus venimus [1] ?

XVII. Imitatores etiam simus eorum qui in *pellibus* caprinis et melotis [2] prædicantes Christi adventum, ambulaverunt : dicimus autem prophetas Eliam, et Elisæum, adhuc et Ezechielem; ac præterea eos qui in Scripturis laudem consecuti sunt. Magno testimonio ornatus est Abrahamus, et *Dei amicus* vocatus est [3] : hic autem intente respiciens ad gloriam Dei, humiliter ait : *Ego autem sum terra et cinis* [4]. Adhuc autem et de Jobo ita scriptum est : « Jobus erat justus et sine crimine, verax, colens Deum, abstinens ab omni malo [5] : » sed ille seipsum accusans dicit : « Nemo mundus a sorde, etsi unius diei sit vita ejus [6]. » Moyses fidelis in tota domo ejus nuncupatus est [7]; per cujus ministerium, visum est Deo Judæos liberare a suis plagis et contumeliis : sed et ille, magno honore affectus, grandia locutus non est; immo, cum e rubo datum esset illi oraculum, dixit : « *Quis sum ego, quod me mittis ?* Ego vero sum gracili voce et tarda *lingua* [8] : » Et iterum ait : « Ego autem sum vapor ex olla. »

XVIII. Quid vero dicemus de Davide, qui testimonium laudis reportavit, ad quem dixit Deus : « Inveni hominem secundum cor meum, Davidem filium Jessæi : in oleo sancto unxi eum [9] ? » atqui ille etiam dicit ad Deum : « Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam; et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate mea; et a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco; et peccatum meum coram me est semper. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci : ut

[1] 1 Pet. II, 21. — [2] Heb. XI, 37. — [3] Is. XLI, 8; Jac. II, 23. — [4] Gen. XVIII, 27. — [5] Job. I, 1. — [6] Job. XIV, 4, apud LXX. — [7] Num. XII, 7; Hebr. III, 2. — [8] Exod. III, 11, et IV, 10. — [9] Ps. LXXXVIII, 21; Act. XIII, 22.

» justificeris in sermonibus tuis, et vincas, cum judicaris.
» Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum; et in peccatis
» concepit me mater mea. Ecce enim veritatem dilexisti:
» incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Asper-
» ges me hyssopo, et mundabor : lavabis me, et super ni-
» vem dealbabor. Audire me facies exsultationem et læti-
» tiam : exsultabunt ossa humiliata. Averte faciem tuam a
» peccatis meis; et omnes iniquitates meas dele. Cor mun-
» dum crea in me Deus; et spiritum rectum innova in vis-
» ceribus meis. Ne projicias me a facie tua; et spiritum
» sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiam sa-
» lutaris tui; et spiritu principali confirma me. Docebo ini-
» quos vias tuas; et impii convertentur ad te. Libera me de
» sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ; exsultabit lingua
» mea justitiam tuam. Domine, os meum aperies; et labia
» mea annuntiabunt laudem tuam. Quoniam si voluisses sa-
» crificium, dedissem utique; holocaustis *non delectabe-*
» *ris.* Sacrificium Deo spiritus contribulatus: *cor contritum*
» et humiliatum Deus non despiciet[1]. »

XIX. Talium igitur ac tantorum, adeoque laudatorum humilitas, et verecundia per obedientiam, non tantum nos, sed anteriores ætates, meliores fecit; eosque qui in timore et veritate eloquia ejus susceperunt. Multorum itaque magnorumque ac illustrium gestorum participes facti, recurramus ad pacis scopum nobis ab initio traditum; et figamus oculos in patrem et creatorem totius mundi; atque illius magnificis et exsuperantibus donis pacis, ac beneficiis hæreamus : cogitatione contemplemur eum, et animi oculis intueamur in æquanimam illius voluntatem : consideremus quo modo erga omnem creaturam suam sit lenis et facilis.

XX. Cœli gubernatione ejus commoti, in pace ei subji-

[1] Ps. L, 1.

ciuntur. Dies et nox, ab illo ordinatum cursum perficiunt; nec eapropter sibi mutuo impedimento sunt. Sol et luna, ac siderum chori, secundum ejus mandatum, in concordia, sine ulla transgressione, sibi constitutos orbes evolvunt. Terra gravida, juxta voluntatem illius, suis temporibus, plurimum cibum hominibus ac feris omnibusque quæ in ea sunt animantibus producit; non contendens, nec mutans quidquam eorum quæ ab illo decreta sunt. Abyssorum, quæ investigari non possunt, et inferorum, quæ enarrari nequeunt, judicia eisdem mandatis continentur. Immensi maris capacitas per ordinationem ejus in cumulos coagmentata, non transgreditur quæ ipsi circumposita sunt claustra; sed prout ei præcepit, ita facit[1]. Dixit enim : « Hucusque venies, » et fluctus tui in te comminuentur[2]. » Oceanus hominibus impermeabilis, et qui post ipsum sunt mundi, eisdem Domini dispositionibus gubernantur. Tempestates vernæ, æstivæ, autumnales et hiemales, in pace aliæ aliis succedunt. Ventorum libramina proprio tempore munus suum sine offendiculo obeunt[3]. Fontes etiam perennes, ad usum et sanitatem creati, ubera sua indesinenter ad hominum vitam præbent. Denique animalia minima, cœtus suos in concordia et pace faciunt. Hæc omnia magnus opifex, et rerum omnium Dominus, in pace et concordia fieri jussit; omnibus benefaciens; superabundanter autem nobis, qui ad miserationes ejus confugimus, per Dominum nostrum Jesum Christum; cui gloria et majestas in sæcula sæculorum. Amen.

XXI. Videte, dilecti, ne beneficia ejus plurima omnibus nobis in condemnationem cedant, nisi digne illo viventes, bona et placita in conspectu ejus fecerimus concorditer. Dicit enim alicubi : « Spiritus Domini, lucerna scrutans se» creta ventris[4]. » Consideremus quod prope est[5], et quod

[1] Gen. I, 9, 10. — [2] Job. XXXVIII, 11. — [3] Job. XXVIII, 25. — [4] Prov. XX, 27. — [5] Philipp. IV, 5.

nihil latet ipsum, tum cogitationum nostrarum, tum ratiocinationum quas facimus. Æquum igitur est, ut ab ejus voluntate non simus transfugæ. Homines stultos, insipientes, elatos, et gloriantes in sermonis sui jactantia, offendamus, potius quam Deum. Dominum Jesum Christum, cujus sanguis pro nobis datus est, veneremur. Præpositos nostros revereamur; seniores nostros honoremus; juvenes doceamus disciplinam timoris Dei. Uxores nostras ad id quod bonum est corrigamus; amabiles castitatis mores ostendant; simplicem ac sinceram mansuetudinis suæ voluntatem demonstrent; linguæ suæ moderationem silentio manifestam faciant; charitatem suam, non secundum animi propensiones, sed omnibus qui sancte Deum timent, æqualem exhibeant. Liberi nostri disciplinæ Christi participes sint; discant quid humilitas apud Deum valeat, quid casta charitas apud Deum possit, quo modo timor ejus bonus est ac magnus, et servans omnes qui in ipso sancte versantur in pura mente. Scrutator enim est cogitationum et consiliorum mentis : cujus spiritus est in nobis; et cum voluerit, auferet eum.

XXII. Hæc autem omnia confirmat fides quæ est in Christo. Ipse etenim per Spiritum sanctum ita nos compellat : « Venite filii, audite me; timorem Domini docebo » vos. Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? » Contine linguam tuam a malo; et labia tua, ne loquantur » dolum. Declina a malo, et fac bonum : quære pacem, et » persequere eam. Oculi Domini super justos, et aures ejus » in preces eorum : vultus autem Domini super facientes » mala; ut perdat de terra memoriam eorum. Clamavit jus» tus, et Dominus exaudivit eum, et ex omnibus tribulatio» nibus liberavit eum [1]. Multa flagella peccatoris : sperantes » autem in Domino misericordia circumdabit [2]. »

XXIII. Misericors omnino et beneficus Pater, viscera

[1] Ps. XXXIII, 12-20. — [2] Ps. XXXI, 10.

erga timentes eum habet; gratiasque suas benigne et suaviter largitur iis qui ad ipsum simplici mente accedunt. Quare ne dubii animo simus, neque hæsitet anima nostra super eximiis et splendidis ejus muneribus. Longe a nobis sit Scriptura illa, ubi dicit: «Miseri sunt qui animo sunt » duplices et incerti, qui dicunt: Hæc audivimus etiam a » patribus nostris; et ecce consenuimus, et nihil horum no» *bis* accidit[1].» O amentes, comparate vos arbori: vitem sumite: primum quidem frondes defluunt; inde in ea fit germen, postea folium, dehinc flos, et post hæc acerba uva et immatura, denique uva perfecta et matura. Videtis quod in exiguo tempore ad maturitatem pervenit fructus arboris: in veritate, brevi et subito perficietur voluntas ejus; Scriptura etiam testimonium perhibente, quod «protinus veniet » Dominus ad templum suum, et sanctus quem vos expec» tatis[2].»

XXIV. *Consideremus*, dilecti, quemadmodum Dominus *continue* nobis ostendat resurrectionem quæ futura est; cujus primitias fecit Dominum Jesum Christum, suscitans eum a mortuis. Intueamur, dilecti, quæ omni tempore fit resurrectionem. Dies et nox resurrectionem nobis declarant: cubat nox, exsurgit dies; dies abit, nox advenit[3]. Respiciamus fruges sementis; quo modo fiat omnibus obvium est: egressus est seminator, et semen in terram jecit; atque jactis seminibus, quæ arida et nuda ceciderunt in terram, tempore dissolvuntur; et post dissolutionem, magna providentiæ Domini virtus resuscitat ea; ac ex uno, multum fructum profert et accumulat.

XXV. Contemplemur signum mirabile, quod in Orientalibus locis, scilicet in Arabia fit. Avis quippe est quæ vocatur Phœnix: hæc singularis et unigena existens, annos

[1] Jac. I, 8, et IV, 8; 2 Pet. III, 3, 4; et Is. V, 19. — [2] Mal. III, 1. — [3] 1 Cor. XV.

vivit quingentos : cumque jam morte dissolvenda est, loculum sibi conficit e thure, mirrha et reliquis aromatibus, quem completo tempore ingreditur, et obit : ex carne vero ejus putrefacta, vermis quidam nascitur, qui animalis defuncti humore nutritus, plumescit; deinde fortior factus, loculum illum in quo antecessoris ossa reposita sunt, sustollit; eaque portans, ex Arabica regione ad Ægyptum et urbem quæ dicitur Heliopolis vergit; et interdiu, spectantibus omnibus advolans, super altare Solis illa collocat; atque ita retrorsum proripit se. Itaque sacerdotes commentarios temporum diligenter inspiciunt, et inveniunt avem impleto anno quingentesimo venisse.

XXVI. An magnum igitur et admirabile esse arbitramur, si omnium rerum Opifex resurgere faciat eos qui sancte et in bonæ fidei confidentia servierunt illi, ubi etiam per volucrem nobis ostendit promissionis suæ magnificentiam? Dicit enim : *Et suscitabis me, et confitebor tibi*[1]. Et : « Dormivi et soporatus sum; exsurrexi, quia tu mecum es[2]. » Ac rursum Jobus dicit : « Et resuscitabis carnem meam hanc, quæ omnia hæc perpessa est[3]. »

XXVII. Hac igitur spe, animi nostri ad eum adstringantur qui fidelis est in promissionibus, et justus in *judiciis*. Qui ne mentiamur præcepit, multo magis ipse non mentietur. Nihil quippe Deo impossibile, præterquam mentiri. Exsuscitetur itaque in nobis fides ejus; et cogitemus quod omnia ipsi propinqua sunt. In verbo magnificentiæ suæ constituit omnia, et in verbo potest illa evertere. « Quis dicet ei : Quid fecisti? aut quis resistet virtuti fortitudinis ejus[4]? » Cum voluit atque ut voluit, omnia condidit; neque quidquam ab eo decretum, præteribit[5]. Universa coram ipso sunt, nihilque consilium ejus latet. *Si*

[1] Ps. XXVII, 7. — [2] Ps. III, 6. — [3] Job. XIX, 25, 26. — [4] Sap. XII, 12, et XI, 22. — [5] Matth. XXIV, 35.

« cœli enarrant gloriam Dei; opus autem manuum ejus annuntiat firmamentum : *si* dies diei eructat verbum, et » nox nocti annuntiat scientiam : *et* non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum [1]. »

XXVIII. Cum omnia igitur videantur et audiantur, timeamus eum; et pravorum operum impuras cupiditates relinquamus, ut illius misericordia a futuris judiciis tegamur. Quo enim nostrum aliquis a potente ejus manu fugere potest? Qualis autem mundus suscipiet quempiam ab eo transfugientem? Dicit namque Scriptura alicubi : « Quo » ibo, et quo abscondar a facie tua? Si ascendero in cœ» lum, tu es illic : si abiero ad extrema terræ, illic est » dextera tua : si divertero in abyssos, illic est spiritus » tuus [2]. » Quo igitur abibit quispiam, vel quo aufugiet, ab eo qui omnia complectitur?

XXIX. Accedamus ergo ad eum in sanctitate animæ, castas et impollutas manus elevantes ad illum [3], diligentes benignum et misericordem patrem nostrum, qui nos electionis partem fecit sibi. Sic enim scriptum est : « Quando divisit Al» tissimus gentes, quando disseminavit filios Adæ; constituit » terminos gentium secundum numerum Angelorum : factus » est pars Domini, populus ejus, Jacob; funiculus hæreditatis » ejus, Israel [4]. » Et in alio loco ait : « Ecce Dominus accipit » sibi gentem a medio gentium; sicut homo accipit primitias » areæ suæ : et ex gente illa egredientur sancta sanctorum [5]. »

XXX. Cum igitur sancti pars simus, faciamus omnia quæ ad sanctitatem pertinent; vitantes obtrectationem, impuros ac impudicos complexus, ebrietates et insolentias, et abominandas cupiditates, detestandum adulterium, execrabilem superbiam. « Deus enim, inquit, superbis resis» tit; humilibus autem dat gratiam [6]. » Agglutinemur ergo

[1] Ps. XVIII, 2. — [2] Ps. CXXXVIII, 7. — [3] I Tim. II, 8. — [4] Deut. XXXII, 8. — [5] Deut. IV, 34; Num. XVIII, 27; Ezech. XLVIII. — [6] Jac. IV, 6; I, Pet. V, 5.

ad eos quibus gratia a Deo concessa est. Induamus concordiam; humiles, continentes, ab omni susurro et obtrectatione procul recedentes[1], operibus non verbis justi effecti. Dicit enim: « Qui multa dicit, et vicissim audiet: aut » loquax videtur esse justus? Benedictus natus mulieris, » brevis vitæ. Ne multus sis in verbis[2]. » Laus nostra in Deo sit, et non a nobis ipsis[3]: odit enim Deus eos qui semetipsos prædicant. Testimonium boni operis nostri ab aliis exhibeatur nobis, sicut exhibitum est patribus nostris, viris justis. Temeritas et arrogantia et audacia, maledictis a Deo; moderatio autem et humilitas et mansuetudo, apud illos qui a Deo benedicti sunt.

XXXI. Ejus igitur benedictioni firmiter adhæreamus; et videamus quænam sint benedictionis viæ. Animo repetamus quæ ab initio facta sunt. Cujus gratia pater noster Abrahamus benedictus fuit? nonne quia justitiam et veritatem per fidem operatus fuerat[4]? Isaacus cum confidentia quod futurum erat cognoscens, libenter factus est sacrificium. Jacobus in humilitate, dum fratrem fugit, secessit de terra sua, et profectus est ad Labanem, et servivit: et data sunt ei duodecim sceptra (*hoc est, duodecim tribus*) Israelis[5].

XXXII. Si quis sigillatim et distincte consideraverit, donorum quæ per eum concessa sunt magnificentiam agnoscet. Ab illo enim orti sunt omnes sacerdotes ac levitæ, qui altari Domini ministrant: ab illo Dominus Jesus, secundum carnem: ab illo reges, et principes, et duces, propter Judam: nec reliquæ ejus tribus in parvo honore sunt; utpote Deo promittente: « Erit semen tuum tanquam stellæ cœli[6]. » Ii ergo omnes gloriam et amplitudi-

[1] 2 Cor. XII, 20. — [2] Job. XI, 2. — [3] 2 Cor. X, 17, 18; Rom. II, 29. — [4] Jacob. II, 21. — [5] 3 Reg. XI, in LXX. — [6] Gen. XXVIII, XV, et XXII.

nem consecuti sunt, non per seipsos, aut opera sua, aut justas actiones quas fecerunt; sed per voluntatem ejus. Et nos igitur ex voluntate illius in Christo Jesu vocati, non per nos ipsos justi efficimur, neque per sapientiam nostram, aut intelligentiam, aut pietatem, aut opera quæ in cordis sanctitate operati sumus; sed per fidem, per quam cunctos qui unquam justi fuerunt justificavit Deus omnipotens; cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

XXXIII. Quid igitur faciemus, fratres? Cessabimus a bonis operibus, et charitatem derelinquemus? Neutiquam hoc a nobis fieri permittat Dominus : sed cum diligentia et alacritate, festinemus omne opus bonum perficere. Ipse namque opifex et Dominus omnium in operibus suis exsultat. Cœlos enim suprema sua et maxima potentia stabilivit, illosque incomprehensibili sua sapientia ornavit. Terram quoque ab aqua quæ illam ambit, separavit, et tanquam stabilem turrim, propriæ voluntatis fundamento firmavit : et animalia quæ in illa versantur, jussu suo præcepit esse. Mare etiam, et quæ in illo vivunt animalia, cum prius creasset, sua potentia inclusit. Præ omnibus, animal excellentissimum et intellectus ergo maximum, hominem, sacris et inculpatis manibus formavit, imaginis suæ characterem. Ita enim ait Deus : «Faciamus hominem ad imaginem et ad similitudinem nostram. Et fecit Deus hominem : masculum et feminam fecit eos[1].» Hæc igitur omnia cum perfecisset, laudavit ea, et benedixit, dixitque : *Crescite et multiplicamini*[2]. Videamus, quod in bonis operibus ornati fuerunt omnes justi. Et ipse ergo Dominus, cum se operibus decorasset, gavisus est. Habentes itaque hoc exemplar[3], impigre ad voluntatem ejus accedamus; ex totis viribus nostris operemur opus justitiæ.

XXXIV. Bonus operarius, cum fiducia panem operis

[1] Gen. I, 26, 27. — [2] Gen. I, 28. — [3] 1 Petr. II, 21.

sui accipit : segnis vero et remissus locatorem suum non obtuetur. Oportet ergo nos ad bonum faciendum promptos esse : ex hoc enim omnia constant. Quippe nobis prædicit : «Ecce Dominus, et merces ejus coram illo; ut reddat uni» cuique secundum opus suum[1]. » Itaque nos ex toto corde hortatur ad hoc, ne segnes et desides simus ad omne opus bonum. Gloriatio nostra et fiducia in ipso sit : voluntati ejus subjiciamur : attendamus ad universam Angelorum ejus multitudinem; quo modo assistentes, voluntati ejus ministrent. Dicit enim Scriptura : «Dena millia denum mil» lium assistebant ei; et mille millia deserviebant ei[2]. Et cla» mabant : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Sabaoth : » plena est omnis creatura gloria ejus[3]. » Et nos ergo concorditer in unum congregati, communi consensu tanquam ex uno ore ad ipsum clamemus totis viribus, ut participes fiamus magnarum et inclytarum promissionum ejus. Dicit enim : «Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis » ascendit, quanta præparavit eum exspectantibus[4]. »

XXXV. Quam beata sunt et mirabilia dona Dei, dilecti! vita in immortalitate, splendor in justitia, veritas in libertate, fides in confidentia, continentia in sanctitate; et hæc omnia sub intellectum nostrum cadunt. Quænam igitur sunt quæ præstolantibus apparantur? Sanctissimus opifex et pater sæculorum, quantitatem et pulchritudinem excellentiamque illorum cognoscit. Nos igitur summo studio contendamus in numero exspectantium eum reperiri, ut participes fiamus donorum repromissorum. Quo modo autem eveniet istud, dilecti? Si mens nostra in Deum fide stabilita fuerit : si placita illi et accepta exquisiverimus : si perfecerimus quæ ad inculpatam ejus voluntatem pertinent, et secuti fuerimus viam veritatis; abjicientes a nobis

[1] Is. XL, 10, et LXII, 11; Apoc. XXII, 12; Psal. LXI, 13. — [2] Dan. VII, 10. — [3] Is. VI, 3. — [4] 1 Cor. II, 9; Is. LXIV, 4.

omnem injustitiam et iniquitatem, avaritiam, contentiones, malignitates et fraudes, susurros et obtrectationes, odium Dei, superbiam et ostentationem, inanem gloriam atque amorem vanitatis [1]. Qui enim ista faciunt, odiosi Deo sunt : neque solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt illis. Dicit enim Scriptura : « Peccatori autem dixit » Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testa» mentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, » et projecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, » currebas cum eo : et cum adulteris portionem tuam po» nebas. Os tuum abundavit malitia; et lingua tua concin» nabat dolos. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris; » et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum. Hæc » fecisti, et tacui; suspicatus es iniquitatem, quod ero tibi » similis. Arguam te, et statuam te contra faciem tuam. » Intelligite utique hæc, qui obliviscimini Deum; ne quan» do rapiat sicut leo, et non sit qui eripiat. Sacrificium lau» dis honorificabit me; et illic iter quo ostendam illi salu» tare Dei [2]. »

XXXVI. Hoc est iter, charissimi, in quo salutare nostrum invenimus, Jesum Christum, pontificem oblationum nostrarum, infirmitatis nostræ patronum et auxiliatorem [3]. Per hunc in cœlorum altitudines oculos defigemus; per hunc immaculatum et supremum illius vultum speculabimur; per hunc oculi cordis nostri aperti sunt : per hunc insipiens et obscurata mens nostra in admirabilem ejus lucem repullulat : per hunc voluit Dominus ut immortalem cognitionem gustaremus : qui cum sit splendor majestatis ejus, tanto major est Angelis, quanto excellentius nomen sortitus est [4]. Ita quippe scriptum est : « Qui facit Angelos » suos spiritus, et ministros suos flammam ignis [5]. » De Filio

[1] 2 Cor. XII, 20; Rom. I, 29. etc. — [2] Ps. XLIX, 16. — [3] Hebr. II, etc. et IV, 15. — [4] Hebr. I, 3,4. — [5] Ps. CIII, 4; Hebr. I, 7.

autem suo sic dixit Dominus : « Filius meus es tu; ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ [1]. » Et iterum dicit ad eum : « Sede a dextris meis; donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum [2]. » Quinam sunt inimici ejus? qui pravi sunt, quique divinæ voluntati suam voluntatem opponunt.

XXXVII. Militemus igitur, viri fratres, omnibus viribus in irreprehensis ejus præceptis. Consideremus eos qui sub ducibus nostris merent, quemadmodum ordinate, quam strenue, quo modo submisse imperata exsequantur. Non omnes sunt præfecti, neque tribuni, neque centuriones, neque quinquaginta militum præfecti, neque consequentium graduum; sed unusquisque in suo ordine, ab imperatore et ducibus mandata peragit. Magni sine parvis consistere nequeunt, neque parvi sine magnis : necessitudo quædam et temperatio in omnibus existit, ac in his usus. Sumamus corpus nostrum [3] : caput absque pedibus nihil est, sic neque pedes absque capite : minima autem corporis nostri membra, necessaria et utilia sunt toti corpori : tum universa conspirant, et ad conservationem totius una subjectione utuntur.

XXXVIII. Servetur itaque totum corpus nostrum in Christo Jesu; et unusquisque proximo suo subjiciatur, juxta gratiæ donum ipsi assignatum [4]. Fortis ne contumelia afficiat imbecillem; imbecillis vero fortem revereatur : dives pauperi largiatur; pauper vero gratias agat Deo, quod ei dederit per quem inopia ejus suppleatur : sapiens ostendat sapientiam suam, non in verbis, sed in bonis operibus : humilis non sibi testimonium ferat; sed sinat ut alter ipsi perhibeat testimonium : qui carne castus est, ne insolescat, sciens alium esse qui ei continentiam donat. Reputemus

[1] Psal. II, 7. — [2] Psal. CIX, 1. — [3] 1 Cor. XII. — [4] 1 Pet. V, 5.

ergo, fratres, ex qua materia creati simus; qui et quales in mundum ingressi simus, tanquam e sepulcro et tenebris: Auctor et opifex noster in mundum suum nos introduxit, præparatis ante quam nasceremur benefactis suis. Hæc igitur omnia ab eo habentes, in omnibus gratias ipsi agere debemus; cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

XXXIX. Stulti et insipientes et fatui et imperiti derident nos ac subsannant, dum cogitationibus suis se extollere cupiunt. Quid enim potest mortalis; aut quale robur est terrigenæ? Scriptum enim est: « Non erat figura ante » oculos meos : sed auram et vocem audiebam. Quid » enim? numquid homo coram Domino mundus erit; vel » de operibus suis inculpabilis vir[1]? Si in servis suis non » credit, et adversus Angelos suos pravum quid advertit; » cœlum autem non est mundum coram eo[2]: hem vero, » qui habitant domos luteas, ex quibus et ipsi de eodem » luto sumus? Percussit illos tanquam tinea, et a mane » usque ad vesperam ultra non sunt; eo quod non possent » sibi ipsis subvenire, perierunt: insufflavit eis, et interie» runt; quia non habebant sapientiam[3]. Invoca autem, si » quis tibi respondeat; vel si quem sanctorum Angelorum » aspicies: etenim stultum perimit ira; errantem autem » occidit zelus. Ego autem vidi stultos radicem mitten» tes; sed statim absumpta est illorum habitatio. Longe » fiant filii eorum a salute; conterantur super januas mi» norum, et non erit qui eripiat. Quæ enim ab illis parata » sunt, justi comedent, ipsi vero de malis non libera» buntur[4]. »

XL. Cum ergo hæc nobis manifesta sint, etiam in divinæ cognitionis profunda introspicientes, cuncta ordine debemus facere, quæ nos Dominus jussit peragere. Statutis temporibus oblationes et officia perfici, neque temere vel

[1] Job. IV, 16. — [2] Job. XV, 15. — [3] Job. IV, 19. — [4] Job. V.

inordinate fieri præcepit, sed præfinitis temporibus et horis : ubi etiam et a quibus celebrari vult, ipse excelsissima sua voluntate definivit; ut pure et sancte omnia facta in beneplacito, accepta essent voluntati ejus. Qui ergo assignatis temporibus oblationes suas faciunt, accepti et beati sunt : nam qui sequuntur leges Domini, non aberrant. Summo quippe sacerdoti sua munia tributa sunt; et sacerdotibus locus proprius assignatus est; et levitis sua ministeria incumbunt; homo laicus præceptis laicis constringitur.

XLI. Unusquisque vestrum, fratres, in suo statu gratias Deo habeat, in bona conscientia degens, non transgrediens præscriptam muneris sui regulam, in honestate. Non ubique, fratres, offeruntur sacrificia jugia, vel votiva, vel pro peccato et delicto, sed Hierosolymis tantum; atque illic non in omni loco fit oblatio, sed ante templum ad altare; prius facta a summo sacerdote et prædictis ministris, oblati inspectione ac probatione. Qui ergo, præter id quod voluntati ejus consentaneum est, aliquid faciunt, morte mulctantur. Videtis, fratres; quo majori cognitione digni sumus habiti, eo periculo magis obnoxii sumus.

XLII. Apostoli nobis evangelizaverunt a Domino Jesu Christo; Jesus Christus a Deo. Missus igitur est Christus a Deo, et Apostoli a Christo : et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis, et certo persuasi per resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, et in fide confirmati per verbum Dei cum sancti Spiritus plenitudine ac securitate[1], egressi sunt, annuntiantes adventurum esse regnum Dei. Prædicantes igitur, per regiones ac urbes, primitias earum, spiritu cum probassent, in episcopos et diaconos eorum qui credituri erant, constituerunt. Neque hoc nove : a multis enim temporibus de episcopis et diaconis scriptum fuerat. Sic enim alicubi dicit

[1] 1 Thess. 1, 5.

Scriptura : « Constituam episcopos eorum in justitia, et » diaconos eorum in fide[1]. »

XLIII. Et quid mirum, si quibus in Christo commissum est a Deo hoc munus, prædictos constituerint? quandoquidem et beatus Moyses, *fidelis famulus in tota domo*[2]; qui omnia quæ ipsi mandata erant in sacris libris annotavit; quemque secuti sunt reliqui Prophetæ, testimonium pariter legibus illius præbentes. Ille namque, cum æmulatio pro sacerdotio incidisset[3], ac tribus inter se dissentirent quænam illarum glorioso eo nomine ornata esset, jussit ut duodecim principes tribuum afferrent sibi virgas, quæ uniuscujusque tribus virgæ nominatim essent inscriptæ: hasque acceptas ligavit, et annulis eorum principum obsignavit; atque illas deposuit in tabernaculo testimonii super mensam Dei : et clauso tabernaculo, claves juxta et virgas signavit; ac dixit illis : Viri fratres, cujus tribus virga germinaverit, hanc elegit Deus ut ipsi sacra faciat et ministret. Mane autem exorto, convocavit universum Israelem, *sexcenta millia virorum*[4] : et sigilla principibus tribuum ostendit, et aperuit tabernaculum testimonii, protulitque virgas : et inventa est virga Aaronis non tantum germinasse, sed et fructum habere. Quid censetis, dilecti? An non id futurum præsciverat Moyses? Maxime noverat : verum ne seditio inter Israelitas oriretur, ita instituit, ut glorificaretur nomen veri et solius Dei; cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

XLIV. Et Apostoli nostri cognoverunt per Dominum nostrum Jesum Christum, quod futura esset contentio de nomine episcopatus : ob eam ergo causam, accepta perfecta præcognitione, constituerunt supradictos, et deinceps futuræ successionis regulam tradiderunt; ut cum illi decederent, ministerium eorum ac munus alii viri probati ex-

[1] Is, LX, 17. — [2] Hebr. III, 5. — [3] Num. XVII. — [4] Num. XI, 21.

decus, animadvertite. Turpia sunt, dilecti, ac valde turpia, et christiana conversatione indigna, audiri, firmissimam et antiquam Corinthiorum ecclesiam, propter unum aut alterum hominem contra presbyteros seditionem movere. Atque is rumor non tantum ad nos pervenit, sed ad eos quoque qui a nobis alieni sunt animo et sententia[1]; adeo ut propter vestram insipientiam, etiam blasphemiæ et convicia nomini Domini inferantur, vobis autem periculum creetur.

XLVIII. Auferamus igitur hoc celeriter, et Domino accidamus, et plangamus orantes eum, ut propitius factus, reconcilietur nobis, atque in decoram et castam fraterni amoris viam nos reducat et restituat. Hæc enim est porta justitiæ, ad vitam aperta; sicut scriptum est : « Aperite » mihi portas justitiæ; ingressus in eas, confitebor Domino. » Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam[2]. » Cum ergo multæ portæ apertæ sint, quæ in justitia est, eadem et in Christo est; in quam beati omnes qui intrarint, et iter suum in sanctitate ac justitia direxerint, omnia impertur-bate peragentes. Sit aliquis fidelis, sit potens in enarranda cognitione, sit sapiens in sermonum justa dijudicatione, sit in operibus purus : tanto humilior esse debet, quo major esse videtur; et quærere quod omnibus utile est, non autem suum.

XLIX. Qui charitatem in Christo habet, servet Christi mandata. Vinculum charitatis Dei quis potest enarrare? Magnificentiam bonitatis ejus quis, prout oportet, eloqui valet? Altitudo ad quam evehit charitas inenarrabilis est[3]. Charitas nos Deo agglutinat; charitas operit multitudinem peccatorum; charitas omnia tolerat, omnia æquo animo fert: in charitate nihil sordidum, nihil superbum : charitas schisma non habet; charitas seditionem non concitat : charitas omnia

[1] Rom. II, 24, et I Tim. VI, I. — [2] Psal. CXVII, 19. — [3] Col. III, 14.

facit in concordia : in charitate omnes Dei electi perfecti sunt facti : sine charitate nihil acceptum est Deo[1] : in charitate nos assumpsit Dominus; propter charitatem quam erga nos habuit, Christus Dominus noster ex voluntate Dei sanguinem suum pro nobis tradidit, et carnem pro carne nostra, et animam pro animabus nostris[2].

L. Videtis, charissimi, quam magna et admirabilis res sit charitas, et quod perfectio ejus nequeat explicari. Quis idoneus est ut in ipsa inveniatur, præter eos quos Deus dignos esse voluerit? Oremus igitur et petamus digni haberi ut in charitate vivamus, citra humanam propensionem, et inculpabiles[3]. Generationes omnes ab Adamo usque in hodiernum diem præterierunt; at qui per Christi gratiam consummati sunt in charitate, habent locum piorum; qui manifestabuntur in visitatione regni Christi. Scriptum enim est : « Ingredere in cubicula tua paululum quantulumcumque, donec pertranseat *ira et excandescentia mea. Et recordabor diei boni, et suscitabo vos e loculis vestris*[4]. » Beati *sumus, dilecti,* si præcepta Domini in charitatis concordia fecerimus, ut per charitatem remittantur nobis peccata nostra. Scriptum quippe est : « Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum, nec est in ore ejus dolus[5]. » Hæc beatitudo contigit electis a Deo per Jesum Christum Dominum nostrum; cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

LI. Quotquot igitur per quemdam adversarii illapsum deliquimus, veniam postulemus : illi vero qui seditionis et dissensionis duces et principes fuerunt, debent communem spem contemplari. Qui enim cum timore ac dilectione vivunt, malunt se in contumelias incidere, quam proximos;

[1] 1 Cor. XIII; 1 Petr. IV, 8. — [2] 1 Joh. III, 16, et IV, 9. — [3] 1 Tim. V, 21. — [4] Is. XXVI, 20. — [5] Ps. XXXI, 1.

et in seipsos potius damnationis sententiam ferunt, quam in pulchram et justam, quæ nobis tradita est, consensionem. Nam melius est homini confiteri de lapsibus et peccatis, quam indurare cor suum; prout induratum est cor eorum qui contra famulum Dei Moysen seditionem fecerunt: quorum condemnatio manifesta fuit; descenderunt enim in infernum vivi, et mors absorpsit eos[1]. Pharao et exercitus ejus, et omnes præfecti Ægypti, currus etiam et equites eorum, non aliam ob causam maris Rubri profundo immersi sunt, et perierunt, quam quod stulta eorum corda indurata fuerint, postquam per famulum Dei Moysen tot tantaque portenta facta fuerint in terra Ægypti[2].

LII. Nullius rei, fratres, indignus est Dominus, nec quidquam desiderat, præterquam ut ei fiat confessio. Ait enim electus David: « Confitebor Domino; et placebit ei super » vitulum novellum, cornua producentem et ungulas. Vi» deant pauperes, et lætentur[3]. » Et iterum dicit: « Immola » Deo sacrificium laudis; et redde Altissimo *vota tua*. Et » invoca me in die tribulationis tuæ : et eruam te; et hono» rificabis me[4]. » Nam « Sacrificium Deo, spiritus contribu» latus[5]. »

LIII. Nostis enim et probe nostis sacras Scripturas, dilecti, et penitius in divina eloquia introspexistis : illa igitur mente et memoria recolite. Cum Moyses in montem ascendisset, et quadraginta dies, noctesque quadraginta, in jejunio ac humilitate transegisset, dixit ad eum Deus: « Surge, » Moyses, descende velociter hinc; quia iniquitatem fecit » populus tuus, quos eduxisti de terra Ægypti : transgressi » sunt cito de via quam mandasti eis; et fecerunt sibi fusi» lia. Et dixit Dominus ad eum: Locutus sum ad te semel et » bis, dicens : Vidi populum hunc, et ecce populus dura

[1] Num. XVI. — [2] Exod. XIV. — [3] Ps. LXVIII, 31. — [4] Ps. XLIX, 14. — [5] Ps. L, 19.

» cervice est; dimitte me exterminare eos; et delebo no» men eorum de sub cœlo; et faciam te in gentem magnam » et mirabilem, et multam magis quam hanc[1]. Dixit autem » Moyses : Neutiquam, Domine; remitte peccatum huic » populo; vel etiam me dele de libro viventium[2]. » O charitatem magnam! o insuperabilem perfectionem! Libere ad Dominum loquitur famulus; remissionem pro plebe postulat, vel seipsum quoque cum eis deleri petit.

LIV. Quis ergo inter vos generosus? quis misericors? quis charitatis plenus? Dicat : Si propter me seditio, et discordia, et schismata; discedo, abeo quocumque volueritis; et facio quæ a plebe mandantur; solum ovile Christi in pace degat, cum constitutis presbyteris. Qui hoc fecerit, sibi magnum decus in Domino comparabit; et omnis locus eum suscipiet. « Domini *enim* est terra, et plenitudo » ejus[3]. » Hæc, qui divinam ac cujus nunquam pœnitet vitam vivunt, fecerunt et facient.

LV. Ut autem etiam Gentium exempla proferamus : multi reges et principes, pestifero tempore sæviente, cum oraculo admoniti essent, seipsos morti tradiderunt, ut cives suo sanguine liberarent. Multi a suis civitatibus, ne seditio duraret, secesserunt. Multos inter nos cognovimus, qui seipsos in vincula conjecerunt, ut alios redimerent. Multi se ipsi in servitutem dederunt, et accepto pretio sui, alios cibarunt. Mulieres complures per gratiam Dei corroboratæ, strenua et virilia multa gesserunt. Beata Juditha, cum urbs obsideretur, rogavit seniores ut sibi liceret in alienigenarum castra transire : ac seipsam periculo tradens, propter charitatem patriæ populique obsessi, egressa est; et Dominus tradidit Olophernen in manu feminæ. Nec minus, cujus perfecta fuit fides, Esthera, periculo se objecit, ut duodecim tribus Israelitarum jam perituras liberaret. Nam in jejunio

[1] Deut. IX, 12. — [2] Ex. XXXII, 32. — [3] Ps. XXIII, 1.

et humilitate precata est omnium effectorem Dominum, Deum sæculorum : qui animi ejus humilitatam cernens, populum liberavit, propter pericula quæ illa adierat.

LVI. Et nos igitur oremus pro eis qui in aliquod peccatum lapsi sunt, ut detur illis moderatio et humilitas; quo non nobis, sed voluntati Dei cedant : sic enim erit ipsis fructuosa et perfecta quæ est apud Deum et sanctos[1], cum misericordia recordatio. Assumamus disciplinam, juxta quam nemo solitus est indignari, dilecti. Admonitio, quam invicem facimus, bona est et apprime utilis : siquidem nos voluntati Dei glutinat. Sic enim ait sacer sermo : « Castigans castigavit me Dominus; et morti non tradidit me[2]. » Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem suscipit[3]. Corripiet *enim* me, inquit, » justus in misericordia, et arguet me : oleum autem peccatorum non impinguet caput meum[4]. » Et iterum dicit : « Beatus homo quem arguit Dominus! monitionem vero » Omnipotentis ne renuas. Ipse enim dolere *facit, et rursus* » restituit : percussit, et manus ejus sanaverunt. Sexies de » necessitatibus eruet te; et in septimo non tanget te ma» lum. In fame liberabit te a morte : in prælio vero, de » manu ferri solvet te : et a flagello linguæ abscondet *te;* » et non timebis a malis ingruentibus : injustos et iniquos » deridebis; et feroces bestias non timebis. Bestiæ enim » feræ pacatæ erunt tibi. Deinde scies quod in pace erit do» mus tua : habitatio autem tabernaculi tui non peccabit. » Scies autem quod multum semen tuum, et filii tui quasi » omnis herba campi : et venies in sepulcrum, tanquam fru» mentum maturum quod in tempore messuerunt; vel sicut » acervus areæ in tempore comportatus[6]. » Videtis, dilecti, protegi eos qui a Domino castigantur : cum enim bonus

[1] Rom. xii, 13. — [2] Ps. cxvii, 18. — [3] Prov. iii, 12. — [3] Ps. cxl, 5. — [6] Job. v, 17.

sit correptor, vult nos sancta sua correctione admoneri.

LVII. Vos ergo qui seditionis fundamenta jecistis, subditi estote presbyteris[1], et in pœnitentiam corripimini; flectentes genua cordis vestri, discite subjici, deponentes arrogantem et superbam linguæ vestræ jactantiam : melius siquidem vobis est, in ovili Christi parvos et probatos inveniri, quam altum sapientes e spe illius ejici. Ita siquidem dicit Sapientia quæ πανάρετος, hoc est, omnem virtutem complectens, vocatur : « Ecce proferam vobis mei spiritus » dictionem; docebo autem vos meum sermonem. Quo» niam vocabam, et non obedistis; et extendebam verba, » et non attendistis : sed irrita fecistis mea consilia; et meis » increpationibus rebelles fuistis. Itaque et ego vestra per» ditione ridebo : gaudebo autem cum venerit vobis inter» itus, et cum advenerit vobis subito tumultus; eversio au» tem similis procellæ affuerit; vel cum venerit vobis » tribulatio et oppressio. Erit enim cum invocabitis me; » ego autem non exaudiam vos : quærent me mali, et non » invenient. Oderunt enim sapientiam; timorem autem » Domini non assumpserunt; neque volebant meis atten» dere consiliis : subsannabant autem meas redargutiones. » Ergo comedent viæ suæ fructus, et sua ipsorum impie» tate saturabuntur[2]......... »

(Desiderantur hic paginæ circiter tres.)

LVIII. Inspector omnium Deus, spirituum Dominus et herus universæ carnis; qui elegit Dominum Jesum Christum, et per eum nos in populum peculiarem[3]; omni animæ quæ invocaverit magnificum et sanctum nomen ejus, det fidem, timorem, pacem, patientiam, æquanimitatem, continentiam, puritatem et temperantiam; ut nomini ejus grata sit; per summum Sacerdotem, et patronum nostrum

[1] 1 Pet. v, 5. — [2] Prov. 1, 23. — [3] Deut. vii, 6.

Jesum Christum[1]: per quem illi gloria, majestas, imperium, honor; et nunc, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

LIX. Missos autem a nobis Claudium, Ephebum, et Valerium, Vitonem cum Fortunato, in pace cum gaudio, ad nos brevi remittite, ut citius optabilem nobisque desideratissimam pacem et concordiam annuntient: quo et nos de vestra tranquillitate ocius gaudeamus. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit vobiscum, et cum omnibus ubique vocatis a Deo, et per ipsum: per quem ei gloria, honor, potentia, majestas, et solium æternum, a sæculis, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Hebr. II, v, etc.

SANCTUS IGNATIUS,

EPISCOPUS ANTIOCHENIS.

S. IGNATII

EPISTOLÆ ET MARTYRIUM.

SANCTUS IGNATIUS,

EPISCOPUS ANTIOCHENUS

ET MARTYR, AN. 107.

GRÆCUS.

SANCTUS IGNATIUS, cognomine *Theophorus*, Θεοφόρος, id est, qui portat Deum, juxta ejus Acta martyrii Sancti Joannis Evangelistæ, juxta S. Gregorium ipsius Petri (lib. IV, ep. 37), juxta denique Constitutionum Apostolicarum auctorem (lib. VII, c. 46), Pauli insuper discipulus, *ab ipsis Apostolis* Petro et Paulo post defunctum *Evodium*, si Chrysostomo (Homil. in S. Ignat.) et Theodoreto (Dial. I) fides, cui assentiunt Athanasius (de Synod.), Origenes (Homil. VI in Lucam), secundus Antiochiæ episcopus consecratus est, quam per quadraginta annos et sapientia prudens administravit, et exemplis sanctus ad virtutem informavit. Domitianæ persecutioni inter quotidiana vitæ pericula mirabiliter superstes, Trajani furorem declinare non potuit. Cum enim ille an. 107 Antiochiam devenisset, jussum ante tribunal stare Ignatium verbis acerbioribus increpavit, et in confessione Christi perseverantem « præcepit vinctum a militi- » bus duci ad magnam Romam, cibum bestiarum » ad populi delectationem futurum. » (Act. mart.)

Longior via, et decem militum, quos ipse *leopardos* propter crudelitatem vocat, crescente in dies sævitia, vix tolerabilis; neque tamen cessabat prædi-

cans ubique verbum Dei, et ecclesias quas prætergrediebatur in sana fide confirmans. Smyrnæ Polycarpo, et ipsi olim sancti Joannis Evangelistæ discipulo colloqui datum, nec non et missos a diversis ecclesiis episcopos verbis simul et exemplis ad christianas virtutes incitare. Imo et ut absentibus non esset inutilis, quatuor scripsit a Smyrna epistolas, primam ad Ephesios, secundam ad Magnetes, tertiam ad Trallenses, de quibus sic Eusebius (lib. III, c. 46 Hist.) : « Cum » per Asiam, sub accuratissima satellitum custodia » duceretur, singularum nihilominus civitatum quas » ingrederetur ecclesias sermonibus et cohortationi» bus suis confirmans, monebat imprimis ut sibi ab » hæresibus maxime caverent, quæ tunc primum fru» tificare ac increscere incipiebant; hortabaturque ut » Apostolorum traditionibus tenaciter inhærerent, » quas ad cautelam scriptis quoque consignare, cum » jamjam martyrium subiturus esset, necessarium » duxit. » Scripsit quoque ad Romanos, ne martyrii coronam vellent præripere. Vitam quasi vestem habebat, ait Chrysostomus, et nihil antiquius erat, quam ea promptius exui.

In qua Epistola hoc maxime, præter animosam cogitationum excellentiam, notandum est, quod inscriptione quadam peculiari ab aliis differat. Sic enim cæteræ omnes incipiunt : Εκκλεσιῃ τῃ ουσῃ εν Εφεσῳ, id est, *Ecclesiæ Ephesi*, *vel Magnesiæ*, *etc.* Epistola autem ad Romanos dirigitur *ad illam quæ in Romanorum regione præsidet :* ητις προκαθηται εν τοπῳ χορου Ρωμαιων, quibus verbis jam ab hoc tempore innuitur divina Ecclesiæ Romanæ auctoritas.

Hinc, relicta Smyrna, pertransiit Troadem, unde ad ecclesias Philadelphiæ et Smyrnæ generales, particularem vero ad S. Polycarpum mittere curavit epistolas, quæ non secus ac aliæ continuis emicant

amoris divini quasi scintillantibus radiis. Romam denique vigesima decembris die ejusdem anni 107 devenit, statimque ad amphitheatrum deductus est, ubi a duobus ita devoratus est leonibus, ut duriora tantum ossa quædam remanerent, quæ a fidelibus excepta, et honorifice asservata, Antiochiæ suis adhuc temporibus devote veneranda prædicabat ipse Chrysostomus (Homil. in Ignat.); nunc autem Romæ coluntur in ecclesia S. Clementis, papæ et martyris. Ejus encomium Chrysostomus celebravit, in quo hoc præcipue notandum : « Cum Apostolis, inquit, strenue versatus est, et fluenta hausit spiritualia. Qualem igitur eum esse par fuit, qui cum illis educatus est, et ubique vixit, et omnium quæ ab illis vel dicta vel non dicta sunt particeps fuit, et tanto principatu dignus ab ipsis est *judicatus? Quid igitur primum persequemur? Apostolorum doctrinam quam in omnibus* exhibuit, an præsentis vitæ contemptum, an virtutis præstantiam qua ecclesiam administravit? Quem laudabimus? martyrem? episcopum? an apostolum? Triplicem enim coronam gratia Spiritus contexuit, qua sanctum illius caput redimivit, imo vero multiplicem.... ex præfecturæ amplitudine, ex ordinantium dignitate, ex difficultate temporum, ex civitatis magnitudine, ex virtute illius qui ei tradidit præfecturam. » (*Ibid.*) Et iterum : « Si quis e fundamentis magnum lapidem eruat, alterum omnino parem in ejus loco conatur constituere, nisi velit totum ædificium concutere, ac debilius reddere : ita cum Petrus Antiochia esset discessurus, alterum Petro parem præceptorem gratia Spiritus substituit, ne structa jam ædificatio successoris imbecillitate debilior fieret. » (*Ibid.*) Sic denique illum cum sole conferendum eleganter asserit : « Sol e superioribus partibus currebat sen-

» sibilem oculis lucem impertiens : Ignatius autem » deorsum splendebat, intelligibile doctrinæ lumen » animis infundens. Et ille quidem in occidentis par» tes descendens absconditur, ac noctem confestim » obducit : hic autem ad occasus partes accedens » splendidius in illis effulsit. » (*Ibid.*)

Omnia Ignatii opera ardentis animi signa, vim amoris divini, quo inflammabatur, ubique spirant. Adeo sublimia cogitat, ut videantur verba deficere. Ubique charitatem in fratres, contemptum sui ipsius, disciplinæ ecclesiasticæ curam, aversionem schismatum, et concordiæ zelum reperies; unde dici merito potest *unitatis Apostolus* (Tillemont, tom. II Hist.). Epistola præsertim ad Romanos tam ignea scintillat et pungit, ut vix sine lacrymis legi possit.

Polycarpus, martyris amicus, quascumque potuit ejus Epistolas adunavit, postulantibus, ut ipse asserit, Phillippensibus. Illis ab Irenæo in Gallias asportatis, nobisque fideliter transmissis, vertente decimo septimo sæculo, obstitit Basnage, non veritatis studio, sed ut destrueretur auctoritas scriptorum quibus damnantur novatorum errores de juribus episcoporum. Inter an. 528 et 580 interpolatæ in versione latina, et in hac fœditate S. Bernardo cognitæ, ad sinceritatem restitutæ sunt ab Usserio (1644) et Vossio (1646) Amstel. et (1680) Londini, ex manuscripto græco bibliothecæ Florentinæ, cui perfecte congruunt quæcumque ab Origene, Athanasio, Eusebio, Hieronymo, Dionysio, Theodoreto, Gelasio et multis aliis testimonia producta fuere. Suppositæ omnium consensu aliæ epistolæ sub nomine Ignatii vulgatæ et a Cotelier in unum collectæ (1672). Duæ ad Joan. Evang. et una ad Mariam virginem cum Deiparæ responsione, nusquam ante an. 1425 reperiuntur. Idem de quibusdam aliis operibus.

Præter illas quas memoravimus editiones, typis mandaverunt Dillingæ, Valentinus Paceus, an. 1557, in-8°, et Joan. Morellus, 1558 et 1562, in-8°; Gesner, Tiguri, 1559, ex variis manuscriptis græcis. Docte annotavit Joan. Pearsonius.

Gallicæ versiones ab iisdem instructæ, quos antea retulimus. Anglicam adornavit, an. 1710, Wake, archiep. Cantuariensis.

SANCTI IGNATII

EPISTOLÆ.

EPISTOLA AD EPHESIOS.

Ignatius, qui et Theophorus, benedictæ in magnitudine Dei Patris, et plenitudine, prædestinatæ ante sæcula, ut esset semper in permanente gloria, immutabilis, unita, et electa, in vera passione, per voluntatem Patris et Jesu Christi Dei nostri; Ecclesiæ merito beatæ, quæ est Ephesi in Asia, plurimam in Jesu Christo et in immaculata gratia salutem.

I. Suscepi vestrum in Deo multum dilectum nomen, quod possidetis natura justa, secundum fidem et charitatem in Jesu Christo Salvatore nostro, cum imitatores sitis Dei; cognatum opus omnibus suis numeris absolvistis, postquam audistis me vinctum a Syria, pro communi nomine et spe, sperantem quod vestris precibus consequar ut Romæ adversus bestias pugnem, quo per martyrium adipisci possim discipulus esse illius qui seipsum pro nobis obtulit Deo oblationem et hostiam. Quandoquidem numerosam multitudinem vestram in nomine Dei suscepi in Onesimo, inenarrabilis charitatis viro, vestro autem in carne episcopo; quem obsecro ut juxta Jesum Christum ametis, utque vos omnes illius similes sitis. Benedictus enim, qui donavit vobis, qui digni estis talem episcopum possidere.

II. De Burrho autem conservo meo[1], et secundum Deum diacono vestro in omnibus benedicto, oro ut permaneat ad honorem vestri et episcopi. Sed et Crocus, et Deo et vo-

[1] Col. I, 7, et IV, 7.

bis dignus, quem exemplar vestræ charitatis accepi, per omnia me recreavit, quo modo et ipsum refrigeret Pater Jesu Christi, una cum Onesimo, Burrho, Euplo, ac Frontone, per quos vos omnes quoad charitatem vidi. Fruar vobis perpetuo, si dignus fuero. Decet itaque vos omnibus modis glorificare Dominum Jesum Christum, qui glorificavit vos, ut in obedientia una « sitis perfecti, eadem mente, » eademque sententia; idemque dicatis de eodem omnes[1], » ut subjecti episcopo et presbyterio, per omnia sanctificati sitis.

III. Non præcipio vobis quasi sim aliquis. Quamvis enim vinctus sum in nomine, necdum tamen perfectus sum in Jesu Christo. Nunc enim incipio discipulus esse; et alloquor vos ut condoctores meos. Nam oportebat me a vobis incitari, fide, admonitione, patientia, æquanimitate. At quando charitas non sinit me tacere de vobis, propterea anteverti vos admonere, ut in Dei sententiam concurratis. Etenim Jesus Christus, inseparabilis nostra vita, *Patris est* sententia; ut et episcopi per terræ terminos definiti, ex Jesu Christi sunt sententia.

IV. Unde decet vos in episcopi sententiam concurrere: quod et facitis. Nam memorabile vestrum presbyterium, dignum Deo, ita coaptatum est episcopo, ut chordæ citharæ. Propter hoc in consensu vestro et concordi charitate, Jesus Christus canitur. Sed et vos singuli chorus este; ut consoni per concordiam, melos Dei recipientes in unitate, cantetis voce una per Jesum Christum Patri; quo et vos audiat, et agnoscat ex iis quæ operamini, membra esse vos Filii ipsius. Utile itaque est, in immaculata unitate vos esse; ut et semper participetis Deo.

V. Si enim ego brevi temporis spatio talem consuetudinem contraxi cum episcopo vestro, quæ non humana sed

[1] 1 Cor. 1, 10.

spiritualis est; quanto vos beatiores judico, conjunctos sic uti Ecclesia Jesu Christo, et Jesus Christus Patri; ut omnia per unitatem consentiant! Nemo erret: nisi quis intra altare sit, privatur pane Dei. Si enim unius atque alterius precatio tantas vires habet; quanto magis illa quæ episcopi est et totius Ecclesiæ! Qui igitur in conventum non venit, hic jam superbia elatus est, et seipsum separavit atque judicavit. Scriptum est enim: *Superbis Deus resistit*[1]. Studeamus igitur episcopo non resistere; ut simus subjecti Deo.

VI. Et quanto quis taciturniorem viderit episcopum, tanto magis eum revereatur. Quemcumque enim paterfamilias mittit ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus ut illum ipsum qui mittit. Manifestum igitur est, quod episcopum respicere oporteat ut ipsum Dominum. Et ipse quidem Onesimus supra modum laudat vestrum decentem divinumque ordinem, quod omnes secundum veritatem vivitis, et quod inter vos nullus est hæresi locus: sed neque auditis aliquem amplius quam Jesum Christum, qui loquitur in veritate.

VII. Solent enim nonnulli malo dolo nomen quidem circumferre, sed patrant quædam indigna Deo: quos oportet vos ut feras evitare; sunt enim canes rabidi, clam mordentes: quos a vobis vitari oportet, ut morbo difficulter curabili laborantes. Medicus autem unus est, et carnalis et spiritualis, genitus et ingenitus *seu* factus et non factus, in homine existens Deus, in morte vita vera, et ex Maria et ex Deo, primum passibilis et tunc impassibilis, Jesus Christus Dominus noster.

VIII. Ne quis igitur vos seducat, sicut nec seducimini: toti namque estis Dei. Cum enim nulla lite implicemini quæ vos discruciare possit, profecto secundum Deum vi-

[1] Prov. III, 34; Jac. IV, 6; et I Pet. V, 5.

vitis. Purgamentum vestri sum, et piaculum efficiar pro vestra Ephesiorum ecclesia, celeberrima in sæculis. Carnales spiritualia exercere nequeunt, neque spirituales carnalia: sicut nec fides quæ incredulitatis sunt, nec incredulitas quæ fidei. Quæ vero et secundum carnem agitis, ea spiritualia sunt. In Jesu enim Christo omnia agitis.

IX. Novi autem nonnullos illic transiisse, qui habent perversam doctrinam. Quos non permisistis seminare *inter* vos; et obturastis aures, ne reciperetis quæ ab ipsis sunt disseminata; ut qui lapides sitis templi Patris, præparati in Dei Patris ædificium; sublati in alta per machinam Jesu Christi, quæ est crux, Spiritu sancto pro fune utentes. Fides autem vestra subvectrix vestra, charitas vero via deducens ad Deum. Estis igitur et viæ comites omnes, *Deiferi* et templiferi, Christiferi, sanctiferi, per omnia ornati præceptis Jesu Christi: propter quos exsulto, quod dignus habitus sim, per ea quæ scribo, colloqui vobiscum, et simul gaudere; quia ratione alterius vitæ habita, *nihil diligitis* præter solum Deum.

X. Sed et pro aliis hominibus indesinenter oratis. Est enim ipsis spes pœnitentiæ, ut Deum nanciscantur. Permittite itaque ipsos, saltem ex operibus, a *vobis erudiri*. Sitis vos adversus iras eorum mites, adversus magniloquentias eorum humiles: eorum maledictis opponite vos preces, adversus errorem eorum vos firmi permanete in fide, adversus efferos mores illorum vos mansueti sitis. Non ipsos contra imitari conati; fratres eorum inveniamur per benignitatem: imitatores autem Domini studeamus esse: unusquisque majorem injuriam patiatur, unusquisque defraudari se sinat, unusquisque contemni. Ut non herba aliqua Diaboli in vobis inveniatur; sed in omni puritate et temperantia maneatis, in Jesu Christo, carnaliter et spiritualiter.

XI. Novissima jam sunt tempora : revereamur et timeamus Dei longanimitatem, ne in judicium nobis cedat. Aut enim futuram timeamus iram, aut præsentem gratiam diligamus : unum ex duobus, modo in Christo Jesu inveniamur, ad veram vitam vivendam. Sine ipso nihil vos deceat; in quo vincula circumfero, spirituales margaritas, in quibus erectum stare mihi contingat oratione vestra, cujus me opto semper fieri participem, ut inveniar in sorte Ephesiorum Christianorum, qui et Apostolis semper consenserunt, in virtute Jesu Christi.

XII. Scio qui sum, et quibus scribo. Ego condemnatus; vos misericordiam assecuti : ego periculo obnoxius; vos confirmati. Transitus estis eorum qui ob Deum interficiuntur[1] : Pauli symmystæ, qui sanctificatus, matyrium consecutus, et digne beatus est (ad cujus vestigia contingat mihi ut inveniar, ubi Deo potitus fuero) qui tota Epistola memor vestri est in Christo Jesu.

XIII. Date itaque operam ut crebrius congregemini ad gratias Deo agendas, et ad eum laudandum. Quando enim sæpius in idem loci convenitis, labefactantur vires Satanæ, et concordia vestræ fidei solvitur exitium quod ille infert. Nihil præstantius pace est, qua aboletur omne bellum cœlestium et terrenorum.

XIV. Quorum nihil vos latet; si perfecte habueritis in Jesum Christum fidem et charitatem, quæ initium vitæ et finis sunt : principium quidem fides, finis vero charitas. Hæc autem duo, in unum coeuntia, Dei sunt : omnia vero alia, ad probitatem consectanea sunt. Nullus fidem repromittens, peccat; neque charitatem possidens, odit. « Manifesta » est arbor ex fructu ipsius[2] : » similiter qui profitentur se Christianos esse, ex iis quæ faciunt, cernentur. Non enim

[1] Act. xx. — [2] Matth. xii, 33.

nunc repromissionis opus; sed per virtutem fidei, si quis inveniatur usque ad finem.

XV. Melius est tacere et esse, quam loquentem, non esse. Bonum est docere, si qui dicit faciat. Unus igitur Doctor, qui dixit, et factum est: sed et quæ silens fecit, digna Patre sunt. Qui verbum Jesu possidet, vere potest et silentium ipsius audire, ut perfectus sit: ut per quæ loquitur operetur, et per quæ silet cognoscatur. Nihil *latet* Dominum, sed et arcana nostra prope ipsum sunt. Omnia itaque faciamus, sicut ipso in nobis habitante; ut illius simus templa, et ipse sit in nobis Deus noster; quo modo et est, et apparebit ante faciem nostram; ex quibus juste diligimus ipsum.

XVI. Ne erretis, fratres mei: feminarum corruptores regnum Dei non hæreditabunt [1]. Si autem ii qui secundum carnem hæc operati sunt, morte sunt affecti [2]; quanto magis, si quis fidem Dei prava doctrina corrumpat, pro qua Jesus Christus crucifixus est! Talis, inquinatus *factus*, in ignem inextinguibilem ibit; similiter et qui audit ipsum.

XVII. Ob id Dominus in capite suo accepit unguentum; ut Ecclesiæ spiret incorruptionem [3]. Non ungamini *tetro* odore doctrinæ Principis hujus sæculi: non *captivos vos* abducat a proposita vita. Cur vero non omnes prudentes sumus, accepta Dei cognitione, quod est Jesus Christus? Quid fatue perimus, non agnoscentes donum quod vere misit Dominus?

XVIII. Purgamentum meus spiritus est Crucis; quæ incredulis scandalum, nobis vero salus est et vita æterna [4]. *Ubi sapiens? ubi conquisitor* [5]*?* ubi gloriatio eorum qui dicuntur prudentes? Deus enim noster Jesus Christus in utero gestatus est a Maria, juxta dispensationem Dei, ex

[1] I Cor. vi, 9, 10. — [2] I Cor. x, 8. — [3] Ps. xliv, 8, et cxxxii, 2. — [4] I Cor. i, 18, 23, 24. — [5] I Cor. i, 20.

semine Davidis, Spiritu autem sancto. Qui natus est; et baptizatus est, ut passione aquam purificaret.

XIX. Et Principem hujus mundi latuit Mariæ virginitas, et partus ipsius, similiter et mors Domini; tria mysteria clamoris quæ in silentio Dei patrata sunt. Quo modo igitur manifestatus est sæculis? Stella in cœlo fulsit, splendore exsuperans omnes stellas, et lux illius ineffabilis erat; et stuporem *incussit* ipsius novitas[1]. Omnia autem reliqua astra, una cum sole et luna, chorus fuere Stellæ: ipsa vero lumen suum extendebat super omnia: et perturbatio erat, unde prodiret illis novitas dissimilis: quare soluta est omnis magia, et omne vinculum malitiæ est abolitum, ignorantia destructa est, vetus regnum est labefactatum; Deo humanitus manifestato, in novitatem vitæ æternæ. Principatum vero accepit id quod a Deo omnibus suis partibus absolutum erat. Inde omnia commovebantur, quod *meditaretur mortis abolitionem.*

XX. *Si me dignatus* fuerit Jesus Christus per orationem vestram, et voluntas sit; in secundo libello, quem scripturus sum vobis, declarabo vobis quam inceperam dispensationem in novum hominem Jesum Christum, in fide ipsius et in ipsius dilectione, in passione ipsius et resurrectione; maxime, si Dominus mihi revelaverit. Siquidem singuli communiter omnes, ex gratia, nominatim convenitis in una fide et uno Jesu Christo, secundum carnem ex genere Davidis filio hominis, et filio Dei; ut obediatis episcopo et presbyterio mente indivulsa; frangentes panem unum, qui pharmacum immortalitatis est, antidotum ne moriamur sed vivamus semper in Jesu Christo.

XXI. Vice animarum vestrarum sim ego, et *illorum* quos ad honorem Dei misistis Smyrnam, unde et scribo vobis; gratias agens Domino, diligens Polycarpum ut et

[1] Matt. II.

vos. Memineritis mei, sicut et vestri Jesus Christus. Orate pro ecclesia quæ est in Syria, unde vinctus Romam abducor, novissimus fidelium eorum qui ibi sunt; quemadmodum ad honorem Dei inveniri dignus habitus sum. Valete in Deo Patre, et in Jesu Christo communi spe nostra.

MAGNESIANIS.

Ignatius, qui et Theophorus, benedictæ per gratiam Dei Patris, in Jesu Christo salvatore nostro, in quo saluto Ecclesiam quæ Magnesiæ est juxta Mæandrum; optoque in Deo Patre et in Jesu Christo plurimam salutem.

I. Cum cognovissem charitatem vestram secundum Deum admodum bene ordinatam, exsultans, in fide Jesu Christi alloqui vos decrevi. Dignus enim habitus nomine majestatem divinam maxime præ se ferente, in his quæ circumfero vinculis, laudo Ecclesias; quibus opto unionem, secundum carnem et spiritum, Jesu Christi, sempiternæ nostræ vitæ; *fidei*, et *cui nihil* præfertur, charitatis; *principalius autem Jesu* et *Patris*, in quo sustinentes omnem vim *Principis* sæculi hujus, et evadentes, Deo potiemur.

II. Quoniam itaque dignus habitus fui videre vos per Damam episcopum vestrum Deo dignum, et dignos presbyteros Bassum ac Apollonium, conservumque meum Sotionem diaconum, quo utinam fruar; quia subditus est episcopo ut gratiæ Dei, et presbyterio ut legi Jesu Christi.

III. Sed et vos decet non familiarius ac superbe uti ætate episcopi, sed secundum virtutem Dei Patris omnem impertiri illi reverentiam; quemadmodum novi sanctos facere presbyteros; non respicientes ad apparentem juvenilem ordinationem, sed ut prudentes in Deo cedentes ipsi : non ipsi autem, sed Patri Jesu Christi, omnium episcopo. In honorem igitur illius, qui vult, decet vos obedire sine ulla hypocrisi : quia nequaquam episcopum hunc quis fallit qui videtur, sed illudit invisibili. Quidquid vero est ejus-

modi, non ad carnem refertur, sed ad Deum qui abscondita cognoscit.

IV. Decet itaque non modo vocari Christianos, sed etiam esse: quemadmodum nonnulli episcopum quidem nominant, sed sine ipso omnia faciunt. Tales vero non bona conscientia mihi præditi esse videntur; quia non stabiliter secundum præceptum congregantur.

V. Quia igitur res finem habent; incumbunt duo *simul*, mors et vita; et unusquisque in proprium locum iturus est. Quemadmodum enim sunt numismata duo, alterum quidem Dei, alterum autem mundi; unumquodque etiam ipsorum characterem proprium habet impositum: infideles, mundi hujus; fideles autem in charitate characterem *Dei* Patris per Jesum Christum; per quem nisi propensa nobis est voluntas mori in ipsius passionem, nec vita ipsius in nobis est.

VI. Quandoquidem itaque in iis personis quas commemoravi, omnem multitudinem contemplatus sum *in fide* et charitate; hortor ut hoc sit vestrum studium, in *Dei* concordia omnia agere, episcopo præsidente Dei loco, et presbyteris loco senatus Apostolici, et diaconis, mihi suavissimis, quibus commissum est ministerium Jesu Christi; qui ante sæcula apud Patrem erat, et in fine apparuit. Omnes igitur acceptis iisdem divinis moribus, vos mutuo revereamini; et nemo secundum carnem spectet proximum, sed in Jesu Christo vos invicem semper diligite. Nihil sit in vobis quod possit vos dirimere, sed uniamini episcopo et præsidentibus, in typum et doctrinam incorruptionis.

VII. Quemadmodum igitur Dominus sine Patre nihil fecit, ipsi unitus, neque per seipsum, neque per Apostolos; ita neque et vos sine episcopo et presbyteris quidquam agite. Neque operam detis ut aliquid vobis seorsim rationi videatur consentaneum: sed in unum convenientibus, una

sit oratio, una deprecatio, una mens, una spes, in charitate, in gaudio inculpato. Unus est Jesus Christus, quo nihil præstantius est. Omnes itaque velut in unum templum Dei concurrite, velut ad unum altare, velut ad unum Jesum Christum, qui ab uno Patre prodit, et in uno existit, in unum revertitur.

VIII. Ne seducamini alienis doctrinis, neque veteribus fabulis, quæ sunt inutiles. Si namque adhuc juxta legem Judaicam vixerimus, confitemur nos gratiam non accepisse. Divinissimi namque Prophetæ juxta Christum Jesum vixerunt. Ob hoc et persecutionem passi sunt; gratia ipsius inspirati, ut qui increduli, certi redderentur quod unus Deus est qui seipsum manifestavit per Jesum Christum filium suum; qui est Verbum ipsius æternum, non a silentio progrediens; quique in omnibus ei qui ipsum miserat complacuit.

IX. Si igitur qui in vetustis rebus versati fuerant, ad novitatem spei venerunt, non amplius Sabbatum colentes, sed juxta Dominicam viventes, in qua et vita nostra exorta est per ipsum, et mortem ipsius, quem quidam negant (per quod mysterium fidem accepimus; et propter hoc sustinemus, ut inveniamur discipuli Jesu Christi, solius Doctoris nostri) : quo modo nos poterimus vivere sine ipso? cujus etiam Prophetæ discipuli cum essent, spiritu ipsum ut Doctorem exspectabant : et propter hoc, is quem juste præstolabantur, adveniens, suscitavit ipsos ex mortuis [1].

X. Ne igitur nullus nos tangat sensus benignitatis ipsius. Si enim nos imitetur secundum ea quæ facimus, jam periimus. Propterea, discipuli ejus effecti, discamus secundum christianismum vivere. Qui enim alio nomine vocatur præter hoc, non est Dei. Abjicite igitur malum fermentum, inveteratum et acidum; et transmutemini in novum fer-

[1] Matt. xxvii, 52.

mentum, quod est Jesus Christus. Saliamini in ipso, ut non corrumpatur aliquis in vobis; quoniam ab odore (*seu* impetu) redarguemini. Absurdum est Christum Jesum profari, et judaizare. Christianismus enim non in judaismum credidit, sed judaismus in christianismum, ut omnis lingua credens ad Deum aggregaretur.

XI. Hæc autem, dilecti mei, non quod cognoverim aliquos vestrum hoc animo affectos esse: sed, ut minor vobis, cupio vobis cautum, ne incidatis in hamos inanis doctrinæ; sed ut plene certi redderemini in nativitate et passione et resurrectione (quæ contigit tempore præfecturæ Pontii Pilati), quæ vere et indubitanter gesta sunt a Jesu Christo, spe nostra: a qua exorbitare quemquam vestrum absit.

XII. Fruar vobis per omnia, si quidem dignus sim. *Tametsi* enim vinctus sum, comparandus tamen non sum uni vestrum, qui soluti estis. Novi quod in vobis nihil fastus insit. Jesum enim Christum habetis in vobis ipsis. Et magis cum laudo vos, scio quod rubore suffundamini; sicut *scriptum* est: *Justus sui est accusator*[1].

XIII. Studete igitur ut confirmemini in dogmatibus Domini et Apostolorum, ut omnia quæ facitis prospere vobis succedant, carne et spiritu, fide et charitate, in Filio et Patre et Spiritu sancto, in principio et in fine; cum dignissimo episcopo vestro, et digne contexta spirituali corona presbyterii vestri, et secundum Deum agentibus diaconis. Subjecti este episcopo et vobis mutuo, ut Jesus Christus Patri, secundum carnem, et Apostoli Christo et Patri et Spiritui; ut unio sit et carnalis et spiritualis.

XIV. Cum sciam vos Deo plenos esse, brevibus cohortatus sum vos. Memores estote mei in orationibus vestris, ut Deum assequar; et ecclesiæ quæ in Syria, unde non sum dignus vocari. Indigeo enim unita vestra in Deo ora-

[1] Prov. XVIII, 17.

tione et charitate; ut ecclesia quæ in Syria est mereatur per ecclesiam vestram irrorari.

XV. Salutant vos Ephesii, de Smyrna, unde hæc scribo vobis : qui præsentes adsunt in Dei gloriam, uti et vos; qui me una cum Polycarpo episcopo Smyrnæorum in omnibus recrearunt. Et cæteræ ecclesiæ in honore Jesu Christi salutant vos. Valete in concordia Dei, spiritum possidentes inseparabilem, qui est Jesus Christus.

TRALLIANIS.

Ignatius, qui et Theophorus, dilectæ Deo Patri Jesu Christi, Ecclesiæ sanctæ quæ est Trallibus Asiæ, electæ et Deo dignæ, pacem habenti in carne et sanguine et passione Jesu Christi, spei nostræ, in ea quæ in ipsum resurrectione : quam et saluto in plenitudine, in Apostolico charactere, et opto plurimum salvere.

I. INCULPATAM mentem et inseparabilem in patientia, cognovi habere vos, non usu, sed proprietate : quemadmodum significavit mihi episcopus vester Polybius, qui Smyrnæ adfuit, per voluntatem Dei et Jesu Christi filii ejus; quique mihi vincto, in Jesu Christo, sic congratulatus est, ut universam multitudinem vestram in eo contemplatus sim. Excipiens enim per ipsum eam quæ secundum Deum est benevolentiam, gloriatus sum, inveniens vos, ut cognovi, imitatores Dei esse.

II. Cum enim episcopo subjecti estis ut Jesu Christo, videmini mihi non secundum homines, sed secundum Jesum Christum vivere; qui propter vos mortuus est, ut credentes in mortem ipsius, mori effugiatis. Necessarium itaque est, quemadmodum facitis, ut sine episcopo nihil agatis. Sed et presbyterio subditi sitis, ut Apostolis Jesu Christi, spei nostræ; in quo conversantes inveniamur. Oportet autem et diaconos, mysteriorum Jesu Christi ministros, omni modo omnibus placere. Non enim ciborum et potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei ministri. Oportet igitur ut sibi caveant a criminibus, tanquam ab igne.

III. Cuncti similiter revereantur diaconos, ut mandatum

Jesu Christi; et episcopum, ut eum qui est figura Patris; presbyteros autem ut confessum Dei, et ut conjunctionem Apostolorum. Sine his Ecclesia non vocatur. De quibus persuasum habeo, vos ita sentire. Exemplar enim charitatis vestræ accepi, et mecum habeo in episcopo vestro; cujus ipse *habitus*[1] magna disciplina est, mansuetudo autem ipsius potentia : quem existimo et impios ipsos revereri, diligentes quod aliquantum ipsi non parco. Cum possem scribere super illa re, hucusque loquendum existimavi, ne condemnatus qui sum, velut Apostolus vobis præcipiam.

IV. Multa sapio in Deo : sed meipsum metior, ne gloriando peream. Nunc enim plus mihi timendum est; nec animus illis intendendus, qui me inflant. Qui enim me laudant, flagellant me. Nam diligo quidem pati; sed nescio, an dignus sum. Zelus quidem multis non apparet; me vero majorem in modum impugnat. Opus itaque mihi mansuetudine, *qua Princeps sæculi hujus destruitur.*

V. *Numquid non possum cœlestia vobis scribere?* At ne *parvulis* vobis damnum inferam metuo; ac mihi ignoscite; ne, ista capere non valentes, strangulemini. Etenim ego non propterea quod vinctus sum, et cœlestia intelligere possum, et situs Angelorum, et cœtus constitutionesque Principatuum, visibiliaque et invisibilia; propter hoc, jam et discipulus sum : multa enim nobis desunt, ne a Deo absimus.

VI. Obsecro itaque vos; non ego, sed charitas Jesu Christi; solo christiano alimento uti, ab aliena autem herba abstinere, quæ est hæresis : qui hæretici et inquinatis implicant Jesum Christum; ratione dignitatis quam obtinent, fidem adepti : quemadmodum mortiferum pharmacum cum mulso dantes; quod qui ignorat, libenter cum voluptate noxia mortem accipit.

VII. A talibus igitur vos custodite. Quod fiet, si inflati

[1] Tit. II, 3.

non fueritis; et indivulsi manseritis a Deo Jesu Christo, et episcopo, et præceptis Apostolorum. Qui intra altare est, mundus est: qui vero extra est (non est mundus): hoc est, qui sine episcopo et presbyterio et diaconis quidpiam agit, is non est mundus in conscientia.

VIII. Non quod noverim tale aliquid inter vos; sed quod præmuniam vos, ut filios meos charissimos, prospiciens insidias Diaboli. Vos itaque mansuetudinem assumentes, recreate vosmetipsos in fide, quod est caro Domini, et in charitate, quod est sanguis Jesu Christi. Nullus vestrum adversus proximum aliquid habeat. Ne ansam detis Gentibus; ne propter paucos insipientes, ea quæ in Deo est multitudo blasphemetur. « Væ enim ei, per quem *in vanitate* nomen » meum *in aliquibus* blasphematur[1] ! »

IX. Obturate igitur aures vestras, cum vobis quispiam loquitur sine Jesu Christo, qui ex genere Davidis, qui ex Maria; qui vere natus est, edit et bibit, vere persecutionem passus est sub Pontio Pilato; vere crucifixus et mortuus *est*, videntibus cœlestibus, terrestribus et subterraneis; qui et vere resurrexit a mortuis, resuscitante ipsum Patre ipsius, secundum similitudinem qua et nos, ipsi credentes, ita resuscitabit Pater ipsius in Christo Jesu; sine quo veram vitam non habemus.

X. Si vero ut quidam athei, hoc est, infideles, *aiunt* ipsum secundum apparentiam esse passum; ipsi secundum apparentiam existentes : ego quid vinctus sum? et cur opto cum bestiis depugnare? frustra itaque morior. Profecto mendacia de Domino non confingo.

XI. Fugite ergo malas propagines, quæ gignunt mortiferum fructum; quem si quis gustarit, continuo moritur. Isti enim non sunt plantatio Patris. Si enim essent, apparerent utique rami Crucis, et esset utique fructus illorum

[1] Is. LII, 5.

incorruptibilis; per quem, in passione ipsius, invitat vos, qui estis membra ipsius. Non potest igitur caput seorsum nasci sine membris; Deo unionem repromittente, quæ est ipse.

XII. Saluto vos e Smyrna, una cum ecclesiis Dei quæ mecum sunt, quæ prorsus refocillarunt me, et carne et spiritu. Obsecrant vos vincula mea; quæ propter Jesum Christum circumfero, orans ut Deum assequar; permanete in concordia vestra, et oratione mutua. Decet enim singulos vestrum, et præcipue presbyteros, refocillare episcopum, in honorem Patris, Jesu Christi, et Apostolorum. Opto ut in charitate me audiatis; ne hæc scribens, in testimonium vobis sim. Sed et orate pro me, qui in Dei misericordia, charitate vestra indigeo, ut dignus fiam sorte ad quam assequendam jam destinor, ne reprobus inveniar.

XIII. Salutat vos charitas Smyrnæorum et Ephesiorum. Memores estote *in orationibus vestris Ecclesiæ quæ est in Syria, de qua et non sum dignus qui dicar*, cum sim eorum *ultimus*. Valete in Jesu Christo; subjecti episcopo, ut (Dei) mandato; et similiter presbyterio. Ac sigillatim omnes, alter alterum diligite corde indivulso. Expiet vos meus spiritus; non modo nunc, sed et ubi Deum nactus fuero. Nam etiamnum in periculo versor : sed fidelis est Pater in Jesu Christo, ut impleat petitionem meam et vestram; in quo opto ut inveniamini sine macula.

AD ROMANOS.

Ignatius, qui et Theophorus, misericordiam consecutæ in magnificentia altissimi Patris, et Jesu Christi unigeniti ejus filii, Ecclesiæ dilectæ, et illuminatæ, per voluntatem illius qui vult omnia quæ sunt secundum charitatem Jesu Christi Dei nostri; quæ præsidet in loco Romanæ regionis, Deo digna, decentissima, merito beata, laudatissima, digne ordinata, castissima, et præsidens in charitate, Christi habens legem, Patris nomen ferens: quam et saluto in nomine Jesu Christi, filii Patris: secundum carnem et spiritum unitis in omni mandato ipsius, repletis gratia Dei indiscrete, et repurgatis ab omni alieno colore; plurimam in Domino Jesu Christo Deo nostro, atque immaculatam salutem.

I. Deprecatus Deum, obtinui ut viderem divinam vestram faciem; sicut et plurimum, ut hoc consequerer, expetebam. Vinctus enim in Christo Jesu, spero me salutaturum vos, si voluntas sit ut dignus judicer ad finem perduci. Nam exordium constitutum est bene, si modo gratiam meam consequar, ut sortem meam sine impedimento percipiam. Metuo enim charitatem vestram, ne ipsa me lædat. Vobis quippe facile est, quod vultis facere: mihi vero difficile est Deum assequi, si vos mihi non peperceritis.

II. Nolo autem vos hominibus, sed Deo placere, sicut et placetis. Nec enim ego unquam habiturus sum ejusmodi occasionem Deum assequendi: nec vos, si taceatis, præstantiori operi inscribi poteritis. Si enim de me tacueritis, ego Dei fiam: sin autem carnem meam dilexeritis, denuo

currendum est mihi. Plus autem mihi tribuere non potestis, quam ut immoler Deo, dum adhuc altare paratum est: ut in charitate chorum constituentes, canatis Patri in Christo Jesu, quod episcopum Syriæ dignatus fuerit Deus in Occidente inveniri, ab Oriente accersitum. Bonum est a mundo occidere in Deum, ut in ipso exoriar.

III. Nunquam invidistis in aliquo : alios docuistis. Ego autem volo, ut et illa rata sint quæ docentes præcipitis. Solum petite mihi vires et intus et foris, ut non modo dicam, sed et velim; ut non tantum dicar Christianus, sed et inveniar. Si enim inventus fuero, etiam dici potero; et tunc fidelis esse, cum mundo non apparebo. Nihil bonum quod videtur. Deus quippe noster Jesus Christus in Patre existens magis apparet. Non persuasionis opus, sed magnitudinis est Christianus; quando utique odio habetur a mundo.

IV. *Ecclesiis scribo, et mando omnibus*, quod voluntarius *pro Deo morior; si modo vos non prohibueritis*. Obsecro vos, ne intempestiva benevolentia erga me sitis. Sinite me ferarum escam fieri, per quas licet Deum adipisci. Frumentum sum Dei; et dentibus ferarum molar, ut mundus panis Dei inveniar. Blanditiis demulcete potius feras, ut mihi sepulcrum fiant, et nihil de corpore meo relinquant; ne cum obdormiero, molestus cuiquam inveniar. Tunc ero verus Jesu Christi discipulus, quando mundus nec corpus meum videbit. Deprecemini Christum pro me; ut per hæc organa, Dei efficiar hostia. Non ut Petrus et Paulus præcipio vobis. Illi Apostoli; ego condemnatus : illi liberi; ego etiamnum servus : at si passus fuero, libertus fiam Jesu Christi, et resurgam liber. Et nunc vinctus, disco nihil concupiscere.

V. A Syria Romam usque cum bestiis depugno, terra marique, noctu ac interdiu, alligatus decem leopardis, qui est militaris manipulus : qui et beneficio affecti pejores

fiunt. At ego eorum injuriis magis erudior. « Sed non propter hoc justificatus sum[1]. » Utinàm fruar bestiis mihi paratis : quas et opto veloces mihi inveniri; quas et blanditiis demulcebo, ut citius me devorent; non ut quosdam veritæ non attigerunt. Sed et si ipsæ volentem nolint, ego vi adigam. Ignoscite mihi : quid mihi utile sit ego novi. Nunc incipio discipulus esse[2]. Visibilium et invisibilium nihil expetam, ut Jesum Christum assequar. Ignis, crux, ferarum concursus, ossium discerptiones, membrorum concisiones, totius corporis contritiones, mala Diaboli tormenta, in me veniant; tantummodo ut Jesum Christum nanciscar.

VI. Nil me juvabunt fines mundi, nec regna hujus sæculi. Melius est mihi emori propter Jesum Christum, quam imperare finibus terræ. Illum quæro qui pro nobis mortuus est. Illum volo qui propter nos resurrexit. Ille lucrum mihi adjacet. Ignoscite mihi, fratres; ne mihi impedimento sitis, quo minus vivam; ne me velitis mori; cumque cupiam Dei esse, per mundum ne separetis me, neque per materiam seducatis. Sinite me purum lumen haurire. Cum illic fuero, homo ero. Sinite me imitatorem esse passionis Dei mei. Si quis ipsum in seipso possidet, intelligat quid volo, et compatiatur mihi, ut qui sciat quæ me constringunt.

VII. Princeps hujus sæculi rapere me vult, et voluntatem, quam erga Deum habeo, corrumpere. Nullus itaque vestrum qui præsentes estis opem ferat : ipsi potius mei sitis, id est, Dei mei. Ne loquamini Jesum Christum, et mundum concupiscatis. Invidia in vobis non habitet : neque si ego præsens vos obsecrem, obtemperetis mihi; verum his potius credite, quæ vobis scribo. Vivens enim scribo vobis, amore captus moriendi. Meus amor crucifixus est : et non est in me ignis amans aliquam aquam; sed vivens, et loquens in me, intus mihi dicit : Veni ad Patrem. Non gaudeo

[1] I Cor. IV, 4. — [2] Luc. XIV, 27.

corruptibili nutrimento, nec voluptatibus hujus vitæ : panem Dei volo ; qui est caro Jesu Christi, qui ex genere Davidis : et potum volo sanguinem illius, qui est charitas incorruptibilis.

VIII. Nolo amplius secundum homines vivere : *id autem* fiet, si vos volueritis. *Velitis* ergo, ut et vos acceptemini. Brevibus *litteris* deprecor vos; credite mihi. Jesus autem *Christus manifestabit* vobis hæc, quod vere dicam; non mendax *os, in* quo Pater vere locutus est. Petite pro me, ut consequar. Non secundum carnem vobis scripsi, sed secundum Dei arbitrium. Si patiar, voluistis : sin rejiciar, odistis.

IX. Memores este in precibus vestris Ecclesiæ quæ est in Syria, quæ pro me, Deo pastore utitur. Solus ipsam Jesus Christus, vice episcopi regat, et vestra charitas. Me vero pudet de illorum numero dici. Nec *enim dignus sum*, cum novissimus eorum sim, *et abortivus* : sed per misericordiam *obtinui, ut sim aliquis, si Deum* assequar. Salutat vos meus *spiritus, et charitas* Ecclesiarum quæ me susceperunt in nomine Jesu Christi, non quasi obiter prætereuntem. Etenim quæ non convenerunt me in via quæ est secundum carnem, in civitatibus me honorifice deduxerunt.

X. Scribo autem vobis hæc e Smyrna per Ephesios merito beatos. Est autem mecum cum aliis multis et Crocus, exoptatum mihi nomen. De his qui e Syria Romam venerunt ad gloriam Dei, credo vos cognovisse : quibus et significate, me prope esse. Omnes enim sunt Deo digni, et vobis : quos decet ut vos per omnia refocilletis. Scripsi autem vobis hæc die ante IX kalendas septembris. Valete in perpetuum, in patientia Jesu Christi.

PHILADELPHENIS.

Ignatius, qui et Theophorus, Ecclesiæ Dei Patris et Domini Jesu Christi, quæ est Philadelphiæ in Asia, misericordiam consecutæ, et firmatæ in Dei concordia, et exsultanti in passione Domini nostri inseparabiliter, ac per resurrectionem ejus plene instructæ in omni misericordia: quam saluto in sanguine Jesu Christi, quod est gaudium sempiternum et stabile: maxime si in unum sit cum episcopo, et qui cum eo sunt presbyteris, et diaconis; designatis per sententiam Jesu Christi; quos secundum propriam voluntatem suam firmavit in stabilitate, per sanctum suum Spiritum.

I. Quem episcopum cognovi, non a seipso, neque per homines[1] obtinuisse ministerium spectans ad commune, nec per inanem gloriam, sed in charitate Dei Patris et Domini Jesu Christi; cujus obstupui modestiam; qui tacitus plus potest quam qui vana loquuntur. Coaptatus enim est mandatis, ut chordis cithara. Quapropter beatum censet anima mea illius propositum, qui cognosco illud virtutibus ornatum esse, et perfectum; illius immobilitatem, atque lenitatem iræque vacuitatem, in omni mansuetudine Dei viventis.

II. Filii itaque lucis et veritatis, fugite divisionem et pravas doctrinas. Ubi autem pastor est, eodem ut oves sequamini. Multi enim lupi, fide digni habiti, eos qui in Dei stadio currunt, perniciosis voluptatibus illectos, captivos ducunt: verum in vestra concordia non habebunt locum.

III. Abstinete ab herbis noxiis, quas Jesus Christus non excolit; quia non sunt plantatio Patris. Non quod apud vos

[1] Gal. I, I.

divisionem invenerim, sed excolationem. Quotquot enim Dei et Jesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo. Quotquot autem pœnitentia ducti redierint ad unitatem Ecclesiæ, et isti Dei erunt; ut secundum Jesum Christum vivant. Ne erretis, fratres mei. Si quis schisma facientem sectatur; regni Dei hæreditatem non consequitur. Si quis in aliena sententia ambulat; iste passioni non consentit.

IV. Operam igitur detis, ut una eucharistia utamini. Una enim est caro Domini nostri Jesu Christi, et unus calix in unitatem sanguinis ipsius: unum altare, sicut unus episcopus, cum presbyterio, et diaconis conservis meis; ut quod facitis, secundum Deum faciatis.

V. Fratres mei, valde effusus sum in amorem vestri; et supra modum exsultans, tutos cautosque vos reddo. Non ego quidem, sed Jesus Christus; in quo vinctus, plus timeo, ut adhuc imperfectus. Sed *oratio* vestra apud Deum me perficiet, *ut sorte* per misericordiam mihi assignata potiar; *confugiens ad Evangelium tanquam* ad carnem Jesu, *et* ad *Apostolos* velut ad *Ecclesiæ* presbyterium. Sed et Prophetas diligamus; propterea quod et ipsi Evangelium annuntiaverint, et in Christum speraverint, et ipsum exspectaverint: in quo et credentes salutem consecuti sunt, in unitate Jesu Christi cum essent sancti amore et admiratione digni; a Jesu Christo testimonium adepti, et connumerati in Evangelio spei communis.

VI. Si quis autem judaismum vobis exponat; ne audiatis ipsum. Melius est enim a viro circumcisionem habente, christianismum audire; quam ab habente præputium, judaismum. Si autem utrique de Jesu Christo non loquantur; isti mihi columnæ sepulcrales, et mortuorum sunt monumenta, quibus hominum nomina duntaxat inscripta sunt. Fugite igitur malas artes, et insidias Principis sæculi hujus; ne quando sententia ipsius oppressi, in charitate langueatis.

Sed omnes in idem sitis indivulso corde. Gratias autem ago Deo meo, quod pacatam gero de vobis conscientiam; nec habet quispiam quod glorietur vel secreto vel palam, a me quemquam gravatum esse aut in parvo, aut in magno. Sed et omnes inter quos locutus sum oro, ne illud in testimonium habeant.

VII. Quamquam enim secundum carnem voluerunt quidam me seducere : at spiritus non seducitur, a Deo existens. Novit enim unde veniat, et quo vadat[1], et secreta coarguit. Clamavi cum interessem, locutus sum magna voce, voce Dei : Episcopo attendite, et presbyterio, et diaconis. Quidam autem suspicati sunt, me, ut præscium divisionis quorumdam, hæc dicere. Testis autem mihi is est, in *quo* vinctus sum, quod a carne humana non cognoverim; sed Spiritus annuntiavit, dicens ista : Sine episcopo nihil facite. Carnem vestram, ut Dei templum, custodite. Unitatem amate; dissidia fugite. Imitatores este Jesu Christi, sicut et ipse Patris ipsius.

VIII. Ego itaque quod meum erat feci, ut homo ad unitatem compositus. Ubi autem divisio est et ira, ibi Deus minime habitat. Omnibus igitur pœnitentibus remittit Deus, si resipiscant in unitatem Dei, et episcopi consessum. Credo gratiæ Jesu Christi, qui solvet a vobis omne vinculum. Obsecro autem vos nihil per contentionem facere[2], sed *juxta* Christi disciplinam. Quandoquidem audivi quosdam dicentes : Nisi invenero in archivis, Evangelio non credo. Et dicente me ipsis, Scriptum est; responderunt mihi, Præjacet. Mihi vero pro archivis est Jesus Christus; illibata archiva, crux ejus et mors, et resurrectio ejus, et fides quæ per ipsum; quibus justificari cupio, per precationes vestras.

IX. Boni quidem sunt sacerdotes : præstantius autem quid est summus Pontifex; cui credita sunt sancta sancto-

[1] Joan. III, 8. — [2] Philipp. II, 3.

rum; cui soli secreta Dei sunt tradita. Ipse est janua Patris; per quam ingrediuntur Abrahamus et Isaacus et Jacobus, et Prophetæ, et Apostoli, atque Ecclesia. Omnia hæc ad unitatem Dei. Eximium autem quiddam habet Evangelium; nimirum adventum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, passionem ipsius, ac resurrectionem. Dilecti namque Prophetæ annuntiaverunt in ipsum: Evangelium vero perfectio est incorruptionis. Omnia in universum bona sunt, modo in charitate credideritis.

X. Quoniam secundum orationem vestram, et secundum viscera quæ habetis in Christo Jesu, nuntiatum est mihi pacem habere ecclesiam Antiochenam quæ in Syria est; decet vos, ut Dei ecclesiam, eligere diaconum, qui obeat ibi legationem Dei; ut cum illis in unum congregatis, simul gaudeat, et glorificet nomen. Beatus ille in Jesu Christo, qui dignus habitus fuerit ejusmodi ministerio: et vos glorificabimini. Volentibus autem vobis non est impossibile, pro nomine Dei; ut et quædam proximæ ecclesiæ miserunt episcopos, nonnullæ vero presbyteros et diaconos.

XI. De Philone autem diacono Cilice, viro laudato, qui et nunc in verbo Dei mihi ministrat, una cum Rheo Agathopode viro electo, qui a Syria me comitatur, vitæ renuntians: qui et de vobis testificantur. Et ego Deo ago gratias pro vobis, quod illos suscepistis; sicut et vos Dominus. Qui vero illos ignominia affecerunt, liberentur per gratiam Jesu Christi. Salutat vos charitas fratrum qui sunt in Troade; unde et scribo vobis per Burrhum, qui missus est mecum ab Ephesiis et Smyrnæis, honoris causa. Honoret ipsos Dominus Jesus Christus, in quem sperant, carne, anima, spiritu, fide, charitate, concordia. Valete in Christo Jesu, communi spe nostra.

SMYRNÆIS.

Ignatius, qui et Theophorus, Ecclesiæ Dei Patris et dilecti Jesu Christi, misericordiam consecutæ in omni dono, repletæ fide et charitate, nullum non donum assecutæ, divinissimæ et sanctiferæ, quæ est Smyrnæ in Asia; in Spiritu immaculato et Verbo Dei, salutem plurimam.

I. Glorifico Jesum Christum Deum, qui tanta vos sapientia donavit. Cognovi enim vos perfectos in fide immota; ut affixos cruci Domini nostri Jesu Christi, et carne et spiritu; et firmatos in charitate, in sanguine Christi; plene persuasos in Dominum nostrum, vere existentem de genere Davidis, secundum carnem; Filium Dei, secundum voluntatem et potentiam Dei; natum vere ex virgine; baptizatum a Joanne, ut *impleretur ab eo omnis justitia*[1]; vere sub Pontio Pilato et Herode tetrarcha clavis confixum pro nobis in carne. Ex quo fructu nos sumus, per divine beatam passionem ejus; ut elevet signum in sæcula, per resurrectionem, sanctis et fidelibus suis, sive in Judæis, sive in Gentibus, in uno corpore Ecclesiæ suæ.

II. Omnia enim hæc passus est propter nos, ut salutem consequamur. Et vere passus est; sicut et vere seipsum resuscitavit: non ut quidam infideles dicunt, secundum opinionem ipsum passum esse; ipsi secundum opinionem existentes: et quemadmodum sapiunt, sic et continget eis; qui phantastici sunt ac dæmoniaci.

III. Ego enim et post resurrectionem eum in carne novi,

[1] Matth. III, 15.

et credo esse. Et quando ad eos qui cum Petro erant venit, inquit ipsis : « Apprehendite, palpate me, et videte quod » non sum dæmonium incorporale. » Et confestim ipsum tetigerunt; atque crediderunt, convicti carne ipsius et spiritu. Propter hoc etiam mortem contempserunt; supra mortem vero inventi sunt. Post resurrectionem autem, cum *illis* comedit et bibit, ut carnalis, quamvis spiritualiter unitus Patri.

IV. De his autem admoneo vos, charissimi, sciens quod et vos ita habeatis. Sed præmunio vos contra feras humanam formam præ se ferentes; quos non solum oportet vos non recipere, sed, si possibile est, neque obviam eis fieri; solum vero pro ipsis orare, si quo modo pœnitentiam agant, quod admodum difficile est. Hujus autem potestatem habet Jesus Christus, vera nostra vita. Si enim opinione sola hæc a Domino nostro sunt peracta; et ego opinione solum vinctus sum. *Quid* vero et meipsum morti dedititium tradidi, ad *ignem*, ad *gladium*, ad bestias? Verum qui prope gladium, prope Deum est : qui cum bestiis, cum Deo est. Tantum in nomine Jesu Christi, ut simul cum illo patiar, omnia sustineo; ipso roborante me, qui perfectus homo factus est.

V. Quem quidam ignorantes, abnegant : magis autem abnegati sunt ab ipso; patroni mortis magis quam veritatis. Quibus nec Prophetiæ persuasere, nec Moysis lex, sed nec Evangelium in hunc usque diem, neque nostræ singulorum passiones. Nam et de nobis id ipsum sentiunt : Quid enim mihi prodest, si quis me laudet, et Dominum meum blasphemet, non confitens ab ipso carnem gestari? Qui vero id non dicit, prorsus eum negavit, et ipse cadaver gestat. Nomina vero eorum, cum sint infidelia, non visum est mihi scribere : sed et absit a me, ut eorum mentionem faciam, donec resipiscant in passionem, quæ est nostra resurrectio.

VI. Nemo erret. Et supercœlestia, et gloria Angelorum, et principes visibiles ac invisibiles, si non credant in sanguinem Christi; etiam illis judicium est. *Qui capit, capiat*[1]. Locus neminem efferat. Totum namque est fides et charitas; quibus nihil prælatum est. Considerate vero eos qui alienam opinionem tuentur contra gratiam Jesu Christi quæ ad nos venit, quo modo contrarii sint sententiæ Dei. De charitate non est cura ipsis, non de vidua, non de orphano, non de oppresso, non de vincto vel soluto, non de esuriente vel sitiente.

VII. Ab eucharistia et oratione abstinent; eo quod non confiteantur eucharistiam carnem esse servatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit. Qui ergo contradicunt huic dono Dei, altercantes moriuntur. Utile autem esset ipsis diligere, ut et resurgerent. Decet itaque abstinere ab ejusmodi; et nec in privato, nec in communi colloquio de *illis verba* facere: attendere autem Prophetis; præcipue autem *Evangelio*, in quo passio nobis ostensa, et resurrectio perfecta est. Divisiones vero fugite, ut principium malorum.

VIII. Omnes episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem; et presbyterium, ut Apostolos. Diaconos autem revereamini, ut Dei mandatum. Sine episcopo nemo quidquam faciat eorum quæ ad Ecclesiam spectat. Rata eucharistia habeatur illa quæ sub episcopo fuerit, vel cui ipse consesserit. Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit: quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi Catholica est Ecclesia. Non licet sine episcopo, neque baptizare, neque agapen celebrare: sed quodcumque ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum: ut tutum ratumque sit quodcumque agitur.

IX. Consentaneum est deinceps resipiscere; et dum ad-

[1] Matth. XIX, 12.

huc tempus habemus, ad Deum per pœnitentiam redire. Bene habet, Deum et episcopum respicere. Qui honorat episcopum, a Deo honoratus est. Qui clam episcopo aliquid agit, diabolo præstat obsequium. Omnia igitur vobis in gratia abundent : digni enim estis. Omni modo me recreastis : et vos Jesus Christus. Absentem me ac præsentem dilexistis : retribuat vobis Deus, propter quem omnia sustinentes, ipsum adipiscemini.

X. Quod Philonem et Rheum et Agathopodem, qui me secuti sunt in verbo Dei, ut Christi Dei ministros exceperitis, bene fecistis. Qui et Domino pro vobis gratias agunt, quod omnibus modis illos refeceritis. Nihil vobis utique deperibit. Vice animarum vestrarum spiritus meus sit, et vincula mea, quæ non fastidistis, nec erubuistis : nec de vobis erubescet perfecta fides, Jesus Christus.

XI. Oratio vestra pervenit ad ecclesiam Antiochenam quæ est in Syria : unde, Deo decoris ligatus vinculis, omnes saluto; qui inde existere non sum dignus, cum extremus sim eorum; sed Dei voluntate dignus effectus sum, non juxta conscientiam, sed ex gratia Dei : quam opto perfectam mihi dari, ut per orationem vestram Deum consequar. Quo itaque opus vestrum absolutum sit, tum super terram tum in cœlo, decet ad Dei honorem ut ecclesia vestra eligat sacrum legatum; ut cum ad Syriam usque venerit, congratuletur illis, quod pacem consecuti sint, et suam receperint magnitudinem, ac restitutum sit illis suum corpus. Digna igitur mihi res est visa, ut aliquem vestrum mittatis cum epistola; quo una cum illis glorificet Deum, de tranquillitate quam in Deo consecuti sunt; et quod portu jam potiti sunt per orationem vestram. Cum perfecti sitis, perfecta et sentite. Cupientibus enim vobis bene facere, Deus largiri paratus est.

XII. Salutat vos charitas fratrum qui sunt in Troade :

unde et scribo vobis per Burrhum, quem misistis mecum una cum Ephesiis fratribus vestris : qui omni modo me refocillavit. Atque utinam omnes illum imitentur, qui est exemplar divini ministerii. Remuneret ipsum gratia per omnia. Saluto Deo dignum episcopum, et Deo decorum presbyterium, et conservos meos diaconos, sigillatimque ac in universum omnes; in nomine Jesu Christi, et carne ipsius, et sanguine, et passione, ac resurrectione corporali simul et spirituali, in unitate Dei vestraque. Gratia vobis, misericordia, pax, patientia, semper sit.

XIII. Saluto familias fratrum meorum, cum uxoribus et liberis; necnon virgines, vocatas viduas. Incolumes in virtute Spiritus este mihi. Salutat vos Philo, qui mecum est. Saluto Taviam cum domesticis; quam opto solidari fide et charitate corporali atque spirituali. Saluto Alcen desiderabile mihi nomen, et Daphnum incomparabilem, et Eutecnum, omnesque nominatim. Valete in gratia *Dei.*

AD POLYCARPUM.

Ignatius, qui et Theophorus, Polycarpo episcopo ecclesiæ Smyrnæorum, immo vero cujus episcopus est Deus Pater et Dominus Jesus Christus, plurimam salutem.

I. Suscipiens tuum propositum in Deo firmatum velut super petram immobilem, summis eveho laudibus, dignus habitus inculpata tua facie, qua utinam fruar in Deo. Obsecro te in (Dei) gratia, qua indutus es, ut ad cursum tuum adjicias, omnesque adhorteris ut salventur. Tuere locum tuum, in omni cura carnali et spirituali. Unitatis curam habe; qua nihil melius. *Omnes perfer; quo et te Dominus. Omnes tolera per charitatem; sicut et facis.* Precibus vaca perpetuis. *Postula intellectum* ampliorem, quam habes. Vigila, insomnem spiritum possidens. Singulis juxta adjutorium Dei loquere. Cunctorum ægrotationes porta, sicut perfectus athleta. Ubi plus laboris, magnum lucrum est.

II. Bonos discipulos si amaveris, nulla tibi est gratia : potius pestilentiores, in mansuetudine subjice. Non omne vulnus eodem medicamine curatur. Vehementiores morbi accessiones superfusionibus seda. *Prudens esto, sicut serpens,* in omnibus; *et simplex, ut columba*[1]. Propter hoc corporalis es et spiritualis, ut quæ apparent coram te demulceas; quæ autem non videntur petas ut manifestentur tibi : ne tibi quidquam desit, et omni dono abundes. Tempus expetit te; ut gubernatores, ventos; et ut tempestate jactatus, portum; quo Deo potiaris. Caute te gere, ut Dei athleta. Thema seu proposita corona, est incorruptio et vita

[1] Matth. x, 16.

æterna; de qua et tu persuasus es. Secundum omnia vice animæ tuæ sim ego, et vincula mea quæ dilexisti.

III. Qui videntur fide digni esse, et aliena docent, non te perterrefaciant. Sta firmus, ut incus quæ percutitur[1]. Magni athletæ est, cædi et vincere. Maxime vero propter Deum omnia sustinere nos oportet; ut et ipse nos sustineat. Studiosior fias, quam es. Tempora perpende. Eum qui ultra tempus est, exspecta; intemporalem; invisibilem, propter nos visibilem; impalpabilem; impatibilem, nostra causa patibilem; qui omnimodis propter nos sustinuit.

IV. Viduæ non negligantur. Post Dominum tu earum curator esto. Nihil sine tua voluntate fiat : neque tu quidquam sine Dei voluntate agas; quod nec facis, cum sis constans. Crebrius conventus fiant. Nominatim omnes inquire. Servos et ancillas ne superbe contemnas : sed nec ipsi inflentur; verum ad gloriam Dei plus serviant, ut potiorem libertatem a Deo consequantur. Non cupiant a communi donari libertate, ne servi inveniantur cupiditatis.

V. Malas artes fuge : imo vero de iis verba ne facito. Sororibus meis dicito, ut Dominum ament, et maritis contentæ sint carne ac spiritu. Similiter et fratribus meis manda, in nomine Jesu Christi, diligant conjuges suas, sicut Dominus Ecclesiam[2]. Si quis potest in castitate manere, ad honorem carnis Dominicæ, in humilitate maneat. Si glorietur, periit. Et si se majorem episcopo censet, interiit. Decet vero ut sponsi et sponsæ, de sententia episcopi conjugium faciant; quo nuptiæ sint secundum Dominum, et non secundum cupiditatem. Omnia ad honorem Dei fiant.

VI. Episcopo attendite, ut et Deus vobis. Devovear ego pro iis qui subditi sunt episcopo, presbyteris, diaconis. Atque mihi contingat habere cum illis partem in Deo. Collaborate vobis mutuo, una certate, una currite, compatimini,

[1] Job. XLI, 15. — [2] Ephes. V, 25.

una dormite, una exsurgite, ut Dei dispensatores, et assessores, et ministri. Placete illi cui militatis, a quo et stipendia refertis. Nemo vestrum desertor inveniatur. Baptismus vester maneat, velut arma; fides, ut galea; charitas, ut hasta; patientia, ut tota armatura. *Deposita* vestra, *sint* opera vestra; ut accepta vestra, digna reportetis[1]. Longanimes igitur estote alter ad alterum in mansuetudine; ut et Deus erga vos. *Utinam* fruar vobis perpetuo.

VII. Quia vero ecclesia quæ est in Antiochia Syriæ, pace, ut relatum est mihi, fruitur, per preces vestras; et ego tranquilliori animo fui in securitate Dei; si modo per passionem Deum assequar, ut inveniar in resurrectione vester discipulus. Decet, in Deo beatissime Polycarpe, concilium cogere Deo decentissimum, et eligere aliquem, quem valde charum habeatis, et impigrum, qui poterit divinus cursor appellari; illumque eo *dignari honore*, ut *profectus in Syriam, glorificet vestram impigram charitatem in gloriam Christi. Christianus sui potestatem non* habet, sed Deo vacat. *Hoc* est opus *Dei* et vestrum, quando ipsum perfeceritis. Credo enim gratiæ, quod parati sitis ad beneficentiam Deo congruentem. Cum itaque scirem vehemens vestrum erga veritatem studium, per breves litteras vos adhortatus sum.

VIII. Quoniam igitur omnibus ecclesiis nequivi scribere, quod repente navigaverim a Troade Neapolim, ut Voluntas imperat; scribes vicinis ecclesiis, tanquam qui sententiæ Dei compos sis, quo et ipsi idem faciant : qui possunt, pedites mittant; alii vero, epistolas, per eos qui a te mittentur : ut glorificeris æterno opere, quemadmodum dignus es. Saluto omnes nominatim; et Epitropi uxorem cum tota domo sua et liberis. Saluto Attalum mihi charum. Saluto eum qui profectione in Syriam dignus habebitur. Gratia

[1] Eph. VI.

in perpetuum cum illo erit; et cum mittente illum Polycarpo. Opto vos valere semper in Deo nostro Jesu Christo; in quo permaneatis in unitate Dei et visitatione. Saluto Alcen, desiderabile mihi nomen. Valete in Domino.

MARTYRIUM

SACROSANCTI MARTYRIS

IGNATII THEOPHORI.

Reus, Agathocles et Philo, Ignatii discipuli, comitati Romam, scripserunt acta ejus martyrii, cujus testes oculati soli potuerunt circumstantias tam accurate describere. Authentica habentur et cum dictis Eusebii et Chrysostomi in unum conveniunt. Propter brevitatem et simplicitatem, operæ pretium erit ea subjicere Epistolis.

Primus D. Thierry Ruinart græce ediderat 1689, et postea Leclerc in postremis editionibus Patrum apostolicorum.

Longe dissimilia quæ Ado adhibuit et in lucem prodidit Bollandus.

I. Cum Trajanus sumpsisset sceptra Romanorum imperii, erat Antiochenæ ecclesiæ episcopus, et nomine et re Theophorus Ignatius. Nam magno quidem Petro succedit Evodus, Evodo autem Ignatius : fitque et morum ejus et virtutis æmulator. Huic Theophoro, cum esset plane puer, aiunt Christum adhuc versantem in mundo, ei intemeratas manus imposuisse, et ad populum intuendo dixisse : « Nisi » quis seipsum humiliaverit, ut hic puellus, non intrabit in » regnum cœlorum : et qui unum ex talibus pueris susce» perit in nomine meo, me suscipit[1]. » Qualisnam futurus

[1] Matth. xviii, 3, 4.

esset ætate proficiens Ignatius, hinc ostendens, et Apostolicam illius doctrinam aperte indicans.

II. Hic ergo divinus Ignatius, simul cum Polycarpo, qui Smyrnensi præfuit ecclesiæ, fit discipulus Joannis Evangelistæ : et cum ad eum solum ventitasset, atque omnem virtutis speciem, et eam maxime quæ decet sacerdotem, diligenter exercuisset, sacerdos deinde eligitur communi sententia omnium simul Apostolorum, et Antiochenus creatur episcopus. Cum autem assumpsisset ecclesiam, et multo sudore ac labore in ea seminasset præconium pietatis, et zelum per omnia Apostolicum doctrinamque ostendisset, ac extitisset perfectus minister Christi mysteriorum; fit quoque postea martyr, bestiis propter illum traditus, ut paulo altius repetens declarabit oratio.

III. Trajano enim Romanorum imperatori, quam de Scythis habuerat, elato victoria, et non sustinenti suam hucusque sistere felicitatem, sed volenti eam ulterius producere, et Romanorum imperio multos alios subjungere; *adversus* Christianos, seu adversus pietatem, bellum *ei ante alia visum* est optimum esse ac expedire. Nam illo quidem modo putabat se uni prodesse Reipublicæ; sic autem, etiam deos suos colere, et eos inducere ut opem ferant adversus hostes. Gravem itaque ac difficilem persecutionem infert adversus piam fidem, et proponit edicta per universam terram quæ ejus parebat imperio; ut vel essent cum eo omnes impietatis participes, vel adhuc manentes Christiani, afficerentur variis suppliciis et acerbis mortibus. Contigerat, ut tunc Trajanus versaretur Antiochiæ; utpote qui esset expeditionem suscepturus contra Persas, et bellum ibi pararet. Hic ergo ei de Theophoro significatur Ignatio, quod et religionem teneret christianam, et hominibus persuaderet Christum tanquam Deum honorarent; idque cum fuisset a Pilato cruce condemnatus et morte, ut docent ejus Acta:

et ferret legem de servanda virginitate, et de contemnendis divitiis ac deliciis, et aliis quæ sunt in vita jucunda; quodque est omnium gravissimum, quod non oporteat putare esse Deos, et nullam imperatorum ducendam rationem.

IV. Hæc postquam audivit Trajanus, Sancto statim arcessito, cum una etiam adesset senatus : Tune es, inquit, qui diceris Theophorus; qui nostra jussa ludificaris, et omnem evertis Antiochiam; omnesque ducis post Christum, qui a te prædicatur; et nec solo quidem Deos dignaris nomine? Divinus autem Ignatius, Ego sum, inquit. Ille vero, Et quid sibi vult, interrogavit, illud Theophorus? Cui martyr, Qui Christum, inquit, circumfert in anima. Imperator autem : Tu ergo Christum in teipso circumfers? Certe, inquit. Scriptum est enim : *Habitabo in eis et inambulabo*[1]. Quid vero nos, non videmur tibi Deorum assidue meminisse, ac eos semper in anima circumferre, eosque inducere ad opem ferendam contra hostes, nec non per eos omnia facere quæ sunt ex *animi sententia*? Respondens autem divinus Ignatius : *Hei mihi! inquit, simulacra Gentium*, o imperator, Deos nominas. Unus enim Deus verus, qui cœli, terræ, maris, et omnium quæ sunt in ipsis, est creator. Unus Christus Jesus, Dei Filius unigenitus, cujus regni non est finis. Quem si tu agnosceres, o imperator, et purpura ipsa, et diadema, et thronus regius, tibi firmiora essent et longe stabiliora.

V. Imperator vero : Hæc multa mittamus. Tu autem, si velis, inquit, o Ignati, meæ potentiæ rem facere gratissimam, et de cætero referri in numerum meorum amicorum, hac mente mutata, Diis nobiscum sacrifica : et statim (sciant isti omnes) te magni Jovis constituam pontificem, et patrem nominabo senatus. Ad hæc Theophorus : Gratias quidem præbere, o imperator, omnibus quidem est pulchrum;

[1] 2 Cor. VI, 16.

maxime autem imperatoribus, quod possint ipsi amplius iterum gratificari; sed eas quæ sunt omnino utrisque utiles et conducibiles : eas vero quæ possunt lædere et maxime animam, ac vehementiorem ignis gehennam ei succendere. non is qui dat solum, sed etiam qui petit, et ipse miserrimus. Admirabilis autem, o imperator, et munifica est tua promissio. Quid enim mea refert, maximi apud te Jovis constitui pontificem, et vocari patrem senatus, qui sum Christi sacerdos, ac ei quotidie sacrifico sacrificium laudis, et jam vero totum meipsum propero immolare, ac efficere complantatum ejus mortis similitudini?

VI. Imperator vero: Cuinam autem festinas teipsum immolare? eine qui a Pontio Pilato in crucem fuit actus? Maxime, inquit magnus Ignatius, ei qui peccatum crucifixit, ejusque inventorem destruxit Diabolum, et omnem ejus potentiam per crucem abolevit. Rursus autem imperator: Videris, inquit, mihi, o Ignati, omnino recto carere judicio et sana mente. Non enim tam aperte fuisses deceptus scripturis Christianorum, sed cognovisses omnino, quantum sit bonum edictis parere imperatoriis, et Diis sacrificia offerre cum omnibus. Ad hæc Sanctus, utens rursus majore dicendi libertate : Etiamsi bestiis, inquit, consumpseris, etiamsi me cruce condemnaveris, licet ipsi gladio et igni tradideris, quæ sunt in tua potestate; nunquam ego patiar dæmonibus offerre sacrificium. Neque enim metuo mortem, neque desidero præsentia, quæ est in potestate vestra præbere fruenda; sed sola desidero futura, et a me omne adhibetur studium, ut transeam ad Christum, qui pro me est mortuus.

VII. Propter quæ volens senatus martyrem arguere, solerter nimirum, Quid autem tu quoque, dixerunt, confiteris Deum tuum esse mortuum? Quomodo vero qui subiit mortem, eamque exsecrandam, poterit ille prodesse aliis? Dii autem, et sunt immortales, et dicuntur a nobis. Ex hoc oc-

casione accepta, simul et irridendi illorum deos, et eis aperiendi januam mysterii de suscepta carnis dispensatione, sicque deducendi ad fidem Christi cognitionis, divinus Ignatius ita verba habuit : *Meus Dominus et Deus Jesus Christus*, primum quidem propter nos homo factus est, et propter nostram salutem, crucemque mortem et sepulturam sua sponte accepit. Cæterum rursus tertio die resurrexit, inimici dejecta et prostrata potentia, atque ascendit in cœlos unde venerat, nos simul a lapsu peccati faciens resurgere, et rursus introducens in paradisum, ex quo male fueramus ejecti; nosque donans bonis majoribus, quam erant ea quæ præcesserant. Quod autem ex iis qui a vobis censentur dii, ullus tale quid fecerit, nullus hominum asseruerit. Nam cum isti fuissent homines malefici et exitiosi, et multa fecissent ad damnum corruptelamque nostræ vitæ et status, valde vilem autem Deorum *opinionem ac speciem hominibus qui sunt a ratione paulo alieniores*, citra ullam rationem præbuissent, contractis postea velis deceptionis, et scena ablata, deprehensi sunt id quod erant, ut qui turpiter e vita excesserint, et morti immortali traditi sint propter multorum interitum. Jupiter quidem certe, qui est vobis primus et maximus Deorum, in Creta est sepultus : Æsculapius vero fulmine fuit percussus. Sepulcrum Veneris ostenditur in Papho Cypri : et Hercules fuit ab igne consumptus. Nam eorum res ac vita talia vere, imo et multo deteriora merebantur.

VIII. Cum hæc sic dicta fuissent ab Ignatio, imperator simul cum senatu timens ne, si esset ejus sermo prolixior, res quidem Gentilium labefactarentur, et vel non crederentur, vel haberentur ludibrio; vera autem floreret religio, et tolleretur nubes erroris, quæ ei offundit tenebras; illum quidem conjicit in vincula; et in tutissima collocat custodia : ipse autem cum tota nocte apud se cogitasset, quonam

modo eum ulcisceretur pro meritis, et quonam modo e præsenti vita subduceret, statuit illum feris tradere devorandum, ut dilaniatus ab eis Sanctus interiret. Visus est enim imperatori hic mortis modus longe gravissimus. Cum hanc rem ergo senatui mane communicasset, ipsi quoque ejus quidem laudarunt sententiam : sed consuluerunt, ne hæc bestiis objectio fieret Antiochiæ; ne, aiebant, sic magis desideratum et gloriosum apud suos cives reddamus Ignatium, martyrii nimirum fine e vita excedentem. Quamobrem dicebant oportere eum Romam abduci vinctum, et illic tradi bestiis. Sic enim et prolixitate itineris gravius subibit supplicium, simulque Romanis quisnam sit ignorantibus, videbitur esse peremptus tanquam unus ex maleficis, et nec minima quidem erit postea ejus apud illos memoria.

IX. Cum hoc ergo placuisset, et in ipsum lata fuisset protinus sententia, imperator illum rursus producit e custodia, hoc ejus postremum faciens periculum. Et primo quidem multum bonorum promissis athletam *deliniebat* ac demulcebat : deinde etiam rursus minis magis territans. Postquam autem eum vidit nec cedere promissis, neque minas formidare, desperans omnino fore ut mutaretur, ad effectum deduxit ea quæ denuntiata fuerant : et cum jussisset prioribus graviora ei imponi vincula, tradit cohorti militari, et mittit Romam, præcipiens, cum advenisset civibus dies festus publicæ celebritatis ludorumque solemnium. eum tradi bestiis ad communem theatri delectationem : ut convenienter ei quod dixit divinus Paulus, ipse quoque fieret *spectaculum mundo, et angelis, et hominibus*[1].

X. Martyr ergo cum ultimam illam accepisset sententiam, Deoque clamore magno, ut consentaneum erat, egisset gratias, cum magna voluptate et lætitia sibi imponit vincula. Et imperator quidem egreditur contra Persas cum suo exercitu :

[1] 1 Cor. IV, 9.

Theophorus autem ubi ecclesiæ prius bene esset precatus, et gregem suum Deo commendasset cum lacrymis, vinctus sequebatur milites. Deinde sic Seleuciam, non cunctans, non animum despondens, non se aliquid grave omnino pati præ se ferens, sed alacribus venit pedibus; et a militibus in navem immittitur, atque cum eis appellit Smyrnam. Hic salutat Polycarpum divinum apostolum, quem Smyrnensi præfuisse ecclesiæ, cum Ignatii fuisset condiscipulus, jam superius diximus ac declaravimus. Eum ergo salutat, glorians et magnifice sibi placens, lætusque de vinculis. Quid enim ei poterat esse majori ornamento, quam adspici pati pro Domino qui eum sic dilexerat? Deinde postquam reliquis episcopis et presbyteris et diaconis reddidisset decentes salutationes (quoniam multi concurrebant ex ecclesiis Asiæ et civitatibus cum ad videndum illud spectaculum, tum ut pulchro fruerentur fluento quod fluebat ex illius lingua), ipse ea, quæ par erat suadens, rogabat omnes, ut *pro ipso orarent, quo per feras cito resolveretur ad eum quem desiderabat*, et appareret ante illius divinam faciem.

XI. Videns autem eos tum valde anxios, tum quodammodo pendentes ab illius anima, tum non ferendum damnum existimantes separationem ejus et mortem; de iis quoque qui Romæ erant fideles timens, ne et ipsi similiter affecti, non sustinerent eum videre tradi bestiis, sed manus adversas illis admoverent quibus mandatum erat eum tradere, ac ei clauderent apertam januam martyrii; statuit ad ipsos scribere, ut ii quoque pro eo orarent, ne cursus sui certaminis ei impediretur, sed per feras, sicut dictum est, cito resolveretur ad dilectum Dominum. Operæ pretium est autem illius quoque mentionem facere Epistolæ; quæ sic habet ad verbum. (*Vide* pag. 94.)

XXII. Sed est hæc quidem Epistola. Ipse autem paulo post e Smyrna deductus a militibus, cum appulisset

Troadam et Neapolim, transiit pedes per Philippos et Macedoniam, eas quæ sunt in via invisens ecclesias, atque in eis docens, exhortans, disserens, fratrum simpliciores ac imbecilliores confirmans, et efficiens ut omnes vigilarent essentquo sobrii. Cum vero pervenisset Epidamni Epirum, ac mare transmisisset Adriaticum et Tyrrhenum, appellit Romanorum Puteolos. Hospitio autem exceptus simul cum militibus ab iis qui illic erant fidelibus, traditaque illis quoque salutatione in Domino, venit Romam, et sistitur ante præfectum urbis. Is ergo Theophorum intuitus, litterisque imperatoris acceptis, cum dies advenisset opportunus, quando erat dies festus et celeber populi Romani, inducit eum in medium theatrum, sicut nempe jubebat improbum illud edictum imperatoris.

XXIII. Cum ergo universa civitas sederet in theatro, ardenti spiritu et oculis jam spectaculum aventibus, utpote quod jam fama ubique annuntiasset, Syriæ episcopum cum feris esse hac die pugnaturum; conversus ille ad populum, cum plane generoso et intrepido animo, ut qui gloriaretur ac sibi magnopere placeret ob apparentem hanc pro Christo ignominiam : Viri, inquit, Romani, et præsentis hujus certaminis spectatores; non hæc mihi fiunt ob aliquod maleficium, neque ut luam pœnas pravorum facinorum, sed ut Deum assequar; cujus quidem teneor desiderio, et quem cupio insatiabiliter. Sum enim ejus frumentum, et molor per dentes bestiarum, ut fiam ei purus panis. Hæc dixit; atque dimissi leones eum statim dilacerarunt ac devorarunt; a solis durioribus illius ossibus abstinentes : viro re vera impletis votis, ut bestiæ fierent ei sepulcrum, et nihil reliquum esset corporis : utpote quod Deus pluris faceret famuli preces et amorem ad finem perducere, quam efficere ut non tangeretur a leonibus, quo suo nomini tribueret gloriam.

XXIV. Postquam autem hæc evenerunt et finem acceperunt; qui Romæ erant fideles, ad quos adhuc vivens Theophorus scripserat Ignatius, ubi dimissum fuit theatrum, convenientes, cum ossa cupientibus manibus sustulissent, eaque honorifice ac reverenter composuissent, deposuerunt in loco insigni extra urbem, mense decembris vigesimum diem tunc habente. Hæc postea deportata sunt in patriam martyris Antiochiam : et quæ inter utramque urbem sunt civitates, duplicem percepere benedictionem; tum prius, quando Martyr vinctus ducebatur Romam ex Antiochia; tum nunc, quando cum præclaris tropæis illinc referebatur, tanquam apes favum, illum circumvolantes.

XXV. Atque dicitur quidem, quod post viri per martyrium consummationem, cum lugerent illius privationem ii qui Romæ erant fideles, et nullam omnino acciperent doloris consolationem, vacarent vero sepulcralibus hymnis ac vigiliis, ipse in somnis apparens, et eos quasi amplectens, *qui scilicet se ipsos prius præbuerant dignos illius consuetudine, luctum eis effecit facilem ac leniorem*, et doloris sedavit vehementiam. *Alii* rursus dixerunt, se vidisse eum sudore diffluentem, tanquam qui nuper respirasset a laboribus decertationis, et precantem pro salute civitatis omniumque fidelium.

XXVI. Hic quidem fuit exitus Theophori; hæc sunt certamina; hi conspicui ejus amores in Christum. Et fert testimonium Irenæus Lugdunensis episcopus, vir magni faciendus, qui Theophori multam facit mentionem. Quin etiam Polycarpus, Smyrnensis ecclesiæ antistes, qui cum eo ventitavit ad Joannem evangelistam et theologum; quique cum captivus ille Romam duceretur Antiochia, eum, sicut jam vidimus, salutavit; hæc alicubi scribens in suis Epistolis : « Rogo vos, fratres, ut obediatis, et omnem exerci» tetis tolerantiam, quam vidistis oculis, non solum in bea-

» tis Ignatio, Rufo et Zosimo, sed etiam in multis aliis ex
» vobis, et in ipso Paulo, et iis qui cum ipso crediderunt :
» quod ii omnes non in vanum cucurrerunt, neque in va-
» num laboraverunt, sed in fide et justitia quæ est in Christo
» Jesu. Quamobrem et sunt nunc in loco qui eis debetur
» apud Dominum, cum quo et passi sunt. Non enim præsens
» sæculum dilexerunt, sed Christum, qui pro nobis mortuus
» est et resurrexit. » Sic ergo situs erat divinus Ignatius in
sacris illorum animis : et cum desiderasset bestiarum ventres sibi sepulcrum efficere, in piorum virorum magis habitat animis.

XXVII. Imperator autem Trajanus cum de Theophori hujus Ignatii rebus postea didicisset, et quam fortiter peregisset certamen martyrii, quodque ut ipse tulerat sententiam, a bestiis fuisset devoratus; cumque multa etiam audivisset de Christianis qui erant per regiones, quod scilicet nihil præter leges facerent, neque rem ullam agerent impiam, sed diluculo surgentes, et Christum adorarent tanquam Dei Filium, omnemque exercerent abstinentiam in cibo ac potu sumendo, et nihil tangerent ex iis quæ lex prohiberet : cum ille, inquam, hæc audivisset, tum ductus est pœnitentia eorum quæ facta fuerant, tum dicitur tale decretum proposuisse : ut gens Christianorum exquireretur quidem atque omnibus esset cognita; inventi autem non interficerentur; sed neque magistratus gererent, neque susciperent ullam reipublicæ administrationem. Sic non vita solum Ignatii, sed jam mors quoque fuit multorum bonorum conciliatrix, gloriatio fidei quæ in Christo est, argumentum pietatis, adhortatio ad divinos labores, et contemptio temporariæ vitæ, item continentia a noxiis, ac studium vitæ puritatis : gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, et sancto ac vivifico Spiritui, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

APPENDIX.

Eodem fere tempore quo mortem passus est Ignatius, venerunt Trajano scripta a Plinio et aliis magistratibus, qui permoti multitudine pro fide Christi interemptorum, imperatori referebant se nihil sceleris in eis deprehendisse. Trajanus, his auditis, et, juxta quosdam historicos, pœnitens de iis quæ in Ignatium ingesserat, famosum suum de Christianis edictum proposuit, quo saltem mitior facta est persecutio. Inde putavimus nos lectoribus pergratum facturos, si has litteras et rescriptum imperatorium hic subjungeremus, ut breviora, sic cognitione utilissima.

TIBERIANI,

PALÆSTINÆ PRIMÆ PRÆSIDIS,

AD TRAJANUM IMPERATOREM, DE CHRISTIANIS,

RELATIO.

Imperatori invictissimo, Cæsari divinissimo, Trajano.

Defatigatus sum puniendo et neci tradendo Galilæos (qui nobis veniunt sub nomine Christianorum) secundum vestra mandata. Illi vero non cessant ad cædem sese patefacere. Et licet tam adhortationibus quam minis multum laboraverim, ut dogmatis illius esse se professores indicare mihi non auderent, persecutionem tamen passi, non quiescunt. Quæ igitur imperio vestro visa fuerint, edicere mihi dignetur Majestas vestra.

C. PLINII SECUNDI,

BITHYNIÆ PROPRÆTORIS,

AD EUMDEM DE EISDEM,

RELATIO.

C. Plinius Trajano Imp. S.

Solenne est mihi, Domine, omnia de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de Christianis interfui nunquam : ideo nescio quid, et quatenus, aut puniri soleat aut quæri. Nec mediocriter hæsitavi, sitne aliquod discrimen ætatum? an quamlibet teneri nihil a robustioribus differant? deturne pœnitentiæ venia? an ei, qui omnino Christianus fuit, desiisse non prosit? nomen ipsum, etiamsi flagitiis careat, an flagitia cohærentia nomini puniantur? Interim in iis, qui ad me tanquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. Interrogavi ipsos, an essent Christiani? confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus : perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam (qualecumque esset quod faterentur) pervicaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri.

Fuerunt alii similis amentiæ, quos (quia cives Romani erant) annotavi in Urbem remittendos : mox ipso tractatu, ut fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt. Propositus est libellus sine auctore, multorum nomina continens qui negarent se esse Christianos, aut fuisse. Cum præeunte me Deos appellarent, et imagini tuæ (quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum afferri) thure ac vino supplicarent; præterea maledicerent Christo (quorum nihil cogi posse dicuntur qui sunt revera Chris-

tiani) : dimittendos putavi. Alii ab indice nominati, esse se Christianos dixerunt, et mox negaverunt; fuisse quidem, sed desiisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque; omnes et imaginem tuam Deorumque simulacra venerati sunt, et Christo maledixerunt.

Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris : quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem; seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent. Quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium : quod ipsum facere desiisse post edictum meum, quo secundum mandata tua hetærias esse vetueram. Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quæ ministræ dicebantur, quid esset veri et per tormenta quærere. Sed nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam et immodicam : ideoque dilata cognitione ad consulendum te decurri.

Visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum, et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est : quæ videtur sisti et corrigi posse. Certe satis constat, prope jam desolata templa cœpisse celebrari, et sacra solemnia diu intermissa repeti, passimque venire victimas; quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quæ turba hominum emendari possit, si sit pœnitentiæ locus.

TRAJANI IMPERATORIS,

DE CHRISTIANIS,

RESCRIPTUM.

Trajanus Plinio S.

Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum qui Christiani ad te delati fuerant, secutus es. Neque enim in universum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt : si deferantur et arguantur, puniendi sunt; ita tamen ut qui negaverit se Christianum esse, idque reipsa manifestum fecerit (*id est*, supplicando Diis nostris), quamvis suspectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret. Sine auctore vero propositi libelli, nullo crimine locum habere debent. Nam et pessimi exempli, nec nostri sæculi est.

SANCTUS POLYCARPUS

SMYRNÆ EPISCOPUS

ET MARTYR.

SANCTI POLYCARPI

AD PHILIPPENSES EPISTOLA,

ET MARTYRIUM.

SANCTUS POLYCARPUS,

SMYRNENSIS.

GRÆCUS.

(AN. 169.)

SANCTUS POLYCARPUS, circa annum 80 christianam fidem amplexus, et episcopus Smyrnensis a S. Joanne Apostolo an. 96 constitutus, quinque tantum, sed splendidissimis vitæ circumstantiis innotuit.

Prima quidem, quod non modo transeuntem Ignatium, sed et scriptam ab eo post transitum epistolam susceperit.

Secunda, quod, cum Apostolis conversatus, eorum indivulse doctrinis inhæserit, quod maxime patet ex epistola B. Irenæi ejus discipuli ad Florinum : « Vidi te, inquit, cum adhuc puer essem, in inferiore Asia apud Polycarpum splendide agentem » in palatio, et magnopere laborantem ut te illi » approbares. Etenim ea quæ tunc temporis gesta » sunt melius memoria teneo, quam illa quæ nuper acciderunt : adeo ut et locum ipsum dicere » possem, in quo beatissimus Polycarpus sedens » disserebat; processus quoque ejus et ingressus, vitæque totius formam, et corporis speciem, sermones denique quos ad populos habebat, et familiarem consuetudinem quæ illi cum Joanne, ut » narrabat, et cum reliquis qui Dominum vidissent,

» intercesserat; et qualiter illorum dicta commemo-» rabat, et quæcumque de Domino ab iisdem audie-» rat; de miraculis quoque illius atque doctrina, » prout ab iis qui verbum vitæ ipsi conspexerant » Polycarpus acceperat, eodem prorsus modo refe-» rebat, in omnibus cum Scriptura sacra consen-» tiens. Hæc ego, divina mihi largiente clementia, » tunc studiosius audiebam, non in charta, sed in » corde meo audita describens, eademque per Dei » gratiam assidue repeto et revolvo. » Idem alibi testatur hunc eumdem beatum virum « non solum » ab Apostolis edoctum, et conversatum cum multis » ex iis qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam » ab Apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis eccle-» sia constitutum fuisse episcopum, qui docuit sem-» per quæ ab Apostolis didicerat, quæ et Ecclesia » tradidit, et sola sunt vera; et testimonium his per-» hibent quæ sunt in Asia ecclesiæ omnes, et qui » usque adhuc successerunt Polycarpo. » (*Advers. hæres.* lib. III, c. 3.)

Tertia vero, quod Epistolam ad Philippenses et ipse scripserit, de qua S. Irenæus : « Est autem et » epistola Polycarpi ad Philippenses scripta perfec-» tissime, ex qua characterem fidei ejus, et prædica-» tionem veritatis, qui volunt, et curam habent suæ » salutis, possunt discere. » (*Id. ibid.*) Cujus sententiæ assentiunt et Eusebius, qui propria B. Irenæi verba retulit (Hist. lib. IV, c. 14), et B. Hieronymus qui ita de eadem epistola loquitur : « Scripsit ad Phi-» lippenses valde utilem epistolam, quæ usque hodie » in Asiæ conventu legitur. » (De Script. Eccl.) Photius quoque illam Cod. 126 asserit « multis refer-» tam admonitionibus, cum perspicuitate et simplici-» tate juxta ecclesiasticam interpretationis formam. »

Quarta porro, quod Romam deveniens de celebrando Paschate cum S. Aniceto sermonem contulerit, ita tamen ut unusquisque in sua consuetudine permaneret. Hic inventum Marcionem, qui ab ipso quærebat utrum agnosceret eum, repulit his verbis : « Agnosco te primogenitum Satanæ. » Hic, cum aliquid Ecclesiæ doctrinæ contrarium audiret, exclamare *solebat* : « Deus bone, quæ me in tempora re» servasti ! » (Euseb. lib. v, c. 20.) Hic multos a Valentino deceptos reduxit ad veritatem, Ecclesiæque restituit.

Quintam denique, qua præcipue inclaruit, causam in martyrio reperimus, quod postquam sexaginta et amplius annis suam rexisset ecclesiam in igne fortiter tulit, an. C. 169. Beatam ejus mortem referunt Smyrnenses in celebri illa Epistola quam ad Philadelphienses scriptam *infra* referemus; unde a *narrandis martyrii circumstantiis*, nunc prorsus abstinendum.

Hæc de illius aliorumque actis Scaliger : « Eo» rum lectione piorum animus ita afficitur, ut nun» quam satur inde recedat : quod quidem ita esse » unusquisque pro captu suo et conscientia modo » sentire potest. Certe ego nihil unquam in historia » ecclesiastica vidi a cujus lectione commotior rece» dam, ut non amplius meus esse videar. » (Animad. in Chron. Euseb.)

Acta martyrii ejus jam olim lecta in Ecclesia, et dies natalis celebratus; nunc quoque sepulcrum ejus quot annis, festo ipsius memoriæ consecrato, solemniter invisi testatur Thomas Smithus in notitia 7 Ecclesiarum Asiæ, ubi et mentio ampli, quod Smyrnæ adhuc ostenditur, amphitheatri, in quo coronatus martyrio Polycarpus fuit, cujus in memoriam Romæ

in templo S. Stephani in Cælio monte legitur illa Siracidæ sententia :

Eccli. LI, 6. *In medio ignis non sum æstuatus.*

« Phœnicen si quis medio miretur in igne
» Emori, et exstincto se reparare rogo;
» Obstupeat, Polycarpe, avidas tibi parcere flammas,
» Non ausas sacra te violare face.
» Mille nitent tædæ, rutilantque hinc inde favillis,
» Atque in te Dominum, quem colis ipse, colunt.
» Præmia nunc majora tibi sed reddit Olympus,
» Ignea qui pedibus subjicit astra tuis. »

Ex dictis liquet Polycarpum non immerito ecclesiarum *totius Asiæ principem* ab Hieronymo appellatum fuisse in catalogo scriptorum ecclesiasticorum. Sed et Ignatius martyr, quem Polycarpus Romam adeuntem susceperat, cuique morti proximus ecclesiæ Antiochenæ curam commisit, eum *dignum Deo episcopum* appellat in epistola ad Smyrnenses. Irenæus pariter ad Florinum scribens *beatum illum et apostolicum presbyterum* vocat. Unde mirum videri non debet, quod Polycrates Ephesiorum episcopus, in epistola quam ad Victorem papam scripsit, primum, post Apostolum Joannem, locum inter illustriores Asiæ viros Polycarpo concesserit. « Etenim, » inquit apud Eusebium, in Asia magna quædam » lumina exstincta sunt, Philippus unus e duodecim » Apostolis... Joannes, qui in sinu Domini recubuit... » Polycarpus quoque qui apud Smyrnam episcopus » et martyr fuit. » (Euseb. Hist. lib. v, c. 24.)

Non verbis tantum, sed etiam scriptis aliquot Ecclesiam illustraverat Polycarpus, ex quibus unica superest, de qua supra locuti sumus, ad Philadelphienses Epistola.

Polycarpo quandoque tributa fuerunt Capitula

responsionum seu annotationum in Evangelistas, quorum supersunt quædam fragmenta. Sed nondum, eà ætate, in animo erat minutatim commentaria edere.

Jacob. Lefèvre primus Epist. ad Philip. excudit ex veteri versione latina, cum scriptis S. Dion. Areop. et undecim Epist. *S. Ignatii*, Parisiis, 1498, in-fol.

Usserius, Londini, 1647, in-4°; Maderus, Helmstadii, 1653, in-4°; Cotelier, Parisiis, 1672, et Leclerc, Amstelod. 1698, 1724, in-fol. typis mandaverunt græcum textum, cujus translationem latinam a Cotelier factam hic sequimur.

Anglice transtulerunt, Londini, 1682, in-fol. 1698, 1710, in-8°; batava lingua, Ultrajecti, 1698, in-fol.; germanica, Gorlitii, 1592.

Reperitur gallica versio apud jam indicatos.

SANCTI POLYCARPI,

EPISCOPI SMYRNÆ

ET SACRI MARTYRIS,

AD PHILIPPENSES EPISTOLA.

Polycarpus et qui cum eo presbyteri, Ecclesiæ Dei quæ habitat Philippis; misericordia vobis et pax a Deo omnipotente, et Domino Jesu Christo salvatore nostro multiplicetur.

I. Magnopere gratulatus sum vobis, in Domino nostro Jesu Christo; quod veræ charitatis simulacra suscepistis; et quod, prout decuit vos, deduxistis implicatos vinculis quæ conveniunt sanctis, quæque diademata sunt eorum qui vere sunt a Deo et a Domino nostro electi: et quod firma fidei vestræ radix ab antiquis temporibus annuntiata, usque adhuc[1] permanet, ac fructum affert in Domino nostro Jesu Christo, qui sustinuit pro peccatis nostris usque ad mortem devenire: « Quem resuscitavit Deus, solutis doloribus in» ferni[2]; in quem non videntes, creditis; credentes autem » exsultatis lætitia inenarrabili et glorificata[3]; » in quam multi desiderant introire; scientes quod « gratia estis sal» vati, non ex operibus[4], » sed voluntate Dei, per Jesum Christum.

II. *Propter quod succincti lumbos, servite Deo in timore*[5] et veritate; relinquentes inane vaniloquium, et plurimo-

[1] Philipp. I, 5. — [2] Act. II, 24. — [3] I Pet. I, 8. — [4] Eph. II, 8, 9. — [5] I Pet. I, 13; Ps. II, 11.

rum errorem; credentes in eum « qui suscitavit Dominum » nostrum Jesum Christum a mortuis, et dedit ei gloriam[1] » ac sedem ad dexteram suam : cui subjecta sunt omnia cœlestia et terrestria[2] : cui omnis spiritus servit : qui venit judex vivorum et mortuorum : cujus sanguinem requiret Deus ab iis qui non credunt in illum. Is vero qui suscitavit ipsum a mortuis, et nos suscitabit, si fecerimus ipsius voluntatem, et ambulaverimus in mandatis ejus, atque dilexerimus ea quæ dilexit : abstinentes ab omni injustitia, fraudatione, avaritia, obtrectatione, falso testimonio : « non » reddentes malum pro malo, nec maledictum pro male» dicto[3], » nec pugnum pro pugno, nec imprecationem pro imprecatione : memores autem eorum quæ dixit Dominus docens : « Nolite judicare, ne judicemini; dimittite, et di» mittetur vobis[4] : » misereminì, ut misericordiam consequamini. « In qua mensura mensi fueritis, remetietur vo» bis[5]; » et : « Beati pauperes; et qui persecutionem patiuntur » propter justitiam : quoniam ipsorum est regnum Dei[6]. »

III. Hæc, fratres, non quod mihi arrogem, scribo vobis de justitia : sed quia vos provocastis me. Neque enim ego, neque alius mei similis, assequi potest beati et gloriosi Pauli sapientiam : qui cum esset apud vos in conspectu hominum qui tunc vivebant, perfecte ac firmiter docuit verbum veritatis : qui et absens vobis scripsit epistolas; in quas si intueamini, ædificari poteritis in fide quæ data est vobis, quæ est mater omnium nostrum, subsequente spe, præcedente charitate in Deum, in Christum, et in proximum. Si quis enim intra hæc fuerit, mandatum justitiæ implevit. Nam qui habet charitatem, longe est ab omni peccato.

IV. Principium autem omnium malorum est habendi cupiditas[7]. Scientes ergo quod *nihil intulimus in hunc mun-*

[1] 1 Pet. I, 21. — [2] Philipp. II, 10. — [3] 1 Pet. III, 9. — [4] Matt. VII, 1; Luc. VI, 37. — [5] Matt. V, 3, 10. — [6] Luc. VI, 20. — [7] 1 Tim. VI, 10.

dum, sed *nec auferre quid* valemus[1]; armemur armis justitiæ; et doceamus nos ipsos primum, ambulare in mandato Domini : deinde et vestras uxores, in sibi tradita fide et charitate et castitate; amantes viros suos in omni veritate, ac diligentes cunctos æqualiter in omni continentia; et erudire filios suos in disciplina timoris Dei : tum viduas; circa fidem Domini prudentes, interpellantes sine intermissione pro omnibus, longe recedentes ab omni calumnia, detractione, falso testimonio, avaritia, et omni malo; cognoscentes quod altaria Dei sunt, et quod ille omnia nostra conspicit, ac nihil eum latet, neque ratiociniorum, neque cogitationum, nec quidquam occultorum cordis.

V. Scientes ergo quod *Deus non irridetur*[2], debemus digne mandato ejus ac voluntate ambulare. Similiter diaconi, in conspectu justitiæ ejus inculpati esse debent; sicut ministri Dei et Christi, non autem hominum : non calumniatores, non bilingues, nec avari; verum continentes in omnibus, misericordes, seduli, incedentes juxta veritatem Domini, qui factus est omnium minister : cui si in hoc sæculo placuerimus, recipiemus et futurum; quemadmodum pollicitus est nobis quod resuscitabit nos a mortuis, et quod, si digne ipso conversemur, etiam cum eo regnabimus, si quidem credimus. Simili modo et juvenes in omnibus inculpabiles sint; ante omnia castitati consulentes, ac se ab omni malo refrenantes. Bonum quippe est separari a *desideriis* in mundo, quia omnis cupiditas *militat adversus* spiritum[3] : et « neque fornicarii, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt[4]; » neque qui absona faciunt. Quare oportet ab his omnibus abstinere, subjici autem presbyteris et diaconis, tanquam Deo et Christo : virgines vero, oportet in immaculata et casta conscientia vivere.

[1] 1 Tim. VI, 7. — [2] Gal. VI, 7. — [3] 1 Pet. II, 11. — [4] 1 Cor. VI, 9.

VI. Et presbyteri sint ad commiserationem proni; misericordes, erga cunctos; aberrantia reducentes; visitantes infirmos omnes; non negligentes viduam, aut pupillum, aut pauperem : sed semper « providentes bonum coram » Deo et hominibus[1]; » abstinentes ab omni ira, acceptione personarum, judicio injusto; longe recedentes ab omni avaritia; non cito credentes adversus aliquem; non severi nimium in judicio, qui sciant nos omnes debitores esse peccati. Si ergo deprecamur Dominum, ut nobis dimittat; debemus et nos dimittere[2]. Nam coram Domini ac Dei oculis sumus, et « omnes oportet stare ante tribunal » Christi, » et « unumquemque pro se rationem reddere[3]. » Sic itaque serviamus illi cum timore et omni reverentia; quemadmodum ipse præcepit, et qui nobis Evangelium annuntiarunt, Apostoli; quique Domini nostri adventum præsignificarunt, Prophetæ : bonum æmulantes; abstinentes a scandalis, et a falsis fratribus, atque ab iis qui in hypocrisi nomen Domini ferunt, qui vanos homines in errorem inducunt.

VII. « Omnis *enim* qui non confessus fuerit Jesum Christum in carne venisse, Antichristus est[4] : » et qui non confessus fuerit martyrium crucis, ex diabolo est : *et qui eloquia* Domini traduxerit ad desideria sua, dixeritque neque resurrectionem neque judicium esse; hic primogenitus est Satanæ. Quocirca derelicta plerorumque vanitate falsisque doctrinis, ad traditum nobis ab initio sermonem revertamur, *vigilantes in orationibus*[5], et perseverantes in jejuniis; precibus rogantes omnium conspectorem Deum, « Ne » nos inducas in tentationem[6]; » sicut dixit Dominus : « Spi» ritus quidem promptus est; caro autem infirma[7]. »

[1] 2 Cor. VIII, 21; Rom. XII, 17. — [2] Matt. VI, 12, 14. — [3] Rom. XIV, 10, 12; 2 Cor. V, 10. — [4] 1 Joan. IV, 3. — [5] 1 Pet. IV, 7. — [6] Matt. VI, 13. — [7] Matt. XXVI, 41.

VIII. Indesinenter ergo perseveremus in spe nostra, et ignore justitiæ nostræ; quod est Christus Jesus: «qui pertulit nostra peccata in corpore suo super lignum; qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus[1];» sed propter nos, ut in ipso vivamus, omnia sustinuit. Imitatores igitur simus patientiæ ipsius: et si patiamur propter nomen ejus, gloria illum afficimus. Hoc quippe exemplum nobis posuit in seipso: ac nos id credidimus.

IX. Rogo itaque vos omnes, ut obediatis verbo justitiæ, et omnem patientiam exerceatis, quam oculis ipsis vidistis; non modo in beatis Ignatio et Zosimo et Rufo, sed etiam in aliis qui ex vobis, ac in ipso Paulo, cæterisque Apostolis: persuasi, quod hi omnes in vacuum non cucurrerunt, sed in fide ac justitia[2]; et quod in debito sibi loco sint apud Dominum, cum quo et passi sunt. Non enim præsens sæculum dilexerunt; sed eum qui pro nobis mortuus est, ac propter nos a (*Deo est resuscitatus*).....

X. *In his ergo state, et Domini exemplar sequimini; firmi in fide et immutabiles, fraternitatis amatores*, diligentes invicem, in veritate sociati, mansuetudinem Domini alterutri præstantes, nullum despicientes. Cum potestis benefacere, nolite differre: quia *eleemosyna de morte liberat*[3]. Omnes vobis invicem subjecti estote; «conversationem vestram ir» reprehensibilem habentes in gentibus[4];» ut ex bonis operibus vestris et vos laudem accipiatis, et Dominus in vobis non blasphemetur. «Væ autem illi, per quem nomen Do» mini blasphematur[5].» Sobrietatem ergo docete omnes; in qua et vos conversamini.

XI. Nimis contristatus sum pro Valente, qui presbyter factus est aliquando apud vos; quod si ignoret is locum, qui datus est ei. *Moneo* itaque vos ut abstineatis ab avaritia, et

[1] 1 Pet. II, 24, 22. — [2] Philip. II, 16. — [3] Tob. XII, 9. — [4] 1 Pet. II, 12. — [5] Is. LII, 5.

sitis casti et veraces. *Abstinete vos ab omni malo*[1]. Qui autem in his non potest se gubernare, quomodo alii pronuntiat hoc? Si quis non abstinuerit se ab avaritia, ab idololatria coinquinabitur; et tanquam inter gentes judicabitur. Qui autem ignorant judicium Domini[2]: « An nescimus, quia » sancti mundum judicabunt[3]? sicut Paulus docet. Ego autem nihil tale sensi in vobis, vel audivi, in quibus laboravit beatus Paulus; qui estis in principio Epistolæ ejus. De vobis etenim gloriatur in omnibus ecclesiis, quæ Deum solæ tunc cognoverant[4]: nos autem nondum noveramus. Valde ergo, fratres, contristor pro illo et pro conjuge ejus: quibus det Dominus pœnitentiam veram. Sobrii ergo estote et vos in hoc; et non sicut inimicos tales existimetis, sed sicut passibilia membra et errantia eos revocate, ut omnium vestrum corpus salvetis. Hoc enim agentes, vos ipsos ædificatis.

XII. Confido enim vos bene exercitatos esse in sacris litteris; et nihil vos latet: mihi autem non est concessum modo. Ut his scripturis dictum est: *Irascimini, et nolite peccare*[5]; et: *Sol non occidat super iracundiam vestram*[6]. Beatus qui meminerit: quod ego credo esse in vobis. Deus autem et Pater Domini nostri Jesu Christi; et ipse sempiternus Pontifex, Dei Filius, Christus Jesus, ædificet vos in fide et veritate, et in omni mansuetudine, et sine iracundia, et in patientia et longanimitate et tolerantia, et castitate; et det vobis sortem et partem inter sanctos suos, et nobis vobiscum, et omnibus qui sunt sub cœlo, qui credituri sunt in Dominum nostrum Jesum Christum, et in ipsius Patrem, *qui resuscitavit eum a mortuis*[7]. Pro omnibus sanctis orate. Orate etiam pro regibus et potestatibus et principibus, atque pro persequentibus et odientibus vos, et pro inimicis

[1] 1 Thess. v, 22. — [2] Ephes. v, 5; Col. III, 5. — [3] 1 Cor. VI, 2. — [4] Philipp. I. — [5] Ps. IV, 5. — [6] Eph. IV, 26. — [7] Gal. I, 1.

rucis; ut fructus vester manifestus sit in omnibus; ut sitis
i illo perfecti.

XIII. Scripsistis mihi et vos et Ignatius, ut si quis vadit d Syriam, deferat litteras meas, quas fecero ad vos, si haueriмus tempus opportunum, sive ego, seu legatus quem nisero pro vobis. Epistolas sane Ignatii, quæ transmissæ sunt obis ab eo, et alias quantascumque apud nos habuimus, ransmisimus vobis, secundum quod mandastis : quæ sunt ubjectæ huic epistolæ : ex quibus magnus vobis erit proectus. Continent enim fidem, patientiam, et omnem ædiicationem ad Dominum nostrum pertinentem. Et de ipso gnatio, et de his qui cum eo sunt, quod certius agnoveritis, ignificate.

XIV. Hæc vobis scripsi per Crescentem, quem in præenti commendavi vobis, et nunc commendo. Conversatus est enim nobiscum inculpabiliter : credo quia et vobiscum similiter. Sororem autem ejus habebitis commendatam, cum venerit ad vos. Incolumes estote in Domino Jesu Christo, in gratia cum omnibus vestris. Amen.

ECCLESIÆ SMYRNENSIS,

DE MARTYRIO S. POLYCARPI,

EPISTOLA CIRCULARIS.

Ecclesia Dei quæ habitat Smyrnam, Ecclesiæ Dei quæ apud Philadelphiam diversatur, et omnibus ubique terrarum sanctæ et catholicæ Ecclesiæ Paræciis, misericordia, pax et charitas a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo multiplicetur.

I. Scripsimus vobis, fratres, de martyribus; et de beato Polycarpo, qui velut signaculo posito, martyrio suo, persecutioni finem imposuit. Fere namque cuncta quæ præcesserunt, ideo gesta sunt, ut nobis Dominus desuper ostenderet evangelicum martyrium. Exspectavit enim, dum traderetur; sicut et Dominus, ut nos etiam ipsius essemus imitatores : non solum nostra considerantes, sed et ea quæ ad proximos pertinent. Charitatis quippe veræ ac solidæ, est non modo seipsum velle salvari, sed etiam omnes fratres.

II. Beata quidem et generosa fuerunt cuncta martyria, utpote quæ juxta voluntatem Dei facta fuerint. Nos enim, qui religiosi sumus, oportet Deo rerum omnium potestatem committere. Nam eorum strenuitatem, ac tolerantiam, et erga Dominum charitatem quis non admiretur? qui flagris quidem adeo lacerati, ut ad intimas usque venas ac arterias corporis compago spectaretur, tamen sustinuerunt : ita ut etiam qui aderant, miserarentur ac plange-

erant: ipsi vero eo fortitudinis venerant, ut nemo illorum vel strideret vel ingemisceret; omnibus ostendentes, martyres Christi, se tunc dum torquerentur, a carne peregrinatos fuisse; aut potius Dominum ipsis adstitisse et cum ipsis esse versatum. Atque ad Christi gratiam attendentes, mundana tormenta spernebant; unius horæ spatio, se ab æterna pœna redimentes. Frigidus ipsis videbatur immanium carnificum ignis. Ob oculos quippe habebant, illum effugere qui æternus est, nunquamque exstinguetur: ac oculis cordis respiciebant ad ea bona quæ tolerantibus reservantur; « quæ nec auris audivit, nec oculus vidit, nec » in cor hominis ascenderunt[1]; » ipsis autem a Domino monstrabantur, utpote qui non homines amplius, sed jam angeli essent. Simili etiam modo qui ad bestias erant condemnati, graves cruciatus diu pertulerunt, super murices prostrati, variisque aliis tormentis excruciati; ut, si fieri posset, tyrannus assiduitate suppliciorum eos ad negationem adduceret.

III. Multa siquidem adversus illos machinatus est Diabolus. Sed gratia Deo: nam contra omnes non prævaluit. Fortissimus enim Germanicus eorum timiditatem tolerantia sua corroboravit: qui quidem splendide pugnavit adversus bestias. Nam cum proconsul flectere eum vellet, diceretque ut suam ipse ætatem miseraretur; ille bestiam ultro ad se attraxit, eique vim intulit, cupiens velocius ex injusta et iniqua eorum hominum vita effugere. Exinde igitur universa multitudo, admirata fortitudinem pii ac religiosi generis Christianorum, exclamavit: « Tolle impios: » Polycarpus requiratur. »

IV. Quidam vero, nomine Quintus, natione Phryx, qui nuper ex Phrygia advenerat, cum vidisset bestias, timore perculsus est. Hic porro erat qui seipsum et alios quosdam

[1] 1 Cor. II, 9.

impulerat, ut ultro accederent. Huic proconsul multis obsecrationibus persuasit jurare ac sacrificare. Propter hæc igitur, fratres, non probamus eos qui sponte sese offerunt. Quandoquidem non ita docet Evangelium.

V. Polycarpus autem vir maxime admirabilis, primum quidem, re audita, turbatus non est; sed volebat in urbe permanere. Plures tamen ei persuaserunt, ut secederet. Et secessit in agellum non multum dissitum a civitate; ubi cum paucis mansit, diu noctuque nihil aliud agens, nisi quod orabat pro universis, et pro omnibus per orbem ecclesiis : quod ipsi erat solemne. Et cum oraret, triduo antequam comprehenderetur, visio ei oblata est; viditque cervical suum incendio conflagrare. Tum conversus ad comites suos, prophetice dixit : *Oportet me vivum comburi.*

VI. Instantibus autem qui quærebant eum, migravit in aliam villam : quo statim supervenerunt inquisitores : cumque illum non reperissent, duos servulos comprehenderunt; quorum alter tormentis subditus, confessus est. Impossibile siquidem erat latere ipsum, quandoquidem qui prodiderunt illum domestici erant. Irenarcha vero, qui et Cleronomus ipso nomine, dictus Herodes, *properabat* in stadium eum introducere : quo hic quidem *propriam sortem* impleret, consors Christi factus; proditores autem illius, Judæ ipsius pœnas subirent.

VII. Habentes ergo puerulum, feria sexta sub horam cœnæ egressi sunt diogmitæ et equites, cum consuetis armis, tanquam ad latronem currentes[1]. Et sub vespertinum tempus supervenientes, ipsum repererunt in quodam superiore cubiculo discumbentem. Unde poterat quidem in aliud prædium abire; sed noluit, dicens : *Fiat voluntas Domini.* Cum ergo adstantes audivisset, et descendisset, collocutus est cum eis. Mirantibus autem illis ipsius ætatem atque

[1] Matth. xxvi, 55.

onstantiam, quidam ex eis dicebant : « Tantumne adhibendum erat studium, ut hujusmodi vir senex comprehenderetur? » Statim igitur jussit ipsis tunc apponi cibum ac otum, quantum vellent. Petiit autem ab illis, uti darent i horæ spatium, quo libere precaretur. Quod cum conessissent, stans orabat plenus gratia Dei, adeo ut per duas ioras tacere non posset, ac obstupescerent auditores, mulique eorum pœnitentia ducerentur quod adversus tam diinum senem venissent.

VIII. Ut vero precationem finiit, in qua mentionem fecerat omnium qui aliquando cum ipso congressi fuerant, parvorum juxta et magnorum, clarorum et obscurorum, totiusque quæ per orbem terrarum Catholicæ Ecclesiæ; cum hora proficiscendi venisset, asino eum imponentes, in civitatem duxerunt, die magni Sabbati. Et occurrit ei Irenarcha Herodes, ac pater ejus Nicetes. Qui et eum in vehiculum suum transtulerunt, assidentesque hortabantur illum his verbis et aliis similibus : « Quid enim mali est, » dicere : *Domine Cæsar*, et sacrificare; atque ita salvum evadere? » Ille autem primum quidem eis non respondit. Sed cum instarent : « Non sum, inquit, facturus » quod suadetis mihi. » Tum illi, frustrati spe flectendi eum, contumeliosa ei verba dixerunt; et cum impetu deturbarunt illum, adeo ut e vehiculo descendens tibiam distraheret. Verum nequaquam commotus, ac si nihil mali passus esset, alacriter et propere pergebat, ductus ad stadium. Tantus vero erat tumultus in stadio, ut nemo posset audiri.

IX. Porro Polycarpo intranti in stadium, vox e cœlo facta est: *Fortis esto et viriliter age*[1], *Polycarpe*. Et eum quidem qui vocem emisit vidit nemo, vocem autem qui ex nostris præsentes erant audierunt. Introducto autem *illo*, magnus erat tumultus audientium comprehensum esse Polycarpum.

[1] Deut. xxxi, 6, 7, 23.

De cætero adductum eum interrogavit proconsul, an ipse esset Polycarpus. Cumque fateretur, hortabatur ille, ut negaret; dicens : *Reverere ætatem tuam;* aliaque his similia, ut illi solent, proferens : « Jura per genium Cæsaris : resi- » pisce : dic : Tolle impios. » Tunc Polycarpus gravi ac severo vultu turbam omnem sceleratorum, qui in stadio erant Gentilium contuens, manumque in eos intentans, simulque gemens ac cœlum suscipiens, dixit : *Tolle impios.* Insistente vero proconsule, atque aiente : « Jura, et dimitto te; con- » vicium fac Christo : » Polycarpus respondit : « Octoginta » et sex anni sunt ex quo servio ei, nec me ulla affecit in- » juria : et quo modo possum convicia dicere adversus Re- » gem meum, qui salvum me fecit? »

X. Urgente rursus illo, ac inquiente : « Jura per genium » Cæsaris; » respondit : « Si ambitiose contendis, ut jurem » per Cæsaris, ut tu vocas, genium; simulas autem te igno- » rare quis sim; palam audi : Christianus sum. Si vero cupis » Christianæ religionis rationem discere; da diei spatium, » et audi. » Proconsul dixit : *Persuade populo.* Polycarpus respondit : « Te quidem sermone ac ratione dignatus sum. » Edocti namque sumus, principibus et potestatibus a Deo or- » dinatis honorem [1], prout decet, qui nobis non officiat, dare. » Illos vero indignos censeo, quibus rationem reddam. »

XI. At proconsul ad ipsum dixit : « Bestias habeo, his te » objiciam, nisi resipueris. » Ipse vero : « Eas, inquit, ar- » cesse. Neque enim resipiscere solemus ea resipiscentia, » qua a melioribus ad deteriora mutatio fit. Bonum autem » est, me a malis ad justa transire. » Rursus ad Polycarpum proconsul : « Quandoquidem bestias spernis, efficiam ut igne » consumaris, nisi sententiam mutes. » Cui Polycarpus : « Ignem minaris qui ad horæ spatium ardet, ac paulo post » exstinguitur. Ignoras enim illum futuri judicii et æternæ

[1] Rom. XIII, 1; Tit. III, 1.

» pœnæ ignem, qui impiis reservatur. Verum quid moraris? » profer quodcumque volueris. »

XII. Hæc vero atque alia plura cum diceret, fiducia et gaudio replebatur, illiusque vultus plenus gratiæ erat : adeo ut non solum iis quæ ipsi dicebantur turbatus non concideret; sed contra proconsul stuperet, suumque mitteret præconem, ter in medio stadio proclamaturum : « Polycar» pus confessus est Christianum se esse. » Quod ubi pronuntiasset præco, universa multitudo Gentilium ac Judæorum qui Smyrnam incolebant, effrenata ira et magna voce conclamabat : « Hic est Asiæ magister; pater Christianorum; » nostrorum Deorum eversor; qui multos docet ne sacrifi» cent, neve Deos adorent. » Ista inquientes, acclamabant, rogabantque asiarcham Philippum, ut leonem adversus Polycarpum emitteret. At Philippus negavit id sibi licere, quia venationes seu gladiatoria spectacula jam expleverat. Tunc placuit illis uno consensu inclamare, ut Polycarpus vivus combureretur. Necesse enim erat ut visio illa de cervicali, quæ ei ostensa fuerat, impleretur; quando inter orandum videns illud ardere, conversus ad fideles qui cum eo erant, prophetice dixit : *Oportet me vivum comburi.*

XIII. Hæc igitur citius peracta sunt, quam pronuntiata : cuncta plebe confestim ex officinis ac balneis ligna et sarmenta congregante, præcipue Judæis alacri animo, ut solent, ad ista juvantibus. Quando autem rogus apparatus est, Polycarpus sibi detractis omnibus vestimentis, et cingulo soluto, conabatur etiam se excalceare : quod prius non faciebat, quoniam semper singuli fidelium contendebant, quisnam celerius corpus ejus tangeret. Omni siquidem bono, propter sanctos mores, etiam ante martyrium honestabatur. Illico igitur ei circumposita sunt quæ ad rogum coagmentata fuerant instrumenta. Cum vero etiam clavis ab illis affigendus esset, dixit : « Sinite me sic. Qui enim mihi dat

» ignem pati, dabit et sine vestra ex clavis cautione, immo-
» tum in pyra permanere. »

XIV. Illi ergo non quidem clavis defixerunt, sed ligaverunt eum. Hic vero manibus post tergum positis, ac revinctus, tanquam aries insignis ex magno grege ad oblationem, holocaustum acceptabile Deo præparatum, cœlum contuitus, dixit : « Domine Deus omnipotens, Pater dilecti ac be-
» nedicti Filii tui Jesu Christi, per quem tui notitiam acce-
» pimus; Deus Angelorum et Virtutum, ac universæ creaturæ,
» totiusque justorum generis qui vivunt in conspectu tuo :
» benedico te, quoniam me hac die atque hac hora dignatus
» es, ut partem caperem in numero martyrum tuorum, in
» calice Christi tui, ad resurrectionem vitæ æternæ, animæ
» et corporis, in incorruptione Spiritus sancti : inter quos
» utinam suscipiar hodie coram te, in sacrificio pingui et
» accepto, quemadmodum præparasti et præmonstrasti et
» adimplevisti, mendacii nescius ac verax Deus. Quapropter
» de omnibus laudo te, benedico te, glorifico te, cum sem-
» piterno et cœlesti Jesu Christo, dilecto tuo *Filio;* cum
» quo tibi et Spiritui sancto gloria, et nunc et in futura sæ-
» cula. Amen. »

XV. Et postquam *amen* emisisset, precationemque complesset, homines seu ministri ignis, ignem accenderunt. Cum vero ingens flamma emicasset, grande miraculum vidimus, quibus spectare concessum fuit; qui et ideo reservati sumus, ut aliis quæ contigerunt annuntiaremus. Ignis enim fornicis speciem præbens, tanquam navis velum a vento repletum atque sinuatum, undique circumdedit martyris corpus; quod quidem in medio positum, non ut caro assa videbatur, sed veluti panis coctus, vel sicut aurum et argentum in fornace candens. Tantam quippe fragrantiam odorabamur, ac si thus aut aliud quoddam pretiosorum aromatum oluisset.

XVI. Tandem igitur cernentes improbi, corpus ipsius ab igne non posse consumi, jusserunt confectorem propius accedere, pugionemque capulo tenus abdere. Quod cum ille fecisset, egressa est columba, item tanta vis sanguinis, ut ignem exstingueret, utque universa plebs miraretur tantum esse discrimen inter infideles ac electos. Quorum unus hic fuit, maxime admirandus martyr Polycarpus, qui nostris temporibus apostolicus et propheticus doctor extitit, atque catholicæ Smyrnensis ecclesiæ episcopus. Omne siquidem verbum quod ore suo emisit, aut impletum est, aut implebitur.

XVII. Sed cum æmulus ille ac invidus et malus, justorumque generi adversus, cerneret insigne illius martyrium, moresque ab ineunte ætate irreprehensos, et illum immortalitatis corona redimitum, præmiumque controversiæ expers reportasse; operam dedit ne reliquiæ ejus a nobis auferrentur : quamvis multi id facere cuperent, et sancto illius corpori communicare. Suggessit ergo Nicetæ Herodis patri, fratri autem Alces, adire proconsulem, ne corpus illius ad sepeliendum traderet; ne, inquit, relicto Crucifixo hunc colere incipiant. Atque hæc aiebant, suggerentibus et instantibus Judæis, qui etiam nos observaverant, eum ex igne extracturos. Ignari quod nec Christum unquam derelinquere poterimus, qui pro salute omnium qui in toto mundo salvi fient passus est; inculpatus, pro peccatoribus; nec alium quemquam colere. Illum siquidem, utpote Filium Dei, adoramus : martyres vero tanquam Domini discipulos et imitatores, merito diligimus, propter illorum erga suum regem ac magistrum benevolentiam eximiam : quorum utinam et nos fiamus consortes ac condiscipuli.

XVIII. Videns autem centurio a Judæis ortam contentionem, corpus in medio ignis positum exussit. Atque ita nos postea ossa illius gemmis pretiosissimis exquisitiora, et

super aurum probatiora, tollentes, ubi decebat deposuimus. Quo etiam loci nobis ut fieri poterit congregatis, in exsultatione ac gaudio, præbebit Dominus natalem martyrii ejus diem celebrare, tum in memoriam eorum qui certamina pertulerunt, tum in venturorum hominum exercitationem et alacritatem.

XIX. Hæc de beato Polycarpo; qui cum iis qui ex Philadelphia, duodecimus, Smyrnæ martyrium passus, solus ab omnibus præcipue celebratur, ita ut a Gentilibus quoque in omni loco memoretur. Qui non solum doctor insignis extitit, verum etiam martyr eximius: cujus martyrium, quod scilicet peractum est juxta Evangelium Christi, omnes imitari desiderant. Nam per tolerantiam devicto injusto præside, sicque immortalitatis corona recepta, cum Apostolis omnibusque justis exsultans, Deum ac Patrem glorificat, atque benedicit Dominum nostrum, gubernatorem animorum et corporum nostrorum, necnon pastorem œcumenicæ et catholicæ Ecclesiæ.

XX. Ac vos quidem petieratis, ut cuncta quæ gesta sunt, fusius vobis exponerentur. Nos vero in præsentiarum summatim indicavimus per fratrem nostrum Marcum. Quæ quidem cum didiceritis, Epistolam fratribus ulterius positis transmittite: ut et illi glorificent Dominum, qui ex suis famulis delectum facit, potestque omnes nos gratia atque indulgentia sua in regnum suum æternum inducere, per Filium suum unigenitum Jesum Christum: cui gloria, honor, imperium, majestas in sæcula. Amen. Salutate omnes sanctos. Vos qui nobiscum sunt salutant, et qui scripsit Evarestus, cum omni domo sua.

XXI. Martyrium autem passus est beatus Polycarpus Xanthici mensis ineuntis die secundo, ante septimum kalendas maias, magno sabbato, hora octava. Captus est ab Herode; sub pontifice Philippo Tralliano; proconsule Sta-

tio Quadrato; regnante vero in sæcula Jesu Christo: cui gloria, honor, majestas, thronus sempiternus, a generatione in generationem. Amen.

XXII. Valere vos optamus, fratres; ac incedere in evangelico sermone Jesu Christi; cum quo gloria Deo et Patri et Spiritui sancto, ob sanctorum electorum salutem; quemadmodum martyrium pertulit beatus Polycarpus; ad cujus vestigia contingat ut in regno Jesu Christi inveniamur.

XXIII. Atque hæc ex codice Irenæi, discipuli Polycarpi descripsit Caius, qui etiam cum Irenæo versatus est. Ego vero Socrates Corinthi ex Caii exemplari scripsi. Gratia sit cum omnibus.

XXIV. Et posthæc ego Pionius ex suprascripto exaravi; cum exemplaria perquisivissem, et illa mihi per revelationem manifestasset Polycarpus; ut in sequentibus declarabo; eaque jam propemodum ex temporis diuturnitate fatiscentia collegissem; ut me quoque cum electis suis colligat Dominus Jesus Christus: cui gloria, cum Patre et sancto Spiritu, in sæcula sæculorum. Amen.

SANCTUS JUSTINUS,

MARTYR.

S. JUSTINI

AD GRÆCOS ORATIO,

AD EOSDEM COHORTATIO,

MONARCHIA,

APOLOGIA DUPLEX,

ET DIALOGUS CUM TRYPHONE.

SANCTUS JUSTINUS

MARTYR.

(AN. CH. 167.)

GRÆCUS.

SANCTUS JUSTINUS ex Samariæ provincia, Neapolis vero, quæ et olim Sichem, civitate oriundus, Prisco patre et Bacchio atavo natus circa annum Christi 103, non Samaritanus religione, sed Paganus, e philosopho Christianus, sacram doctrinam non temere, sed post longas veritatis disquisitiones, annum agens circiter trigesimum, non imbibit modo, sed et ore et scripto adversus Judæos et Ethnicos defendit. Mox ipsum quis sit, quo genere et quo loco natus Apologiæ initio evolventem, necnon et quomodo ad religionis cognitionem pervenerit in Dialogo cum Tryphone narrantem audiemus.

Post susceptum baptisma, philosophi habitum nunquam deposuit, plurimaque ad asserendam religionis veritatem opera confecit. In incerto positum est an S. Justinus presbyter fuerit. Sed tamen, post diuturnam Romæ commorationem, plures peragravit provincias, ubique verbum disseminans et propagandæ fidei vehementissimo ductus ardore, quod unicum negotium habuit. Romam post multum tempus reversus est. In his peregrinationibus imperante Antonino Pio, Ephesum devenerat. De-

ambulanti mane in Xysti porticu, casu occurrit ei Tryphon quidam, quem Eusebius celeberrimum inter Judæos hujus ævi nominat. Justino fuit cum eo per duos dies integros disputatio coram pluribus, quam postea scripto consignavit sub titulo *Dialogi cum Tryphone.* Si quæras evidentia divinitatis Christi et Gentium vocationis argumenta, certe in hoc dialogo reperies. Nec opus in aliquo alio reprehendendum, nisi quod nævi pauci de etymologiis hebraicis indicare videantur Justino minime fuisse familiarem linguam Hebræorum.

Nihil tamen celebriorem effecit S. Justinum, quam duplex Apologia pro Christianis, quarum prior, *quæ* posteriorem locum in editionibus occupat, *Tito Antonino*, posterior vero quæ priorem tenet locum, Marco Aurelio et Lucio Vero oblata est; in quibus Christianorum doctrinam et mores ab omnibus Paganorum objectis acerrime vindicat. Scripsit præterea : 1° tractatum *de Monarchia*, sive de *uno Deo*, qui dimidiatus tantummodo superest; 2° *Paræneticum librum*, qui græce λογος παραινετικος dicitur, seu potius, ut Eusebius, Photius Hieronymusque appellant, ελεγχος προς Ελληνας, id est, *Invectiva contra Græcos*, quo Paganos iterum exagitat; 3° *Orationem ad Paganos*, qua mutatæ vitæ rationem exponere videtur; 4° *Epistolam ad Theognetum*, quæ a quibusdam rejecta, tamen Justino potest adjudicari.

Multa alia necnon egregia confecerat, quæ sunt lapsu temporum deperdita : exstitit liber cui titulus, *Psalmista*, lib. *adversus Gentiles*, alius *de Natura animæ*, alius *adversus Hæreses*, alius *contra Marcionem*, alius *de Providentia et Fide, Brevia responsa ad quædam difficilia, Tractatus contra primum et secundum librum Physicæ Aristotelis*. Qui quidem postre-

mus diversus habendus est a *Confutatione quorumdam Aristotelis dogmatum*, quæ exstat in editione D. Marand, et inter spuria merito rejicitur. Eodem loco et judicio stat *Epistola ad Zenem et Serenum*, de vita ascetica, quæ, Heraclio regnante, verisimiliter scripta est a Justino abbate; *Expositio rectæ confessionis*, adversus Arianos, Nestorianos et Eutychianos, quæ potest esse Justini, episcopi in Sicilia, auctoris Epistolæ ad Petrum Fullonem, opus satis nitidum et luculentum; *Responsiones ad orthodoxos de* 146 *quæstionibus*, quæ pertinent ad 4 vel 5 sæculum, et continent Sabellii et Arii repulsam eruditam et ingeniosam, non tamen sine Pelagianis maculis, et fortassis Theodoretum auctorem habent; *Quinque quæstiones ad Græcos, Responsa et responsorum confutationes, Responsiones ad quasdam quæstiones Græcorum*, quibus assignari non potest auctor, et quiddam paritatis quoad methodum et stylum præ se ferunt cum *Confutatione Aristotelis* de qua superius.

De horum operum suppositione omnes consentiunt; quidam tamen dubitant an *Hexaemeron* et lib. *de Resurrectione* recte S. Justino tributa fuerint; sed parvi refert, cum sint deperdita, præter quoddam posterioris fragmentum longiusculum.

Quamvis autem de Ecclesiæ mysteriis satis accurrate loquatur, non desunt tamen inusitata quædam verba, utpote quæ a philosophia deprompta fuerint, imo et errores quidam circa angelorum dæmonumque naturam, necnon circa vana *Millenariorum* inventa, quibus falso delusus nimium inhærebat. Non obstantibus autem illis quasi necessariis, nondum evoluta fide, levioribus mendis, nemo est sive apud antiquos, sive apud recentiores, qui non tan-

quam optime meritum ab Ecclesia Justinum laudaverit. Sic Tatianus ejus discipulus eum vocat « omnium admiratione dignissimum. » (Apud Euseb. Hist. lib. IV, c. 16.) Sic Tertullianus (in lib. adversus Valentinum c. 6), laudans *viros, et sanctitate et præstantia insignes*, qui ante ipsum adversus hæreticos decertarant, primo loco recenset Justinum philosophum et martyrem. Sic Photius (in Bibliotheca): « Est, inquit, vir ille ad philosophiæ tum nostræ, » tum potissimum profanæ summum evectus fastigium, multiplicisque eruditionis et historiarum co» pia circumfluens: sed rhetorico artificio nativam » philosophiæ suæ pulchritudinem colorare *haud* » studio habuit. Oratio ejus pollens alioqui ac va» lida, scientificumque servans stylum, illa rhetorica » condimenta non spirat, nec illecebris et blandi» mentis vulgus auditorum attrahit. »

Nec minor in ejus laudibus Eusebius : « Justinus, » ait, philosophi habitu, tum verbum Dei prædican» do, tum scriptis pro fide acriter concertando, ma» gna famæ celebritate enituit, *qui*, omnium admi» ratione comprimis eximius, multa sane et præclara » sui ingenii sacrarum litterarum cognitione accu» rate informati, et in iisdem diligenter valde exer» citati monumenta nobis reliquit, eaque certe plena » utilitatis et commodi cujusque generis. » (Hist. Eccles. lib. IV, c. 11 et 16.)

S. vero Hieronymus : « Justinus philosophus, ha» bitu quoque philosophorum incedens, de Neapoli » urbe Palestinæ, patre Prisco Bacchio, pro religione » Christi plurimum laboravit, in tantum ut Anto» nino Pio et filiis ejus, et Senatui librum contra » Gentes scriptum daret, ignominiamque crucis non » erubesceret, etc. » (de Script. Eccles.)

S. denique Irenæus : « Justinus vir sanctus et Dei amans, Samaritanus genere, Christi fidem amplexus, ac magnopere in ea exercitatus, tum multiplici virtutis specimine per vitam edito, tandem martyrii pro Christo perfectam coronam meritus est in territorio Romano, Rustico præside, Adriano imperatore, annum agens 30, vel potius 50, in constanti ætatis gradu. » (Panar. lib. 1.) Unde cum Methodio recte prædicatur : « Vir haud longe ab Apostolorum temporibus et virtutibus remotus. » Apud Phot. cod. 234.)

Qua autem occasione, cujusque insidiis martyrium perpessus sit, ita explicat eodem ac supra loco S. Hieronymus : « Hic, inquit, cum in urbe Roma » haberet τας διατριβας, et Crescentem Cynicum, quia » multa adversus Christianos blasphemabat, redar» gueret gulosum, et mortis timidum, luxuriæque » et *libidinum* sectatorem, ad extremum studio ejus » et insidiis accusatus quod Christianus esset, pro » Christo sanguinem fudit. »

S. Justini opera græce primus edidit Robertus Stephanus, Parisiis, 1551, in-fol. præter Orationem ad Græcos et Epistolam; illa ex græco in latinum primus transtulit Joachim Perionius, Benedictinus Cormæriacensis, an. 1554, Par. Supplevit Henricus Steph. 1592 et 1595, et tunc omnia interpretatus est latine Sigismundus Gelenius, Basileæ, 1515, et Parisiis, 1565, in-8°. Eodem anno tertiam interpretationem in lucem emisit Joannes Langus Silesius, Basileæ. S. Justini opera græce edidit Fridericus Sylburgius, cum Joannis Langi interpretatione, anno 1693, Heidelbergæ. Joannes Ernestus Grabbe edidit Oxoniæ majorem Apologiam, mendis purgatam, an. 1700; cui Samuel Jebb et Hutchinus reliquos libros adjecerunt, et opus in-8° Londini an. 1719 prodiit. Item duæ Apologiæ et Dialogus cum Tryphone, cum notis Styani Thiribii, anno 1722 prodierunt. Reperiuntur omnia in Bibliothecis Patrum Coloniensi et Lugdunensi. Denique novam editionem adornavit R. P. Prudentius Marand, congre-

gationis S. Mauri monachus, in qua præmissa longa præfatione operum ordinem, qui ad arbitrium in superioribus editionibus institutus fuerat, ex temporis notis direxit; rejecti in Appendicem suppositi Justino libri; et secunda pars Appendicis assignata fuit Actis martyrii S. Justini, græce et latine a Sapebrochio editis, quibus fragmenta operum deperditorum S. Justini subnexa sunt. Hac usi sumus, quæ prodiit Parisiis, 1742.,

In linguam gallicam versa sunt 1° integra Justini scripta a Joan. Demaumont, et Parisiis excusa, an. 1554 et 1559, in-fol.

2° *Apologia* longior, gallicæ fidei reddita a Chanuto, cum nomine Petri Fondati prodiit Parisiis, an. 1670, in-12, et an. 1686 repetita est cum vero Chanuti nomine.

3° *Liber Parænetícus* a Martino Dupin interpretatus est, et excusus an. 1580, Parisiis.

4° *Epistola ad Diognetum*, vertente D. Legras, in lucem emissa est Parisiis, an. 1725, in-12.

S. P. N. JUSTINI,

PHILOSOPHI ET MARTYRIS,

AD GRÆCOS ORATIO.

EX STEPHANI INTERPRETATIONE PLURIBUS LOCIS EMENDATA.

I. Ne existimate, Græci, nulla me cum ratione, aut nullo cum judicio a vestris ritibus descivisse. Nihil enim in illis sanctum aut Deo acceptum inveni. Illa siquidem ipsa quæ poetæ vestri composuerunt, rabiei et vinolentæ cujusdam petulantiæ sunt monumenta. Nam si quis ad eum qui apud vos doctrina excellit, discendi gratia accedat, in plures quam quisquam hominum difficultates delabitur. Primum enim dicunt, Agamemnonem, magnæ fratris libidini, rabiei, et effreni cupiditati auxiliantem, filiam ad sacrificium haud gravate dedisse, et totam Græciam turbasse, ut Helenam recuperaret, quæ a scabioso pastore rapta erat. Cum autem bello etiam superveniente captivos abduxerunt, ipse Agamemnon a Chryseide captivus abductus est, et adversus Thetidis filium propter Briseidem inimicitias suscepit. Ipse autem Pelides, qui fluvium saltu transiliit, qui Trojam evertit, qui Hectorem in potestatem redegit, vester ille heros, Polyxenæ servitutem serviebat, ab Amazone mortua superatus erat: cum arma a deo fabricata exuisset, et vestem, qualem sponsi gerunt, induisset, amoris conciliatrix victima in Apollinis templo fuit. At Ithacensis Laertiades, ex improbitate famam virtutis lucratus est. Fuisse autem bonæ prudentiæ expertem, illa circa locum ubi Sirenes erant navigatio declaravit: cum prudentia aures obturare

non potuerit. Telamonius ille Ajax, septemplicis clypei gestator, judicio quod de armis *Achillis* adversus Ulyssem intenderat, superatus, furore corripiebatur. Hæc doceri nolo. Non enim de tali virtute contendo, ut Homeri fabulis fidem præbeam. Est enim tota rhapsodia, ac Iliadis et Odysseæ principium ac finis mulier.

II. Sed quoniam post Homerum Hesiodus opera et dies conscripsit, quis nugaci ejus Theogoniæ assentietur? Aiunt Saturnum Cœli filium imperium patri abrogasse, et sceptra cepisse : cumque ortus ei metus esset ne similia pateretur, in animum induxisse liberos comedere : sed Jovem, cum Curetum solertia furto sublatus esset et latuisset, vinculis patrem constrinxisse : ac partitione, ut aiunt, facta, Jovem quidem æthere potitum esse; Neptunum autem profundo; at Plutonem inferos pro sua portione sortitum esse. Verum Pluto quidem Coren, *id est Proserpinam,* rapuit : et Ceres per deserta errans, filiam quærebat. Atque hanc fabulam in altum ignis Eleusinius extulit. Alia autem ex parte Neptunus Melanippæ pudorem rapuit, dum illa aquaretur : quinetiam turba Nereidum non paucarum abusus est : quarum nomina si commemoremus, magnam verborum multitudinem consumeremus. Ad Jovem autem quod attinet, is multis modis adulter, in Antiope, ut satyrus; in Danae, ut aurum : in Europa, taurus erat : apud Ledam vero, alas sumebat. Nam Semeles amor, et ejus petulantiam, et ipsius Semeles zelotypiam coarguit. At Ganymedem Phrygem, seu ferunt, ut pincernæ officio fungeretur, rapuit. Ac Saturnii quidem ita se gesserunt. Ac vester ille Latoides, *id est Apollo,* qui magni est nominis, cum se artis vaticinandi peritum professus esset, seipsum mendacii convictum reddidit. Daphnem enim cum persequeretur, eam non est assequutus : et Æacidæ illum sciscitato mortem vaticinatus non est. Nam Minervæ virile vitæ genus, Dionysi muliebre,

Veneris meretricium taceo. Legite Jovi, Græci, legem adversus eos latam qui parentem pulsant, et pœnam adulterio rrogatam, et pædicationis turpitudinem. Docete Minervam et Dianam quæ sint mulierum opera; et Dionysum, quæ sint virorum. Quid majestate aliqua dignum præstat mulier armis ornata? quid vir ille qui cymbala et corollas ac muliebrem vestem pro suo cultu habet, et cum mulierum grege orgia celebrat?

III. Nam trivesperum Alcidem, certaminum clarum ducem, Jovis filium : qui occidit leonem, et capitum multorum hydram stravit; verum is qui aprum robore infatigabili præditum morti dedit; qui aves hominum voratrices potuit volantes deturbare; qui canem tricipitem ex inferis sursum abduxit; qui Augiæ validum murum purgare stercoribus potuit; qui tauros et cervam interfecit naribus ignem spirantes, et fructum aureum ab ipso trunco accepit; qui serpentem venenum jaculantem confecit (et Acheloum quam ob causam occiderit, fas non est dicere, et hospitum interfectorem Busirin); qui montes saltu transiliit, ut aquam acciperet quæ vocem articulatam edebat, sicut fama est : qui tam multa et talia tantaque facere potuit, is tanquam puerulus, aures suas personare strepitu cymbalorum, quæ satyri pulsabant, passus, et feminæ amore superatus, se a Lyde ridente in nates cædi lætabatur; ac tandem, cum Nesseam tunicam exuere non potuisset, sua ipsius a se exstructa pyra, vitæ finem statuit. Deponat zelotypiam Vulcanus, et ne invideat si, cum senex et claudus esset, odio haberetur, at Mars charus foret, qui juvenis ac formosus erat. Vestri igitur dii, o Græci, præ libidine tales esse convicti sunt; vestri autem heroes, effeminati, ut declararunt vestræ historiæ, quæ tragœdiis argumenta suppeditarunt, Atrei piacula, Thyestæ concubitus, et Pelopidarum exsecranda facinora; et Danaum invidia impellente cædes per-

petrantem, et filiis carentem ebrium; et Thyesteas cœnas, *quas* Erinnyes struebant. Ac Procne ad hunc usque diem pennata gemit; et hujus soror Atheniensis post abscissam linguam stridorem quemdam edit. Nam Œdipodis transfixos fibulis pedes quid attinet referre? et Laii cædem, et cum matre initas nuptias, et quomodo fratres ejus simul ac filii mutuis vulneribus occubuerint?

IV. Vestros etiam conventus panegyricos odio prosequor. Ibi enim luxui immensum in modum et multo pluquam ad satietatem, indulgetur : ibi sunt artificio exquisito factæ tibiæ, quæ ad motus incitant, quales sunt œstro percitorum : et unctiones curiosæ ac supervacaneæ, quæ unguentis fiunt, quod et de corollis dici potest quibus capita rediminuntur. Ac tanto malorum acervo verecundiam circumscribitis : impleturque vobis mens, dum præ intemperantia et petulantia in Bacchicum quemdam furorem prorumpitis : unde etiam rabiosis uti concubitibus soliti estis. Dixerim autem vobis hoc quoque : Quid tu, *cum Græcus sis*, filio tuo succenses, si Jovem imitans, tibi insidiatur, et nuptias tuas furatus est? Cur hunc esse inimicum censes? at illi similia perpetrantem veneraris. Cur item de uxore tua expostulas, quod petulanter vivat et libidinose? at Venerem templis honorasti. Ac, siquidem ista ab aliis dicta essent, accusatio mera esse visa fuissent, ac non veritas : sed contra poetæ vestri hæc canunt, hæc clamant ex quæ apud vos sunt historiæ.

V. Accedite in posterum Græci, et sapientiæ incomparabilis participes estote : ac divinis sermonibus docemini, et regis corruptioni non obnoxii notitiam capite : minimeque heroes istos agnoscite, qui cædes patrant in hominum turba. Noster enim ille *imperator*, Verbum divinum, quod nobis assidue præest, non vult corporis strenuitatem, et neque faciei pulchritudinem, neque nobilitatis elatos spiri-

tus; sed animam puram, sanctimonia munitam, et regis nostri tesseras, divinas actiones : quippe cum per Verbum vis quædam in animam pervadat (o tibia pacifica animæ bello appetitæ! o gravium affectuum fugatorium instrumentum! o ignis animæ insiti exstinctorium magisterium!) quæ nos non efficit poetas, non philosophos reddit, neque oratores excellentes; sed docens ex morti obnoxiis immortales, et deos ex mortalibus facit : e terra autem in ea loca transfert, quorum termini sunt ultra Olympum. Accedite *Græci*, docemini. Estote ut ego : quoniam et ego eram ut vos. Hæc me ceperunt, et doctrinæ vis enthea et Verbi efficacia : quoniam sicut incantator peritus formidabilem serpentem fugat, postquam fecit ut e suo latibulo ereperet : sic Verbum ex intimis animi penetralibus formidabiles sensuum affectus expellit, ac primum cupiditatem, ex qua quidquid formidabile est nascitur, inimicitiæ, rixæ, invidia, æmulationes, iræ, et his similia. Cupiditate igitur expulsa, tranquillitatem et serenitatem anima consequitur. Soluta autem malis quæ cervicem ejus circumfluunt, ad eum abit qui ipsam condidit. In eum enim locum oportet restitui unde abscessit.

EJUSDEM JUSTINI

COHORTATIO AD GRÆCOS.

I. Cohortationem apud vos, Græci, instituens, Deum precor, ut mihi quidem apud vos, ut par est, dicere contingat; vos autem pristinam pertinaciam relinquentes, et a majorum discedentes errore, quæ utilia sunt in præsentia eligatis : nec quidquam a vobis in majores vestros *peccatum* iri existimetis, si quæ pugnant cum iis quæ olim minus bene opinati sunt, nunc vobis utilia videantur. Accurata enim rerum investigatio, ea etiam quæ præclare se habere visa fuerant, sæpe alia esse demonstrat, *postquam* accuratiore trutina verum exploravit. Itaque *cum propositum* nobis sit de vera religione disserere (qua quidem nihil iis qui vivere extra periculum volunt, antiquius esse arbitror propter futurum post finem hujus vitæ judicium, quod quidem non nostri solum in Dei cultu progenitores prædicant, prophetæ et legislatores, sed ii etiam qui apud vos sapientiæ opinionem habuere, tum poetæ, tum veram ac divinam apud vos scientiam assecutos se esse profitentes philosophi), præclarum factu judicavi, primo quidem de religionis nostræ simul atquè vestræ magistris inquirere, qui et quales, quibusque temporibus fuerint; ut et qui prius falso appellatam religionem a majoribus accepere, nunc re cognita, inveterato illo liberentur errore; sed et nosmetipsos clare et aperte demonstremus eorum religionem sequi, quos in Dei cultu progenitores habuimus.

Quosnam igitur, o Græci, religionis vestræ magistros

citis? Poetas? At id vobis dicere non proderit apud eos ιi in poetis versati sunt. Norunt enim illorum perridicum de deorum origine sententiam, quemadmodum ex ceberrimo apud vos et principe poetarum Homero discere ›ssumus. Primo enim ille generationem deorum ex aqua itium habuisse dicit. Ita enim scribit :

Oceanum deorum originem et matrem Tethym. *Iliad.* Ξ, v. 311.

einde vero et quid de primo apud eos opinato dicat deo, ıem etiam sæpe *patrem* appellat *hominumque deumque*, ecessarium est subjicere : inquit enim :

Jupiter qui hominum dispensator belli est. *Ib.* T, 224.

unc sane non tantum copiis militaribus auctorem belli, :d Trojanis etiam, per filiam ejus, perjurii causam fuisse icit; eumdemque amantem et lamentantem et insidiis ab liis diis appetitum Homerus inducit :

Hei mihi, quod mihi Sarpedonem charissimum virorum
Fatale est a Patroclo Menœtiade interfici! *Ib.* Π, 433.

ıunc autem de Hectore :

Proh malum! certe dilectum virum fugatum circà murum
Oculis video : meum autem angitur cor. *Ib.* X, 168.

Quæ vero de aliorum deorum adversus Jovem insidiis memoret, intelligunt qui versus hosce legunt :

Quo tempore eum colligare cœlites voluerunt cæteri,
Junoque, et Neptunus, et Pallas Minerva. *Ib.* A, 399.

Ac nisi quem Briarea vocant dii, extimuissent beata illa numina, vinctus ab eis fuisset Jupiter. Enimvero quæ etiam de impotentibus Jovis amoribus Homerus canat, necesse est vobis, totidem illius verbis referendis, exponere. Sic enim illum ait cum Junone loqui :

Non enim unquam mihi sic deæ amor, neque mulieris,
Animum pectoribus circumfusus domuit :

Neque quando captus fui amore Ixioniæ uxoris,
Neque quando Danaes formosæ Acrisii filiæ,
Neque quando captus fui amore Phœnicis filiæ inclyti,
Neque quando Semeles, neque Alcmenes in Thebis,
Neque quando Cereris pulchricomæ reginæ,
Nec quando Latonæ valde illustris neque tui ipsius : *Iliad.* Ξ, 325.

Quæ porro de aliis ibidem diis ex Homeri poemate cognoscere liceat, et quot et quanta ab hominibus pertulerint, consentaneum est nunc commemorare. Nam Martem et Venerem a Diomede vulnera accepisse ait; et præterea multorum aliorum deorum ærumnas recenset. Sic enim licet nobis ex Dione filiam consolante discere. Ait enim ad illam :

Perfer filia mea, et tolera; angaris licet.
Multi enim jam pertulimus cœlestes domos habitantes
Ab hominibus, gravibus malis invicem illatis.
Passus est quidem Mars, quando ipsum Otus fontisque Ephial-
Filii Aloei, ligaverunt validis vinculis. [tes,
Æreo autem in carcere ligatus fuit tredecim menses. *Ib.* E, 383.
Passa est et Juno quando eam fortis filius Amphitryonis
Dextram ad papillam sagitta tricuspide
Vulneravit : tunc ipsam immedicabilis cepit dolor.
Passus est et Pluto, inter hos ingens, velocem sagittam
Quando ipsum idem vir filius Jovis ægiochi, [dit :
Ad portam *inferorum* inter mortuos assequutus doloribus tradi-
Sed is ivit ad domum Jovis magnumque Olympum
Corde dolens, doloribus cruciatus, nam sagitta
Humerum per fortem adacta erat, et angebat animum. *V.* 393.

Si vero cæterorum quoque deorum commissam inter ipsos pugnam referre vobis oporteat, ipse vos poeta vester edocebit, dum ait :

Tantus adeo sonitus ortus est deorum contentione congredien-
Etenim contra Neptunum regem [tium.
Stabat Apollo Phœbus, habens sagittas pennatas;

Contra Martem, dea cæsia Minerva:
Contra Junonem stabat, aurea tela gerens, sonora,
Diana sagittis gaudens, soror procul jaculantis Apollinis:
Contra Latonam stabat servator perutilis Mercurius. *Iliad.* Υ, 65.

Hæc vos de diis et alia ejusmodi docuit Homerus, nec Homerus solum, sed etiam Hesiodus. Quapropter si creditis poetarum vestrorum præstantissimis, qui genealogias deorum vestrorum scripsere; necesse est ut eos vel tales existimetis esse, vel ne deos quidem omnino esse credatis.

III. Sin autem poetas refugitis allegare, propterea quod licere illis fingere dicitis, et multa a vero remota de diis fabulose disserere; quos tandem alios religionis vestræ magistros habere vobis videmini, et quomodo eam illos dicitis accepisse? Fieri enim non potest ut tam magna et divina cognoscant, nisi qui prius a scientibus didicerint. Sapientes profecto et philosophos dicetis. Ad hos enim tanquam ad murum communitum confugere soletis, si quis vobis poetarum de diis objiciat opiniones. Quamobrem cum a veteribus et primis ordiri conveniat, inde incipiam et cujusque opinionem, multo sane poetarum theologia magis ridiculam, exponam. Thales quidem Milesius, qui naturalis philosophiæ pertractandæ princeps exstitit, rerum omnium principium aquam esse pronuntiavit: ex aqua enim ait omnia fieri et in aquam omnia resolvi. Post hunc Anaximander, ex eadem Mileto, infinitum principium omnium constituit: ex eo enim fieri omnia et in illud redire omnia. Tertius Anaximenes, Milesius et ipse, aerem omnium principium esse decernit: ex eo enim omnia fieri et in illud resolvi. Heraclitus et Hippasus Metapontinus principium omnium ignem esse pronuntiant: ex igne enim nasci omnia et in ignem omnia desinere. Anaxagoras Clazomenius similitudines partium: Archelaus Atheniensis, Apollodori filius, aerem infinitum, illiusque densitatem et raritatem omnium

principium esse dicit. Hi omnes a Thalete orti eam philosophiam persequuti sunt, quam ipsi naturalem vocant.

IV. Rursus autem ab alio capite et fonte Pythagoras Samius, Mnesarchi filius, principia numeros vocat, eorumque proportiones et concentus, et composita ex utrisque elementa, tum etiam monadem et infinitam dyadem. Epicurus Atheniensis, filius Neoclis, rerum principia esse statuit corpora, quæ ratione percipiuntur, vacui expertia et ingenita, quæque nec corrumpi nec frangi possunt, nec ex partibus conformari aut immutari, ac propterea ratione percipiuntur. Empedocles Agrigentinus, Metonis filius, quatuor elementa, ignem, aerem, aquam, terram, vimque duplicem imperantem, amicitiam et discordiam, quarum altera copulandi, altera separandi facultate prædita. Videtis igitur perturbationem eorum qui apud vos sapientes habiti sunt, quosque vobis magistros religionis fuisse dicitis; aliis aquam omnium principium esse pronuntiantibus, aliis aerem, aliis ignem, aliis aliud quidpiam eorum quæ prædiximus; omnibus vendibili quadam oratione ad eorum, quæ non bene statuerunt, confirmationem utentibus, ac ut propria opinio præstantior videatur, enitentibus. Hæc ab illis dicta. Quomodo igitur his qui salutem adipisci cupiunt, tutum sit existimare, o Græci, se veram religionem ab his posse perdiscere, qui ne sibi ipsis quidem persuadere potuerunt, ut ne inter se litigarent, et a suis invicem opinionibus dissidere viderentur.

V. Sed forte qui ab antiquo illo et inveterato discedere nolunt errore, non ab istis, quos recensuimus, doctrinam religionis sese accepisse dicunt, sed a celeberrimis apud eos et perfectissimæ virtutis opinionem adeptis philosophis, Platone et Aristotele. Hos enim perfectam et veram aiunt didicisse religionem. Equidem primo ex his, qui ita dicunt, libenter quæsierim, quibus illos magistris usos hæc cogno-

isse dicant. Fieri enim non potest ut qui tam magna et ivina a peritis non didicerunt, ea aut sciant ipsi, aut alios ecte valeant edocere. Deinde vero eorum quoque opinioes expendi arbitror oportere. Videbimus enim an non houm etiam uterque cum altero pugnare videatur. Quod si e hos quidem inter se consentire reperimus, non difficile, rbitror, erit eorum quoque ignorationem manifeste deprehendere. *Plato* igitur, tanquam e supernis descendisset, et quæ in cœlo sunt accurate omnia didicisset et vidisset, summum Deum in ignea substantia esse dicit[1]. Aristoteles autem in libro, quem scripsit ad Alexandrum Macedonem, brevem quamdam philosophiæ suæ rationem exponens, clare et aperte Platonis evertit sententiam, ac Deum in ignea substantia esset negat; sed quintum quoddam æthereum et immutabile effingens corpus, in eo ipsum versari pronuntiat. Sic quippe scribit : « Non ut quidam circa res » *divinas hallucinati Deum in ignea substantia esse dicunt.* » Deinde *quasi hoc in* Platonem maledicto parum contentus esset, illum etiam ab eo ejectum civitate, ut mendacem et tertium veritatis imaginum (ita enim appellat Plato) imitatorem Homerum, ad ea, quæ de corpore æthereo dicit, demonstranda testem advocat. Scribit enim : « Ad hunc » ergo modum et Homerus ait :

» Jupiter sortitus est latum cœlum in æthere et nubibus. » *Il.* O, 192.

In quo quidem ex Homeri testimonio auctoritatem opinioni suæ arcessere conatur : sed non videt, si Homero, ut verum a se dici demonstret, teste utatur, futurum ut multæ ipsius opiniones non veræ esse videantur. Thales enim Milesius, qui primus apud eos philosophari cœpit, ansa ab eo accepta primas ejus de principiis opiniones evertet. Nam cum Aristoteles Deum et materiam omnium principia esse dicat, antiquissimus omnium apud eos philosophorum Tha-

[1] Falso Platoni tribuitur hæc circa Deum sententia.

genitalem. Ac omnino incondita apud eos et discors quædam inveteravit sententia, quæ hac una re æquis judicibus laudanda videatur, quod sese invicem conati sint erroris et ignoratæ veritatis crimine premere.

VIII. Igitur cum veri nihil ex magistris vestris de religione disci possit, ut qui vobis idonea suæ rerum ignorationis documenta mutuis dissensionibus præbuerint; sequi mihi videtur, ut ad majores nostros recurramus, qui et multo antiquiores vestris fuere, nec quidquam proprio marte excogitatum nos docuerunt: nec inter se digladiati aut suas invicem opiniones evertere conati sunt, sed sine ullo contentionis et partium studio scientiam a Deo acceperunt, eamque nos docuerunt. Neque enim natura, aut humani ingenii acie res tam magnæ ac divinæ cognosci ab hominibus possunt; sed eo, quod tum in sanctos homines descendebat, dono, quibus quidem nec verborum artificio opus fuit, nec pugnaciter quidquam et rixandi studio dicere, sed puros seipsos divini Spiritus operationi præbere, ut divinum illud delapsum e cœlis plectrum, velut quodam citharæ aut lyræ instrumento, ita justis hominibus utens, divinarum nobis et cœlestium rerum cognitionem recluderet. Propterea ergo velut ore uno et lingua una tum de Deo et mundi origine, tum de hominis creatione et animæ humanæ immortalitate, ac futuro post hanc vitam judicio, tum de omnibus rebus, quarum nobis necessaria cognitio est, summa et secum ipsis constantia et inter se consensione nos docuerunt; idque cum variis locis et temporibus divinam nobis doctrinam traderent.

IX. Ducam igitur initium a primo apud nos propheta et legislatore Mose; ac prius quidem quibus temporibus fuerit, ex gravissimis apud vos testimoniis exponam. Nam non modo ex divinis apud nos historiis, quibus nondum ob veterem majorum errorem assentiri vultis, hæc demonstrare

non aggredior, sed etiam ex vestris ac nihil ad religionem nostram pertinentibus; ut intelligatis omnibus apud vos sive sapientibus, sive poetis, sive historiæ scriptoribus, sive philosophis, sive legislatoribus multo antiquiorem fuisse primum religionis nostræ magistrum Mosem; quemadmodum nobis declarant historiæ Græcorum. Illæ enim Ogygis et Inachi temporibus, quos etiam nonnulli ex vestris terra genitos crediderunt, Mosem, ut ducem et principem nationis Judæorum, commemorant. Ita enim Polemon in primo Græcorum Historiæ libro, tum etiam Appion Posidonii, qui in suo adversus Judæos opere, et in quarto Historiarum libro scribit regnante Argis Inacho Judæos ab Amaside Ægyptiorum rege defecisse, quorum ducem fuisse Mosem. Ptolemæus quoque Mendesius, res gestas Ægyptiorum scribens, his omnibus assentitur. Et qui res Atheniensium litteris mandarunt, Hellanicus et auctor Atticorum Philochorus, Castor et Thallus et Alexander Polyhistor, tum etiam sapientissimi Judaicarum rerum scriptores Philo et Josephus, Mosis, ut antiquissimi et vetustissimi Judæorum ducis, meminere. Ac Josephus quidem, cum antiquitatem historiæ ex ipsa librorum inscriptione declarare vellet, ita in primordio Historiæ scripsit : *Flavii Josephi Judaicarum Antiquitatum libri*, vetustatem historiæ Antiquitatum nomine designans. Huc accedit celeberrimus vestrorum historiæ scriptorum Diodorus, qui Bibliothecas in compendium redegit per triginta ipsos annos, et cum Asiam et Europam, ut ipse scribit, ob summam in explorandis rebus diligentiam peragrasset, ac plurima oculis suis vidisset, quadraginta totos historiæ suæ libros posteris reliquit. Is in primo libro, postquam se ex sacerdotibus Ægyptiis accepisse dixit antiquum et primum legislatorem fuisse Mosem, sic de illo totidem verbis scribit : « Nam post antiquum vitæ statum, quem fabulæ sub diis et heroibus tra-

» ductum fingunt, primus Moses populis persuasisse fertur,
» ut scriptis legibus uterentur, vir et magnitudine animi,
» et utilitatibus vitæ hominum allatis celeberrimus. » Deinde paululum progressus, ac veteres legislatores recensere volens, primum commemorat Mosem. Sic enim totidem verbis loquitur : « Ferunt etiam apud Judæos Mosem Deo
» illi (qui vocatur Jao) leges suas adscripsisse, sive quod
» animi cogitationem, quæ utilis hominum multitudini fu-
» tura esset, admirabilem et divinam judicarent; sive quod
» plebem, dum eorum præstantiam et potestatem conside-
» rat, qui leges invenisse dicerentur, magis dicto audien-
» tem fore existimarent. Secundum Ægypti legislatorem
» Sasouchim fuisse memorant, virum prudentia præstan-
» tem. Tertium ferunt Sesonchosim regem, non solum re-
» bus bello gestis celeberrimum omnium Ægyptiorum
» fuisse, sed etiam bellicosam gentem legibus temperasse.
» Quartum Buchorim regem leges instituisse perhibent, sa-
» pientem quemdam et adprime versutum. Post hunc rex
» Amasis ad leges accessit : a quo tum quæ ad præfectos pro-
» vinciarum, tum quæ ad universam Ægypti administratio-
» nem spectant, descripta narrantur. Sextus tandem legi-
» bus Ægyptiorum præfuisse dicitur Xerxis pater Darius. »

X. Hæc, o Græci, scriptores a nostra religione alieni de Mosis antiquitate litteris mandarunt, seque omnia ex sacerdotibus Ægyptiis accepisse dixerunt, apud quos Moses non solum in lucem editus, sed etiam omni Ægyptiorum disciplina eruditus, eo quod a regis filia in filii haberetur loco et ob eam causam summa in eum cura impenderetur, quemadmodum perhibent sapientissimi historiæ scriptores, qui ejus vitam et res gestas et generis splendorem data opera memoriæ mandarunt, Philo et Josephus. Hi enim, dum de rebus gestis Judæorum scribunt, ex Chaldæorum genere Mosem oriundum esse narrant; cum autem ejus

ıajores fame adducti ex Phœnicia in Ægyptum transiis-ent, ibi virum illum natum esse, quem Deus ob exsuperan-m virtutem ornare voluit, ac genti suæ principem et ucem et legislatorem præfecit, cum ex Ægypto Hebræo-ım multitudinem in propriam regionem redire, æquum ıdicavit. Hunc Deus divino illo et prophetico dono, quod ım in sanctos homines sursum descendebat, primum im-ertivit: hunc primum religionis nostræ magistrum insti-ııit, ac deinde cæteros post eum prophetas, qui et idem ac lle donum consequuti sunt, et nos eadem iisdem de rebus ocuere. Hos religionis nostræ magistros fuisse dicimus, qui ıon ex humana cogitatione nos docuerunt, sed ex dono ıuod sursum a Deo accepere.

XI. Vos autem quia ob priorem patrum vestrorum erro-em his assentiendum esse non putatis, quos tandem dignos ide religionis vestræ magistros dicitis exstitisse? Fieri enim ıon potest, ut jam sæpe dixi, ut qui tam magna et divina rius a peritis non didicerint, ea vel ipsi sciant, vel recte lios edocere possint. Igitur ex his quæ diximus, cum satis exploratum sit quam sint philosophorum vestrorum opiniones ignorationis omnis et fraudis plenæ, relictis deinceps omnino philosophis, quemadmodum antea poetis, ad oraculorum præstigias confugietis. Audivi enim qui ita dicerent. Quamobrem consentaneum duco nunc vobis in tempore proferre, quæ prius apud vos his de rebus audivi. Consulenti enim cuidam, ut ipsi narratis, oraculum vestrum, quibus tandem hominibus piis esse ac religiosis aliquando contigisset, sic oraculum dicitis respondisse:

Soli Chaldæi sapientiam sortiti sunt et Hebræi
Per se genitum regem colentes Deum ipsum.

Quoniam ergo vobis videmini ex oraculis vestris verum posse discere, dum historias legitis et quæ de Mosis vita ho-

mines nostræ religioni alieni scripsere, atque ex Chaldæorum et Hebræorum genere ortum esse Mosem ac cæteros prophetas perspicitis; minime mirum et incredibile existimate, si ortum ex pio genere hominem, et digne majorum pietate viventem magno illo dono Deus ornare voluit, et primum omnium prophetarum designare.

XII. Illud etiam inquirere necessarium arbitror, quibus temporibus vestri extiterint philosophi, ut ætatem, quæ vobis illos extulit, recentem admodum ac brevem esse cognoscatis. Sic enim et Mosis antiquitatem facilius poteritis perspicere. Sed ne tempora percurrens longius facere videar, si pluribus utar argumentis, satis arbitror vel ex his demonstrare. Socrates enim Platonis, Plato Aristotelis præceptor. Hi autem Philippi et Alexandri Macedonis floruere temporibus, quibus etiam Atheniensium rhetores, ut nobis aperte demonstrant ipsius Demosthenis scriptæ *in Philippum* orationes. Aristotelem autem cum Alexandro regnante versatum esse, scriptores rerum ab Alexandro gestarum satis declarant. Undequaque igitur facile cognoscitur multo omnibus externis historiis antiquiorem esse Mosis historiam. Præterea nec illud vos decet ignorare, nihil a Græcis ante Olympiades accurate scriptum, neque ullum esse vetus monumentum, quod rem a Græcis aut barbaris gestam perhibeat. Sola ante illud tempus exstabat prophetæ Mosis historia, quam divino afflatu litteris Hebræorum commendavit. Nondum enim erant litteræ Græcorum, ut ipsi declarant litterarum magistri, qui Cadmum ex Phœnicia litteras primum attulisse, et cum Græcis communicasse dicunt. Illud etiam testatur princeps vestrorum *philosophorum* Plato, sero inventas litteras fuisse. Scripsit enim in Timæo sapientum sapientissimum Solonem, cum ex Ægypto reversus esset, hæc Critiæ narrasse, quæ ex quodam sacerdote Ægyptio admodum sene, ita eum alloquente audiverat:

O Solon, Solon, pueri semper estis Græci, nec quisquam inter Græcos senex. » Et rursus : « Adolescentes, inquit, animis semper estis : nullam enim in illis ex veteri auditione opinionem antiquam habetis, nec ullum die canescens institutum. Sed ignoratione laboratis, eo quod qui superstites ad multas ætates fuere, muti a litteris obierint. » Illud porro sciendum est historiam omnem litteris Græcorum, quæ sero inventæ sunt, esse conscriptam : ac sive poetarum quis antiquorum, sive legislatorum, sive historicorum, sive philosophorum aut rhetorum meminisse voluerit, eos reperiet ingenii sui monumenta litteris Græcis consignasse.

XIII. Quod si quis dicat Mosis quoque et aliorum prophetarum libros Græcis scriptos esse litteris; discat is, externa legens historiæ monumenta, Ptolemæum Ægypti regem, cum bibliothecam Alexandriæ construxisset, eaque libris undique comportatis repleta, postea didicisset antiquas historias Hebraicis litteris scriptas diligenter asservari; cupidum hæc scripta cognoscendi, septuaginta sapientibus viris græce et hebraice scientibus, quos Jerosolymis accersiverat, id negotii dedisse ut hos libros interpretarentur; atque ut ab omni interpellatione liberi citius interpretationem conficerent, jussisse illis non in ipsa quidem urbe, sed septem ab ea stadiis, ubi Pharus ædificata est, tot cellulas quot erant interpretes, fieri, ut pro se quisque separatim interpretationem absolverent; dato præpositis huic rei ministris mandato, ut omnem illis quidem humanitatem exhiberent, sed mutuo prohiberent congressu, ut accurata interpretationis diligentia saltem ex ipsorum consensu cognosci posset : postquam autem cognovit septuaginta illos viros non solum eadem sententia, sed iisdem etiam verbis usos esse, ac ne una quidem in vocula a mutuo consensu aberrasse, sed eadem iisdem de rebus scripsisse; tum vero stupore perculsum ac pro certo tenentem non sine vi divina

interpretationem confectam esse, omni illos quidem honore dignos, ut homines Deo charos, judicasse, et cum plurimis donis in patriam redire jussisse; libros autem, ut par erat, admirantem et divinos existimantem ibidem consecrasse. Hæc vobis, o Græci, fabula esse non debent, nec fictas vobis historias narramus. Sed qui Alexandriæ versati sumus, et vestigia cellularum vidimus in Pharo adhuc exstantia, ac rem ex incolis, qui eam a majoribus, ut patriæ suæ propriam, acceperant, audivimus, hæc vobis nuntiamus, quæ licet etiam ex aliis discatis, præsertim ex iis qui his de rebus historias scripserunt, sapientibus et spectatis viris, Philone et Josepho ac pluribus aliis[1]. Quod si quis ex iis qui libenter contradicere solent, non nostros hos libros, sed Judæorum, eo quod etiamnum in eorum synagogis asserventur, proprios esse dicat, ac frustra religionem his libris acceptam a nobis referri; noverit ille ex iis ipsis quæ his in libris scripta sunt, non Judæorum, sed nostram esse horum librorum doctrinæ possessionem. Quod *autem* hi libri, qui religionis nostræ proprii sunt, etiamnum *apud* Judæos asservantur, id providentiæ divinæ nobis consulentis opus exstitit. Nam ne ex Ecclesia proferentes locum suspicandæ fraudis præbeamus hominibus nobis obtrectandi cupidis, ex Judæorum synagogis eos proferri postulamus, ut ex ipsis illis libris, qui adhuc apud eos asservantur, clare et aperte nostras esse pateat leges, quæ a sanctis viris ad doctrinam scriptæ sunt.

XIV. Necessarium ergo est, o Græci, ut futura prospicientes ac illud non a piis solum, sed etiam ab externis prædicatum judicium intuentes, non jam majorum errori citra examen adhæreatis, nec si quid illi vobis allucinantes tradiderint, id verum esse existimetis; sed periculum offendendi in re tanti momenti respicientes, ea etiam quæ-

[1] Circa hujus historiæ veritatem vide D. *Calmet*.

ratis et accurate investigetis, quæ a vestris, ut ipsi dicitis, magistris dicta sunt. Nam et ipsi divina rerum humanarum providentia coacti sunt multa nobiscum facientia vel inviti dicere, ii præsertim qui in Ægypto versati sunt, et ex Mosis ejusque majorum religione utilitatem perceperunt. Neque enim vestrum quemquam latere arbitror, ut qui profecto Diodori, et aliorum qui his de rebus scripserunt, historiæ monumenta legeritis, Orpheum et Homerum, et Solonem, eum qui leges Atheniensibus descripsit, et Pythagoram et Platonem et nonnullos alios, cum venissent in Ægyptum, et Mosis historiam ad usus suos adjunxissent, iis quæ prius non belle de diis opinati fuerant, contraria deinceps sta tuisse.

XV. Orpheus igitur, qui vestræ, ut ita dicam, plurimæ divinitatis primus magister exstitit, quid postea filio suo Musæo cæterisque germanis auditoribus de uno ac singulari Deo prædicaverit, necesse est ut vos submoneam :

Loquar quibus fas est : portas occludite profani
Omnes simul. Tu vero audi luciferæ fili lunæ
Musæe; dicam enim vera; nec te quæ prius
In corde meo animadvertisti, privent beata vita.
Ad Verbum divinum respiciens, illi asside,
Dirigens cordis intelligens profundum, et rectam incede
Viam, et solum respice mundi regem.
Unus est ex se genitus : ab uno, quæcumque sunt genita, creata [sunt:
In illis ipse versatur, nec quisquam illum
Videt mortalium, ipse autem omnes videt.
Hic post bonum hominibus dat malum,
Et bellum horribile et dolores lacrymosos.
Nec ullus est alius præter magnum regem.
Illum autem non video. Nam circa illum nubes constituta est.
Omnibus autem mortalibus mortales sunt pupillæ in oculis
Infirmæ videre Jovem omnium regnantem.
Hic enim æreo in cœlo constitutus est

Aurato in solio, ac terram pedibus calcat,
Manum autem dextram ad terminos oceani
Undique extendit. Circum enim tremunt montes magni,
Et fluvii, et cani profundum cærulei maris.

Et rursus alicubi sit ait :

Unus Juppiter, unus Pluto, unus Bacchus,
Unus Deus in omnibus. Quid hæc tibi seorsum prædico?

Et rursus in juramentis :

Per cœlum te adjuro Dei magni sapientis opus,
Adjuro te per vocem Patris, quam primum pronuntiavit,
Cum mundum universum suis firmavit consiliis.

Quid sibi vult cum dicit :

Adjuro te per vocem Patris, quam primum pronuntiavit?

Vocem hoc loco appellat Dei Verbum, per quod cœlum et terra et universa condita est creatura, ut nos docent divina sanctorum hominum oracula, quibus et ipse aliqua ex parte in Ægypto animadversis, Verbo Dei omnem creaturam conditam esse cognovit. Quapropter postquam dixit,

Adjuro te per vocem Patris, quam primum pronuntiavit,

protinus subjungit :

Cum mundum universum suis firmavit consiliis.

Hic Verbum appellat vocem propter poeticam mensuram: ac rem ita se habere ex eo perspicitur, quod paulo antea versu concedente Verbum illud appellet. Dixit enim:

Ad Verbum divinum respiciens illi asside.

XVI. Quid autem per vaticinia de uno et singulari Deo doceat antiqua illa et admodum vetus Sibylla, quam Plato et Aristophanes et plures alii, ut vatem, commemorant, necesse est referre. Sic autem ait :

Unus Deus, qui solus est, ter maximus, increatus,
Omnipotens, invisibilis, ipse videns omnia.
Ipse autem a nulla videtur carne mortali.

Sic etiam alicubi :

Nos autem ab immortalis viis aberraveramus,
Ac opera manu facta colebamus stulta mente
Simulacra et statuas pereuntium hominum.

Et rursus sic alicubi :

Felices homines super terram erunt,
Quicumque diligent magnum Deum, benedicentes
Antequam comedant et bibant, confidentes pietate :
Qui omnia quidem templa abnegabunt videndo,
Et altaria, inanes lapidum sedes surdorum,
Cruoribus animalium contaminata et victimis
Quadrupedum : et respicient ad unius Dei magnum decus.

Atque hæc quidem Sibylla.

XVII. Homerus autem poeta, dum licentia utitur poetica, et Orphei opinionem de deorum multitudine, in ipso carminis exordio significatam æmulatur, fabulose plures deos commemorat, ne discrepare videretur ab Orphei poesi, quam quidem ita sibi ad imitandum proposuit, ut suum erga illum studium ipso etiam carminis primo versu declaraverit. Nam cum Orpheus,

Iram cane, dea, Cereris frugiferæ,

in exordio carminis dixisset; ipse,

Iram cane, dea, Pelidæ Achillis,

scripsit : in quo quidem maluit, ut mihi videtur, etiam legitima carminis mensura in ipso primordio excidere, ne deorum nominis non statim meminisse videretur. At paulo post suam ipsius de uno et singulari Deo clare et aperte exponit sententiam, nunc per Phœnicem sic Achillem alloquens,

. . . . . . Non Deus ipse mihi si spondeat auctor
Facturum abstersa juvenem florere senecta *Iliad.* I,

per pronomen eum, qui vere est, Deum indicans; nunc per Ulyssem sic ad Græcorum multitudinem verba faciens :

Non bonus est multorum principatus: unus princeps esto. *Il.* B, 206.

Porro non bonum esse multorum principatum, sed potius malum, re demonstrandum sibi proposuit, eorum bella ob principum multitudinem et pugnas et seditiones et mutuas insidias enarrans. Nam monarchia his incommodis caret. Hæc quidem Homerus poeta.

XVIII. Quod si et eorum qui ex scena sunt, adjicere oportet de uno Deo testimonia; audite Sophoclem sic dicentem:

Unus profecto est, unus est tantum Deus,
Cœli solique machinam qui condidit,
Vadumque ponti cærulum, et vim spiritus.
At ducta cæco errore gens mortalium,
Commenta cladis in suæ solatium est
Formas deorum saxeas aut æreas
Aurove ductas fusili, aut eburneas.
His victimarum sanguinem, his festos dies
Cum dedicamus, esse nos remur pios.

Hæc igitur Sophocles.

XIX. Pythagoras autem, Mnesarchi filius, qui philosophiæ suæ decreta symbolis arcane exposuit, ut demonstrant qui illius vitam scripsere, videtur et ipse de uno Deo ea sentire quæ digna sint Ægyptiaca peregrinatione. Nam dum unitatem principium omnium esse dicit, ipsamque omnium bonorum esse causam; unum esse ac singularem Deum per allegoriam docet. Idque ita se habere inde patet, quod unitatem et unum inter se multum differre dicat. Unitatem enim in iis esse statuit, quæ mente percipiuntur; unum autem in numeris. Quod si Pythagoræ de singulari Deo sententiam clarius perspicere vultis, audite hæc illius verba: « Deus unus est: nequaquam autem, ut quidam suspicantur, extra mundum, sed in ipso: totus in toto circulo » inspiciens omnes generationes. Temperatio est omnium » sæculorum, et opifex virtutum et operum suorum. Prin-

» cipium omnium, in cœlo lumen, et omnium pater, mens » et animatio universorum, circulorum omnium motio. » Ita igitur Pythagoras.

XX. Plato autem etsi probabat, ut verisimile est, Mosis et aliorum prophetarum de uno et singulari Deo sententiam, quam in Ægypto cognoverat; cum tamen timeret ob ea quæ acciderant Socrati, ne quem ipse Anytum aut Melitum in se cóncitaret, qui se apud Athenienses accusaret, ac diceret : Plato injuste et curiose se gerit, quos civitas agnoscit deos, nullos ipse prorsus agnoscens; metu cicutæ variam quamdam et simulatam de diis disputationem instituit, et artificio quodam consequitur, ut deos esse his qui ita sentiunt, quibus autem secus videtur, nullos esse dicat; id quod perfacile est ex illius dictis cognoscere. Postquam enim quidquid factum est, mortale esse pronuntiavit, deos deinceps factos fuisse dicit. Igitur si principium omnium Deum et materiam esse vult, liquet omnino necessarium esse, ut ex materia deos factos dicat. Quod si facti ex materia, ex qua malum ortum esse dixit; quales existimandi sint dii ex materia facti, sanis mentibus considerandum reliquit. Nam idcirco materiam ipsam increatam esse dixit, ne Deum mali conditorem dicere videretur. Ac de diis quidem a Deo conditis hæc ab eo dicta esse liquet : « Dii » deorum, quorum ego sum conditor. » De eo autem, qui vere est, Deo rectam videtur habere sententiam. Nam cum audisset in Ægypto Deum dixisse Mosi, cum eum ad Hebræos missurus esset, *Ego sum existens ille*, intellexit Deum nequaquam suum illi proprium nomen dixisse.

XXI. Nullo enim proprio nomine Deus appellari potest : sunt quippe nomina ad designationem et distinctionem subjectarum rerum, quæ et multæ et variæ sunt, instituta : at nemo præextitit qui Deo nomen imponeret, nec seipse nominandum esse duxit, cum unus et solus sit, quemadmo-

dum et ipse per suos prophetas testatur, cum ait : « Ego » Deus primus. Et ego postea. Et præter me Deus alius non » est[1]. » Propterea igitur, ut jam dixi, nullius nominis meminit Deus cum Mosem ad Hebræos mitteret, sed per quoddam participium, unum et solum se esse Deum arcane docet. *Ego enim*, inquit, *sum existens ille*, seipsum existentem non existentibus opponens, ut qui prius decepti fuere, non iis qui existunt, sed iis qui non existunt adhæsisse se intelligant. Siquidem cum Deus sciret primos homines in memoria habuisse antiquam illam fraudem, qua majores ipsorum decipere voluit humani generis hostis dæmon, cum eos sic alloqueretur : « Si obsequuti mihi fueritis mandatum » Dei transgredientes, eritis sicut dii, » deos appellans eos qui non erant, ut homines arbitrati alios etiam deos esse, se quoque deos fieri posse crederent : cum hoc, inquam, videret Deus, propterea Mosi dixit, *Ego sum existens ille*, ut per participium *existens*, Dei existentis et non existentium discrimen doceret. Igitur cum obsequuti fraudulento dæmoni homines, ac Dei præceptum violare ausi essent, e paradiso exierunt, ac deorum quidem nomen in memoria habuere, sed non jam amplius a Deo nullos esse deos edocti sunt. Neque enim æquum erat, ut qui primum præceptum non servassent, quod tamen erat ad servandum facile, ii amplius docerentur, sed potius ut debitam pœnam persolverent. Ejecti igitur paradiso, seque ob eam tantum causam ejectos rati, quod Deo non paruissent, minime vero ob illam etiam, quod deos esse, qui nulli prorsus sunt, credidissent; nomen deorum genitis ex se postea hominibus tradiderunt. Hæc igitur prima exstitit falsa de diis informatio, a mendaci patre ortum habens. Cum autem videret Deus falsam de diis opinionem, veluti quemdam morbum in animas hominum grassari, eam tollere et

[1] Esai. XLIV, 6.

ruere volens cum primum Mosi visus est, ei dixit : « Ego sum existens ille. » Oportebat enim, ut equidem arbitror, ut qui princeps et dux Hebrææ gentis futurus erat, omnium primus existentem cognosceret Deum. Unde etiam cum illi omnium primo visus est, quantum homini fas erat Deum videri, dixit ad eum : *Ego sum existens ille.* Deinde illum ad Hebræos missurus, eadem illis jussit dicere : « Existens » ille misit me ad vos. »

XXII. Hæc igitur Plato cum in Ægypto didicisset, ac vehementer delectaretur his de uno Deo dictis; nomen quidem Mosis, eo quod unum is et singularem doceret Deum, memorare apud Athenienses tutum esse non duxit, Areopagum metuens : sed quod præclare ab eo dictum fuerat, id non tanquam ab eo acceptum, sed ut suam ipsius sententiam exponens in illo diligenter elaborato opere, Timæo, in quo de rebus divinis disputare instituit, idem de Deo scripsit ac Moses. Ait enim : « Primum meo quidem judicio » discernendum, quidnam sit illud, quod semper quidem » existit, factum autem non est, et quid illud quod fit qui» dem semper, nunquam autem existit. » An non hoc, o Græci, his qui intelligere possunt, unum et idem videbitur, solo articulo diversum? Dixit enim Moses, *existens ille;* Plato autem, *existens illud :* utrumque autem semper existenti Deo congruere manifestum est. Ipse enim solus est, qui semper existat nec factus sit. Quid autem alterum illud sit, quod semper existenti opponitur, de quo ipse dixit : « Et » quid illud quod fit quidem semper, nunquam autem exis» tit, » attente considerandum. Reperiemus enim clare et aperte ab eo dici ingenitum quidem esse æternum; factos autem et conditos (quemadmodum ipse dictum esse de illis ait, *Dii deorum quorum ego opifex*) nasci et perire; sic enim ipse loquitur : « Primum igitur, meo quidem judi» cio, discernendum, quid sit illud quod semper quidem

» existit, actum autem non est, et quid illud quod fit quidem semper, nunquam vero existit. Illud quidem intelligentia cum ratione comprehenditur, eodem semper modo se habens : istud autem opinione cum sensu rationis experte conjicitur, nascens et periens, nec unquam existens. » Hæc profecto verba his qui recte intelligere possunt, interitum et exitium factorum prædicant deorum. Atque illud etiam necessarium est, ut mihi quidem videtur, animadvertere, non creatorem illum a Platone, sed opificem appellari deorum; cum inter utrumque plurimum sit, ipsius Platonis judicio, discriminis. Creator enim, nulla re alia indigens, sua virtute et potestate id quod fit efficit. Opifex vero, accepta ex materia condendi facultate, opus suum construit.

XXIII. Sed forte nonnulli, cum ab opinione multitudinis deorum nolint discedere, opificem ipsum hæc diis conditis dixisse objicient : « Quandoquidem facti estis, immortales » quidem non estis, neque omnino indissolubiles; *non tamen* dissolvemini, neque in mortis necessitatem incurretis, majus adhuc et fortius vinculum meam voluntatem » sortiti. » Hoc loco Plato, cum multitudinis deorum cultores metueret, opificem suum sic loquentem induxit, ut secum ipse pugnet. Nam quem antea pronuntiasse dixit, quidquid factum est corruptioni obnoxium esse, eumdem nunc contraria asserentem inducit; non animadvertens se in hac disputandi ratione mendacii crimen nullo pacto effugere posse. Vel enim prius mentitus est, cum diceret quidquid factum est corruptioni obnoxium esse; vel nunc, contraria pronuntians his quæ prius dixerat de diis. Si enim necesse omnino est, ut quidquid factum est corruptioni obnoxium sit, secundum priorem ejus definitionem; qui quadrat ut fieri possit quod necesse est fieri non posse? Videtur igitur Plato frustra opifici suo quæ fieri non possint

argiri; dum eos qui semel corruptioni, utpote facti ex naateria, obnoxii sunt, rursus illius beneficio a corruptione t dissolutione immunes fore pronuntiat. Nam materiæ vim, ıtpote ingenitam, et, ut ipse opinatur Plato, æqualem opiici et coævam, obluctari par est ipsius voluntati. Ei enim [ui non creavit nulla est in id quod est increatum, potesas; unde nec vis ulla ei inferri potest, cum ab omni externa ıecessitate libera sit. Ad hæc respiciens Plato sic scripsit: *Necesse est ut vim Deo inferri non posse dicamus.*

XXIV. Quomodo ergo Homerum civitate sua ojicit Plato, quod Phœnicem suscepta ad Achillem legatione hæc Achilli licentem induxerit, *Mutabiles et ipsi sunt dii;* cum Homerus non de rege et deorum secundum Platonem opifice id dixerit, sed de diis quibusdam, quos Græci plures esse existimant, ut discere est ex ipso Platone, cujus hæc sunt verba, *Dii deorum?* Uni enim et primo Deo potestatem et imperium omnium Homerus per auream illam defert catenam. Cæteros autem deos tantum ab illius divinitate abesse putat, ut eos una cum ipsis hominibus nominare non dubitet. Ulyssem enim inducit hæc de Hectore Achilli dicentem:

Dira furit Jove confidens, nec jura veretur
Ulla hominum atque deum. *Iliad.* I, 239.

Omnino mihi videtur hoc loco Homerus, cum in Ægypto, non secus ac Plato, de singulari Deo cognovisset, clare id et aperte significare, si quis ei qui est, Deo confidat, illum eorum qui non sunt, rationem nullam habere. Sic enim et alibi poeta per aliam vocem ejusdem ponderis, id est per pronomen, allato utitur a Platone participio eum qui est, Deum designante, de quo dixit Plato: « Quid sit » illud quod semper est, ortum autem non habet. » Neque enim temere mihi dictum videtur a Phœnice:

. . . . Non Deus ipse mihi si spondeat auctor
Facturum abstersa juvenem florere senecta.

Nam pronomen *ipse*, eum qui vere est, designat Deum. Idem enim et illud de Chaldæis et Hebræis editum vobis oraculum declarat. Consulenti enim cuidam quibusnam hominibus piis esse contigisset, ita oraculum respondisse dicitis :

Soli Chaldæi sapientiam sortiti, atque etiam Hebræi,
Regem ex se genitum colentes Deum ipsum.

XXV. Quomodo igitur Homerum vituperat Plato, quod deos flexibiles esse dixerit, cum id Homerus non sine ratione dixerit, ut ex ipsis verbis perspicitur? Proprium enim est eorum qui precibus et victimis misericordiam consequi volunt, desinere et pœnitentia eluere quæ peccarunt. Qui autem divinum numen flexibile non esse existimant, nequaquam a peccatis discedere velint, ut qui pœnitentiam nihil sibi profuturam putent. Quomodo igitur philosophus Plato, cum poetam Homerum *Mutabiles dii et ipsi* dicentem condemnaverit, ipse opificem deorum tam facile mutabilem inducit, ut nunc deos mortales, nunc eosdem immortales esse dicat? Nec de diis solum, sed etiam de materia, ex qua necesse est factos esse quos conditos deos appellat, nunc genitam, nunc ingenitam esse dicit; non animadvertens se ipsis illis quæ in Homero reprehendit, implicatum teneri, ut qui opificem deorum tam facile dicat immutari, cum de eo Homerus contraria dixerit. Illum enim inducit hæc de seipso dicentem :

Non enim meum revocabile est, aut fallax
Aut irritum et infectum, quidquid capite annuero. *Iliad.* A, 526.

Sed hæc quidem invitus, ut verisimile est, Plato, cum plurium deorum cultores metueret, absurde de diis videtur disseruisse. Quæcumque autem a Mose et Prophetis de sin-

ılari Deo accepta silentio non prætermittenda esse putat, ı arcane proferre statuit, sententiam suam cupidis Dei ɔlendi hominibus significans. Nam cum delectaretur hoc ei ad Mosem dicto, *Ego sum existens ille*, ac brevem ilm dictionem participio expressam non sine plurima aniıadversione excepisset, intellexit Deum, cum suam æteritatem Mosi demonstrare vellet, *Ego sum existens ille* ixisse : quippe cum hac voce, *existens*, non unum sed tria gnificentur, præsens, præteritum et futurum. Sic enim t Plato illud *existens* de infinito usurpat tempore, dum it, *nunquam autem existens*. Illud enim *nunquam*, non e præterito, ut nonnulli putant, sed de futuro dictum est ·mpore. Id enim et extranei scriptores accurate expendeınt. Propterea Plato, cum sententiam de Dei æternitate, uæ per participium arcane expressa est, veluti interpretari nperitis vellet, totidem verbis ita scripsit : « Ipse quidem Deus, ut antiquus sermo est, principium et finem et medium omnium tenet. » Hic Plato clare et aperte sermonem ıntiquum Mosis appellat legem; Mosis quidem nomen, metu :icutæ, commemorare veritus; sciebat enim illius doctri¬nam Græcis inimicam esse : sermonis autem antiquitate Mosem aperte designat. Porro legem Mosis antiquissimam et primam esse ex Diodori historia et aliis ejusmodi monumentis satis a nobis supra demonstratum. Eum enim Diodorus primum omnium legislatorem fuisse dicit, nondum ınventis Græcorum litteris quibus suas illi historias scripserunt.

XXVI. Nemo autem miretur si Mosi de Dei æternitate credidit Plato. Reperies enim eum ipsis etiam prophetis, post illum qui vere est, Deum, cognitionem rerum attribuere. Sic enim in Timæo de quibusdam principiis disserens scripsit : « Ignis quidem et cæterorum corporum prin» cipium ponimus secundum probabilem cum necessitate

» rationem procedentes. Horum autem adhuc principia » Deus sursum cognovit, et qui ei chari sunt homines. » Homines autem quosnam alios Deo charos esse putat, nisi Mosem et cæteros prophetas, quorum vaticinia cum legisset, et doctrinam de judicio ab eis accepisset, in primo de Republica libro hæc majore vocis sono verba pronuntia: « Cum jam eo quis appropinquat, ut se brevi moriturum » putet; subeunt illum metus et sollicitudo de rebus de » quibus antea minime subierant. Et quæ feruntur fabulæ » de inferis, eum qui hic inique egit oportere illic pœnas » persolvere, hactenus irrisæ, tunc torquent illius animam, » ne veræ sint. Ac ipse ob senectutis infirmitatem, vel etiam » ut propior iis quæ illic sunt, magis ea considerat. Suspi- » cione igitur et metu repletur, jamque secum reputat et » considerat num quem injuria affecerit. Atque is quidem » qui se multa in vita inique fecisse reperit, atque ex somno, » tanquam pueri solent, identidem exsuscitatur, formidat et » cum mala spe vivit. Qui vero nullius sibi conscius est in- » juriæ, dulcis illi spes semper adest, et bona senectutis nu- » trix, ut ait Pindarus. Percommode enim ille, o Socrates, » dixit: *Qui sancte et juste vitam peragit, dulce illi cor* » *demulcens, senectutis nutrix assectatur spes, quæ maxi-* » *me mortalium mutabilem sententiam gubernat.* » Atque hæc quidem in primo scripsit de Republica libro.

XXVII. In decimo autem, quæ a Prophetis didicerat de judicio, ea non tanquam ab illis accepta (metuebat enim Græcos), sed ut ex quodam homine audita scribit, qui, ut ipsi fingere placet, in bello cæsus ac duodecimo die sepeliendus et rogo impositus revixerat, et res illic visas *narrabat*. Sic igitur totidem verbis Plato : « Dixit enim se advenisse, cum » alius interrogaretur ab alio, ubinam esset *Aridæus ille* ma- » gnus. Ille autem Aridæus in quadam Pamphyliæ urbe ty- » rannus fuerat, senem patrem occiderat et natu majorem

fratrem, et multa alia, eaque nefanda, perpetrasse dicebatur. Dixit igitur is qui interrogatus fuerat : Non venit; neque veniet huc. Illud autem inter horrenda spectacula vidimus : postquam prope accessimus ad ostium inde redituri, ac cætera omnia perpessi, vidimus illum subito et alios prope illum plurimos tyrannos. Erant etiam privati quidam, qui magna peccaverant. Hos jam se ascensuros sperantes non excipiebat ostium, sed mugiebat quoties aliquis ex iis, quorum improbitas insanabilis, antequam idoneam persolvisset pœnam, ascendere tentaret. Illic adstabant feri homines, et ignei aspectu, qui audito mugitu Aridæum et alios arreptos abducebant, manibus pedibusque constrictos, et caput humi abjicientes et excoriantes raptabant foras secus viam, inter aspalathos dilacerantes, et his qui aderant significantes quibus de causis hæc paterentur, et in tartarum lapsi abducerentur. Ex multis autem et omnis generis terroribus, qui ipsis illic acciderunt, hunc maximum esse dicebat, si mugiret ostium cum ascenderent : quo silente unumquemque libentissime ascendere. Ac tales quidem esse pœnas et supplicia, rursusque his contraria beneficia. » Videtur hic mihi Plato non solum de judicio a Prophetis accepisse doctrinam, verum etiam de ea quam Græci non credunt, resurrectione. Nam solum animam cum corpore judicari dicit, nihil aliud significat, nisi se resurrectionis doctrinam credere. Quomodo enim Aridæus et alii, qui corpus capite et manibus et pedibus et pelle instructum in terris reliquerant, tales in inferno pœnas persolverent? Neque enim animam caput et manus et pedes et pellem habere dicent. Sed cum in Ægypto incidisset in Prophetarum testimonia, et de corporis resurrectione doctrinam suscepisset, animam una cum corpore cruciari docet.

XXVIII. Nec solus Plato, sed et Homerus, cum eadem

et ipse in Ægypto didicisset, Tityum similiter cruciari dixit. Referens enim Ulysses editam sibi apud inferos divinationem, ita narrat Alcinoo :

Et Tityum vidi terræ gloriosæ filium
Prostratum in pavimento, hic novem jacebat jugera.
Vultures ipsi utrinque assistentes jecur fodiebant. *Odyss.* Λ, 57.

Hepar enim non animæ esse, sed corporis perspicuum est. Eodem etiam modo Sisyphum et Tantalum scripsit pœnas cum corpore persolvere. Homerum autem in Ægypto versatum, et ex his quæ ibi didicerat, multa in suam poesim transtulisse, præclare docet Diodorus, historiæ scriptorum celeberrimus. Ait enim illum in Ægypto didicisse, Helenam, cum a Theonis uxore Polydamna nepenthes, quod suave est et malorum omnium oblivionem inducens pharmacum, accepisset, illud Spartam attulisse. Atque hoc medicamento usam Helenam narrat Homerus, Menelai luctum præsentia Telemachi excitatum sedasse. Auream etiam Venerem appellavit ex iis quæ in Ægypto viderat : noverat enim templum Aureæ Veneris in Ægypto dictum et campum Aureæ Veneris appellatum. Cujus autem rei gratia horum modo injecta mentio? Ut demonstremus poetam etiam ex divina Prophetarum historia permulta in suam poesim transtulisse. Transtulit autem imprimis quæ a Mose de mundi creationis initio dicuntur. Sic enim scripsit Moses : « In principio » creavit Deus cœlum et terram; deinde solem et lunam et » stellas[1]. » Hæc Homerus cum in Ægypto didicisset, iisque delectaretur quæ a Mose in Genesi, sive in libro de mundi creatione scripta sunt, finxit Vulcanum in clypeo Achillis imaginem quamdam mundi creationis descripsisse. Sic enim scripsit :

In eo quidem terram effinxit, et cœlum et mare,

[1] Gen. 1, 1.

Solemque indefessum lunamque plenam,
Sideraque omnia, quibus cœlum coronatum est. *Il.* Σ, 483.

'ecit etiam ut paradisi imaginem servaret Alcinoi hortus; emper floribus ornatum ac fructibus refertum hac imagine ›aradisum exhibens. Sic enim scripsit :

bi vero arbores proceræ crescebant florentes,
Pirus et malus punica et aliæ mali pulchrum fructum producen-
Ficusque dulces et oleæ virescentes. [tes,
Ex iis fructus nunquam perit neque deficit
Hieme neque æstate, toto anno durans, sed semper aura
'ephyri spirans hæc crescere facit, aliaque maturescere.
'irus post pirum senescit, pomum post pomum,
'orro post uvam uva, ficus autem post ficum :
bi autem ei fructuosa vinea radicatur :
Iujus alterum quidem apricum lato in loco
rescit sole, alias sane vindemiant,
lias autem calcant, longæ autem uvæ maturæ sunt
lorem emittentes, nonnullæ aliquando maturescunt. *Odyss.* H, 116.

n non hæc verba eorum quæ de paradiso a principe pro-phetarum Mose dicta sunt, claram et apertam imitationem designant? Quod si quis ipsius quoque turris constructionem considerare velit, per quam homines illius ætatis ascensum in cœlum sibi communire posse videbantur; id quoque apte a poeta in Oto et Ephialto imitatione per allegoriam expressum reperiet. Sic enim de illis loquitur :

Qui sane immortalibus minabantur in Olympo,
Moturos certamen tumultuosi belli,
Ossam super Olympum conati sunt imponere : cæterum Ossæ
Peleum frondosum, ut cœlum pervium esset.

Similiter et de præcipitato e cœlis humani generis hoste, quem Scripturæ divinæ Diabolum vocant, quod ei nomen ex prima illius adversus hominem calumnia impositum, si quis considerare velit accuratius, reperiet poetam Diaboli

quidem appellationem non usurpare, sed nomen ei ex pessima illius actione imponere. Noxam enim eum appellans, e cœlo ab opinato apud illos Deo præcipitem datum esse dicit; quasi eorum quæ de illo a propheta Esaia dicta sunt, accurate meminisset. Sic igitur scribit in sua poesi:

Illico corripuit Atem, capite nitentibus capillis ornato,
Iratus animo suo, et juravit firmum juramentum,
Nunquam in Olympum et cœlum stellatum
Rediturам Atem, quæ omnes infortunio afficit.
Sic fatus, jecit a cœlo stellato
Manu rotans: mox pervenit ad opera hominum. *Il.* T, 126.

XXIX. Platonem autem, dum post Deum et materiam tertium principium formam esse pronuntiat, argumentum non aliunde accepisse patet, quam a Mose, cujus quidem ex dictis nomen formæ didicit; tunc autem nequaquam a peritis didicit nihil ex his quæ a Mose dicta sunt, sine arcana contemplatione clare cognosci posse. Scripsit enim Moses sic Deum sibi de tabernaculo mandasse: «*Et facies* » mihi secundum omnia quæcumque tibi monstro in monte, » exemplar tabernaculi [1]. » Et rursum: « Et eriges taberna» culum secundum exemplar omnium vasorum ejus, atque » ita facies. » Et rursus paulo post: « Ita sane facies secun» dum typum et figuram quæ tibi in monte monstrata est. » Hæc cum legisset Plato, nec qua par erat contemplatione scripta illa verba excepisset; exitimavit formam ante id quod sensibus subjectum est, separatim exsistere; quam quidem etiam exemplar eorum quæ facta sunt, sæpenumero vocat, quia Moses de tabernaculo ita scripsit: « Se» cundum formam tibi in monte monstratam ita facies. »

XXX. Similiter et de terra et de cœlo et de hominis creatione allucinatum patet; nam et horum ideas esse opinatur. Quoniam enim Moses ita scripsit: « In principio fecit

[1] Exod. xxv, 9.

» Deus cœlum et terram[1], » ac deinde statim subjungit: *Terra autem erat invisibilis et incomposita;* existimavit his quidem verbis, *Terra autem erat,* præexistentem terram designari, quia Moses dixerat, « Terra autem erat in-» visibilis et incomposita; » istis autem, « fecit Deus cœ-» lum et terram, » eam putavit significari quæ sensibilis a Deo secundum præexistens exemplar creata. Similiter et de creato cœlo : cœlum quidem, quod factum est, quodque a Mose vocatur firmamentum, ipsum illud esse existimavit quod sensibile creatum est; sed aliud esse, illudque intelligentia percipi, de quo Propheta dicit : « Cœlum cœli do-» mino, terram autem dedit filiis hominum.[2] » Sic etiam et de homine. Hominis nomen primo commemorat Moses; deinde post multas res creatas sic de hominis formatione mentionem facit : « Et fecit Deus hominem pulvere a terra » sumpto[3]. » Existimavit igitur hominem illum, qui prius nominatus est, ante eum qui factus est, existere; ac eum qui postea ex terra factus est, secundum præexistentem formam factum esse. Quod autem homo ex terra formatus est, id etiam Homerus ex antiqua et divina historia cum cognovisset ita dicente, « Terra es et in terram reverte-» ris[4], » exanimum Hectoris corpus surdam terram appellat. Alicubi enim in Achillem Hectoris mortui corpus raptantem hæc dicit :

Insensibilem enim terram contumelia afficit furens. *Iliad.* Ω, 54.

Et alibi Menelaus his qui Hectoris provocationem ad singulare certamen minus alacriter acceperant,

Sed vos quidem omnes aqua et terra fiatis, *Ibid.* H, 99,

præ iræ magnitudine in antiquam eos et primam ex terra originem resolvens. Hæc in Ægypto ex vetustis historiis percepta Homerus et Plato in suis libris scripserunt.

[1] Gen. I, 1. — [2] Psal. CXIII, 16. — [3] Gen. II, 7. — [4] Gen. III, 19.

XXXI. Quod enim ait Plato Jovem in cœlo volucrem currum agere, id quo alio ex fonte didicit, nisi propheticas legens historias? Id profecto cognovit ex his Prophetæ de Cherubim dictis : « Et exivit e domo gloria Domini et ascen- » dit super Cherubim : et elevaverunt Cherubim alas suas, » et rotæ cum eis et gloria Dei Israel erat super eos desur- » sum [1]. » Inde incitatus vocalis ille Plato summa cum libertate clamat : « Magnus in cœlo Jupiter volucrem cur- » rum agens. » Unde enim edoctus hæc scripsit, nisi a Mose et prophetis? Unde accepta occasione Deum in ignea substantia esse dixit? Nonne ex tertio libro Regnorum, ubi scriptum est : « Non in spiritu Dominus et post spiritum » commotio : non in commotione Dominus, et post com- » motionem ignis : non in igne Dominus, et post ignem vox » auræ tenuis [2]? » Sed hæc ad sublimes sensus multa animi inquisitione a piis hominibus revocanda. Plato autem non ea qua decebat contemplatione animum intendens, in ignea substantia Deum esse dixit.

XXXII. Quod si quis et de dono sursum a Deo *in homines* sanctos delabente, quod sacri Prophetæ Spiritum sanctum appellant, rationem accurate inire velit; reperiet illud quoque a Platone in Menone sub alio nomine prædicatum. Veritus enim Dei donum appellare Spiritum sanctum, ne, Prophetarum doctrinam sequens, inimico esse in Græcos animo videretur; sursum quidem fatetur illud a Deo delabi, non tamen Spiritum sanctum, sed virtutem appellandum esse censuit. In illo enim de Reminiscentia cum Menone dialogo, postquam multa quæsivit de virtute, utrum doceri possit, an non doctrina, sed usu et exercitatione comparetur, vel utrum nec doctrina nec usu, sed natura hominibus eveniat, vel alio quodam modo; tandem totidem verbis sic pronuntiat : « Nunc autem si in hoc

[1] Ezech. XI, 22. — [2] 3 Reg. XIX, 11.

» omni sermone recte quæsivimus et disseruimus, virtus » profecto nec natura nec doctrina, sed divina sorte homi» nibus evenit sine scientia, iis quibus evenit. » Hæc mea quidem sententia, cum clare a Prophetis de Spiritu sancto didicisset Plato, in virtutis nomen videtur transtulisse. Quemadmodum enim unum et eumdem Spiritum sacri Prophetæ in septem spiritus dividi dicunt; ita et ipse unam et eamdem virtutem appellans, in quatuor eam virtutes dividi pronuntiat; sancti quidem Spiritus nusquam meminisse volens, sed quæ a Prophetis dicta fuerant de Spiritu sancto, ea per quamdam allegoriam aperte prædicans. Sic enim sub finem Menonis ait : « Ex hac igitur ratiocinatione, » o Meno, videtur nobis divina sorte virtus eis evenire qui» bus evenit. Illud autem clare perspiciemus, quomodo vir» tus hominibus eveniat, si prius hoc ipsum instituerimus » per se quærere, quid sit tandem ipsa virtus. » Videtis quomodo sursum adveniens donum, virtutem tantummodo appellet, ac illud etiam inquisitione dignum esse censeat, utrum virtutem an aliud quidpiam deceat hoc donum appellari; veritus illud aperte Spiritum sanctum appellare, ne Prophetarum doctrinam sectari videretur.

XXXIII. Unde autem edoctus Plato tempus cum cœlo creatum esse cognovit? Sic enim scripsit : « Tempus ergo » cum cœlo creatum est, ut simul creata simul dissolvan» tur, si quando eorum eveniat dissolutio. » An non hoc ex divina Mosis historia cognovit? Noverat enim temporis creationem ex diebus, mensibus et annis initium constitutionis accepisse. Igitur cum primus ille simul cum cœlo conditus dies initium omnis temporis præstiterit (sic enim scripsit Moses : *In principio fecit Deus cœlum et terram*[1]; ac deinceps ita subjungit : *Et factus est dies unus*, tanquam ex parte totum tempus designans), Plato diem tempus ap-

[1] Gen. 1, 1.

pellat, ne si mentionem diei faceret, tanquam omnino Mosis verborum sectator accusandus videretur. Unde autem et de cœli dissolutione informatus ita scripsit? Nonne et id quoque a sacris prophetis edoctus, atque illos ita loquutos esse ratus?

XXXIV. Si quis et de statuis rationem ineat, unde accepta ansa primi deorum vestrorum fabricatores humana illos forma præditos judicaverint; id quoque illos reperiet ex divina historia didicisse. Nam cum Mosis historia ex persona Dei dicat : « Faciamus hominem secundum imaginem nostram et similitudinem[1]; » quasi dictum esset homines Deo forma similes esse; ita deos suos effingere cœperunt, simile ex simili sese exprimere arbitrati. Sed quam ob causam adductus sum ut hæc commemorarem, o Græci? Ut intelligatis veram religionem ex istis disci non posse, qui quibus rebus admirationem sibi apud homines a nostra religione alienos concitarunt, ne in iis quidem proprie quidquam scribere potuere, sed per quamdam allegoriam, quæ ex Mose et cæteris prophetis hauserant, ea in suis scriptis prædicarunt.

XXXV. Jam igitur tempus est, o Græci, ut ex historiis externis persuasi Mosem et cæteros prophetas multo iis omnibus qui sapientes apud vos habiti sunt, antiquiores esse, ab antiquo majorum errore discedatis, ac divinas Prophetarum legatis historias, veramque ex ejusmodi scriptoribus religionem discatis, qui non verborum vobis artem promittunt, nec artificiose ad persuadendum loquuntur (id enim proprium est eorum qui veritatem furari volunt), sed verba et nomina simpliciter, ut se offerunt, usurpant, ac ea vobis nuntiant quæ delapsus in eos Spiritus sanctus, his qui veram religionem ediscere cupiunt, per eos tradere voluit. Malum igitur omnem pudorem abjicientes ac vete-

[1] Gen. 1, 26.

rem hominum errorem, et inanem ostentationis strepitum, in quo etiam omnem beate vivendi rationem positam ducitis; ea sectamini quæ vobis utilia sint. Nihil enim in majores vestros peccabitis, si nunc in contrariam eorum errori partem ferri velitis; quos quidem verisimile est nunc in inferno sera pœnitentia ductos lugere, ac si fieri posset ut inde vobis nuntiarent quæ sibi post hujus vitæ finem evenerunt, cognosceretis profecto quantis vos malis liberatos velint. Sed cum in præsentia nec ab illis ediscere possitis, nec ab iis qui hic falso appellatam philosophiam profitentur; reliquum deinceps vobis erit, ut majorum vestrorum errorem abjicientes, vaticiniis sacrorum virorum operam detis, et ab eis non sermonis elegantiam petatis (neque enim in verbis sed in operibus nostra religio posita) sed ea ediscatis quæ vobis æternam vitam allatura sint. Nam qui nomen philosophiæ nequidquam dedecorant, ii nihil scire arguuntur, quemadmodum et ipsi confiteri coguntur vel inviti, dum non solum inter se litigant, sed etiam suas ipsi opiniones aliter alias exponunt.

XXXVI. Quod si veritatis inventio finis quidam apud eos philosophiæ dicitur, quomodo qui veritatis cognitionem consequuti non sunt, philosophiæ nomine digni sint? Nam si vestrorum sapientum sapientissimus Socrates, cui vestrum etiam oraculum, ut ipsi narratis, hoc testimonium dedit,

Omnium hominum Socrates sapientissimus';

si hic, inquam, nihil se scire confitetur; quomodo qui post eum orti sunt, etiam cœlestia sibi nota esse profitentur? Socrates enim propterea sapientem se esse dictum ait, quod cum cæteri homines simulent se scire quæ nesciant, ipse non pigretur nihil se scire confiteri. Ita enim dicebat: « Videor igitur hac re perexigua esse sapientissimus, quod

» quæ nesciam non me existimem scire. » Nemo autem existimet Socratem ironia quadam ignorationem præ se ferre, eo quod ita se gerere in colloquiis soleat. Extrema enim verba defensionis quam in carcerem abiens pronuntiavit, argumento sunt, serio illum et vere ignorationem esse confessum. Sic enim loquitur : « Sed jam tempus est » ut abeamus, ego quidem moriturus, vos autem victuri : » utri autem ad meliora proficiscantur, nemini notum nisi » Deo. » Socrates hac ultima voce in Areopago emissa in carcerem abiit, soli Deo rerum nobis ignotarum cognitionem tribuens. Qui autem post eum exorti sunt, cum ne terrena quidem cognitione assequi potuissent, cœlestia sibi explorata esse professi sunt, tanquam ea oculis suis vidissent. Sic Aristoteles, quasi accuratius quam Plato cœlestia vidisset, non ut iste in ignea substantia (ita enim Platoni visum) sed in quinto æthereo elemento Deum esse pronuntiavit. Et qui fidem sibi his de rebus ob spectatum et elegans dicendi genus haberi postulat, idem cum *Euripi Chalcidici* naturam investigare non posset, collecto ex dedecore et ignominia dolore perculsus vitam reliquit. Nemo igitur ex his qui sapiunt salutem suam horum hominum eloquentiæ posthabeat; sed aures suas secundum veterem historiam cera obturans, perniciem ex his sirenibus suaviter insectantem fugiat. Prædicti enim scriptores, dum sermonis suavitatem veluti quamdam escam prætendunt, multos a vera religione abducere conantur, imitantes eum qui multitudinem deorum primos homines docere ausus est. His auctor vobis sum ne obsequamini, sed potius sanctorum hominum vaticiniis operam detis. Sin autem pigritia aut antiqua majorum superstitio sanctorum virorum vaticinia legere prohibet, ex quibus discere potestis unum ac solum esse Deum, quod quidem primum est veræ religionis insigne; saltem ei qui vos primo multitudinem deorum docue-

rat, sed postea utilem ac necessariam sibi palinodiam cantandam esse ratus ea dixit, quæ paulo ante scribebam, Orpheo credite et aliis qui de uno Deo eadem scripsere. Dei enim in nos providentia factum est, ut hi vera esse Prophetarum de uno Deo dicta vel inviti faterentur, ut rejecta ab omnibus multitudinis deorum doctrina copiam vobis veri cognoscendi præberet.

XXXVII. Erit autem vobis perfacile veram religionem aliqua ex parte ex antiqua Sibylla discere, cujus vaticinia ex potenti afflatu edita ad Prophetarum doctrinam prope accedere videntur. Hanc Babylone ortam dicunt, Berosi Chaldaicæ historiæ scriptoris filiam; et cum in Campaniæ oras delata nescio quo pacto fuisset, ibi oracula edidisse in urbe quæ Cumæ dicitur, Baiis, ubi sunt Thermæ Campanæ, sex lapidibus distans. Vidimus, cum in hac urbe essemus, locum quemdam, ubi sacellum maximum ex uno saxo excisum conspeximus, rem sane præclarissimam et omni admiratione dignam : ibi sua illam oracula edidisse narrabant, qui hæc a majoribus, ut patriæ suæ propria, acceperant. In medio autem sacello monstrabant nobis tria receptacula ex eodem excisa saxo, quibus aqua repletis lavare eam dicebant, et cum vestem resumsisset in intimam sacelli ædem secedere, ex eodem saxo excisam, ac in medio ædis sedentem excelso solio, sic vaticinari. Hujus Sibyllæ, ut vatis, cum multi alii scriptores meminere, tum etiam Plato in Phædro. Videtur autem mihi, cum in illius vaticinia incidisset, vates pro divinis hominibus habuisse. Videbat enim quæ ab illa olim prædicta fuerant, opere compleri; et idcirco admirans in Menone ac totidem verbis efferens vates, ita scribit : « Recte sane divinos illos vocemus, » quos nunc appellamus vates. Non immerito dixerimus divinos illos esse, et divinitus afflatos et a Deo correptos, cum » prospere vaticinantur, multa et magna dicentes, nec quid-

» quam eorum quæ dicunt, intelligentes. » Hic manifeste et aperto ad Sibyllæ respicit versus. Ipsa enim, non ut poetæ post scripta carmina, facultatem habebat emendandi et limandi, in his præsertim quæ ad accuratam numerorum legem pertinent : sed in ipso afflatus articulo vatis munere fungebatur; ac desinente afflatu desinebat dictorum recordatio. Atque hæc sane extitit causa, cur non omnes numeri versuum Sibyllæ servarentur. Id enim, cum in hac urbe essemus, a perductoribus didicimus, qui et loca in quibus vaticinabatur nobis monstrarunt, et loculum quemdam ex ære constructum, in quo ejus reliquias asservari dicebant. Illud etiam inter alia, ut a majoribus acceptum narrabant, eos qui tunc oracula excipiebant, cum illitterati essent, sæpe ab accurata numerorum observatione aberrasse; atque id causæ esse dicebant, cur numerus nonnullis versibus desit : quippe cum ipsa, postquam teneri et afflari desierat, nihil eorum quæ dixerat recordaretur, librarii autem ob imperitiam ab accurata numerorum observatione aberrassent. Qua de causa Platonem ad Sibyllæ oracula respicientem idem de vatibus pronuntiasse liquet. Sic enim ait : « Cum prospere vaticinantur, multa et magna dicen» tes, nec quidquam eorum quæ dicunt intelligentes. »

XXXVIII. Sed quia nec in poeticis numeris, o Græci, vera religio sita est, nec in ea, quæ apud vos in pretio est, eruditione; omissa deinceps numerorum et verborum exquisita ratione, citra contentionis studium quid a Sibylla dicatur animadvertite, et quanta vobis allatura sit bona perspicite, clare et aperte Salvatoris nostri Jesu Christi adventum prænuntians; qui cum sit Dei Verbum, virtute et potentia ab eo inseparabile, hominem ad imaginem et similitudinem Dei creatum assumens, revocavit nobis in memoriam priscorum parentum religionem, qua relicta eorum posteri, invidi dæmonis monitis et doctrina, ad deos qui

nulli sunt, colendos deflexerunt. Si qua autem vobis obstrepit dubitatio, quominus fidem hominis creationi adhibeatis, iis credite quos adhuc audiendos putatis, et scitote oraculum vestrum, cum a quodam rogatum esset, ut hymnum in Deum omnipotentem ederet, sic in medio hymno dixisse,

Qui primum mortalem effinxit, Adamque vocavit.

Atque hunc hymnum a multis quos novimus servari contingit, ad eos arguendos qui veritati omnium testimonio confirmatæ assentiri nolunt. Vestram igitur salutem, o Græci, si falso de diis, qui nulli sunt, commento potiorem ducitis, credite, ut jam dixi, Sibyllæ antiquissimæ et vetustissimæ, cujus libri per totum orbem servantur, quæque ex potenti quodam afflatu deos qui dicuntur, nullos esse per oracula nos docet, ac de futuro Salvatoris nostri Jesu Christi adventu, ac rebus omnibus quas gesturus erat, clare et aperte prænuntiat. Erit enim vobis harum rerum cognitio, necessaria quædam ad sanctorum hominum vaticinia præmeditatio. Quod si quis ab antiquissimis apud eos appellatis philosophis doctrinam sibi videatur accepisse de Deo; is Ammonem et Mercurium audiat : Ammonem quidem, qui Deum occultissimum in suis de illo scriptis vocat; Mercurium autem clare et aperte dicentem, « Deum intelligere » perdifficile est, ac si quis intelligere possit, eloqui profecto » non possit. » Omnino igitur perspectum et exploratum esse debet, nulla alia ratione Deum aut rectam religionem cognosci posse, nisi ex solis Prophetis, qui divino numine afflati nos docent.

EJUSDEM JUSTINI

DE MONARCHIA LIBER.

I. Cum humana natura initio conjunctionem intelligentiæ et salutis ad veritatis et cultus uni omnium Domino debiti cognitionem accepisset, subrepens invidia humanæ dignitatis præstantiam ad simulacra fingenda avertit; ac postquam diu inveteravit superstitiosa consuetudo, errorem, ut vernaculum et verum quidpiam, multis commendat. Est autem hominis amore in homines vel potius in Deum accensi, eos commonefacere qui quæ scire debebant prætermiserunt. Ac veritas quidem satis habet in seipsa virium, ut ex his quæ sub polo concurrunt, illius *qui hæc* creavit, ordinem demonstret. Sed postquam oblivio propter Dei patientiam mentes hominum occupavit, facinus aggressa est, et nomen soli vero Deo congruens ad mortales transtulit; et a paucis nequitiæ contagio ad multos pervenit, in quibus stabilium et immutabilium rerum cegnitionem consuetudo popularis obscuravit. Nam qui initio in principum honorem mysteria et publica munera instituere, oblivionem catholicæ opinionis posteris injecerunt. Ego autem, ut paulo ante posui, animo utens Deum amante, utar voce hominibus amica, ac copiam facio iis, qui sana mente præditi sunt, quamquam id quidem omnibus qui universorum temperatione utuntur, inesse deberet, ut omnium cognitorem immutabili cultu prosequantur. Hoc autem non pigmentis verborum exprimam, sed argumentis omnino utar ex vetusta Græcorum historiæ poesi repetitis, et ex contritis om-

nium usu litteris. Ex quibus enim monumentis præclari simulacrorum cultores hanc plebi superstitionem instar legis imposuerunt, ex his edocebuntur, et a suis ipsorum poetis desipere arguentur.

II. Ac primus quidem Æschylus operis a se compositi rationem exponens, hæc etiam de singulari Deo pronuntiat:

> Deum amoveto longius mortalibus.
> Nec tibi parem esse, carne amictum finxeris.
> Namque haud scis illum: nunc ut implacabilis
> Videtur ignis, nunc tenebræ, nunc aquæ
> Apparet; ipsis fit par interdum feris,
> Pluviæ et tonitru, fulguri, euro, nubibus.
> Ministrat illi pontus et saxa horrida,
> Fontes, et usquam quidquid undarum fluit.
> Hunc terra, montes, hunc et immensi tremit
> Maris profundum, et collium cacumina,
> Domini severa torserit cum lumina.
> Namque omnia potest: laus Dei est altissimi.

Non hic solus Dei cognitione initiatus; sed et Sophocles singularis omnium creatoris et unius Dei sic ordinem describit:

> Unus profecto est, unus est tantum Deus,
> Cœli solique machinam qui condidit,
> Vadumque ponti cœrulum, et vim spiritus.
> At ducta cæco errore gens mortalium,
> Commenta cladis in suæ solatium est
> Formas deorum saxeas aut æreas
> Aurove ductas fusili, aut eburneas.
> His victimarum sanguinem, his festos dies
> Cum dedicamus, esse nos remur pios.

Sed et Philemon, qui in antiquis rebus exponendis copiosus est, a veri cognitione alienus non videtur. Sic enim scribit:

> Qualem æstimare, dic mihi, decet Deum?
> Qui cuncta cernit, nulli at ipse cernitur.

Quinetiam ipse Orpheus, qui trecentos sexaginta deos induxerat, testis erit meæ sententiæ in libro quem *Præcepta* inscripsit, ubi illum erroris pœnituisse patet ex his quæ scribit :

Loquar quibus fas est : portas occludite profani
Omnes simul. Tu vero audi luciferæ fili lunæ
Musæe; dicam enim vera; nec te quæ prius
In corde meo animadvertisti, privent beata vita :
Ad Verbum divinum respiciens, illi asside,
Dirigens cordis intelligens profundum, et rectam incede
Viam, et solum respice mundi regem.
Unus est ex se genitus : ab uno quæcumque sunt genita, creata
In illis ipse versatur, nec quisquam illum [sunt.
Videt mortalium, ipse autem omnes videt.
Hic ex bono malum hominibus dat,
Et bellum horribile et dolores lacrymosos.
Nec ullus est alius præter magnum regem.
Illum autem non video. Nam circa illum nubes constituta est.
Omnibus autem mortalibus mortales sunt pupillæ *in oculis*
Infirmæ videre Jovem omnium regnantem.
Hic enim æreo in cœlo constitutus est
Aurato in solio, terram pedibus calcat,
Manum autem dextram ad terminos oceani
Undique extendit. Circum enim tremunt montes magni,
Et fluvii, et cani profundum cœrulei maris.

Atque hæc ille ita eloquitur, quasi majestatem Dei oculis suis vidisset. Consentit autem ei et Pythagoras, qui sic scribit :

Si quis dicat, Deus sum, præter unum, hic debet
Mundum isti similem creare, ac dicere, Hic meus est;
Nec solum creare ac dicere, Meus est, sed etiam habitare
Ipse in eo quem fecit : certe ab isto factus est.

III. Hunc solum de rebus in vita gestis et de numinis ignoratione judicium instituere posse, domesticis testibus

demonstrare possum, ac primo quidem Sophocle, qui sic ea de re loquitur.

Jam veniet ille, veniet haud dubie dies,
Laxabit ignis cum redundantes opes
Auratus æther: lege tum spreta furens
Terras et illis quidquid est sublimius
Depascet ardor. Inde cum defecerit
Hoc omne; nulla jam ferent undas vada.
Neque ulla ramos eriget tellus, neque
Exustus aer pascet aligerum genus.
Namque esse scimus duplicem ad inferos viam,
Unam nefastis, alteram innocentibus.
Tum salva faciet cuncta quæ destruxerat.

Rursus Philemon:

Vitane functos æstimas, Nicostrate,
Qui luxu in omni molliter vitam egerant,
Latere terra conditos, ceu effugerint
In omne tempus, et fefellerint Deum?
Justitiæ oculus est, qui intuetur omnia.
Nam si una justum sors et impium manet,
I, rape, dolisque cuncta misce et fraudibus.
Ne erres, in ipsis inferis jus dicitur:
Eritque judex Dominus omnium Deus,
Cujus tremendum nomen; haudque ego dixerim.

Et Euripides:

Longos dat annos, ut severe judicet.
Mortalium at quisquis in diem admittens mali
Aliquid, latere fidit hæc ipsum Deum,
Is stulta sperat, atque sperans tollitur,
Feriata tandem pœna cum supervenit.
Videte quicumque esse non vultis Deum,
Duplex merentes mente non sana scelus.
Est ille namque est: prosperæ res sed cui erunt,
Cum non probus sit; tempus apponat lucro.
Huic namque pœnas inferet tandem dies.

IV. Libaminibus autem et incensis malorum non placari Deum, sed summa æquitate pœnas ab eo cuique irrogari, testis iterum accedet Philemon :

Si proferens quis victimas, o Pamphile,
Boum caprumve copiam, vel per Jovem
Alia similia, aut arte facta munera,
Aurove chlamydes splendidas vel purpura,
Sive ex smaragdo signa, sive eburnea,
Placare sperat talibus donis Deum ;
Haud sanus errat ac levem mentem gerit.
Probum esse namque oportet omnino virum,
Non inferentem stupra nuptæ aut virgini,
Lucrive causa furta vel cædes; neque
Aliena spectantem, ac deinde conjugis
Male appetentem aut superbarum ædium,
Aut prædiorum, vel puellæ, aut vernulæ,
Pecorisve taurûmve aut equûm. Quo hæc pertinent?
Acum vel unam haud concupiscas, Pamphile,
Te namque cernit haud procul sedens Deus,
Quem facta mulcent æqua, iniqua displicent:
Laboriosum rebus uti prosperis
Sinit, colentem rura noctu et per diem.
Deo æquitatem semper observans lita,
Magisque corde splendeas quam vestibus.
Tonitru audias si, ne procul confugeris,
O here, tibi ipse si nihil consciveris.
Te namque cernit haud procul sedens Deus.

Et rursus Plato in Timæo : « Horum autem explorationem » et probationem si quis ipso opere aggrediatur; is divinæ » ac humanæ naturæ ignoret discrimen : quippe cum Deus » multa in unum commiscere, ac rursus unum in multa » possit dissolvere, utpote scientia et potestate præditus; » neutri autem quisquam hominum aut nunc idoneus sit, » aut unquam sit futurus. »

V. De illis, autem, qui apud nonnullos existimantur participes esse sancti et perfecti nominis, quod quidem vana traditione quidam, tanquam dii, acceperunt, Menander ait in Henochio, sive Auriga :

Non mihi placebit ambulans foris deus,
Anum comitem habens, atque ventitans domos
Cum tabula : oportet quippe justus ut Deus,
Domi manendo sit salus colentibus.

Idem Menander in Hierea, sive in Sacerdote :

Homini salutem non Deus dat alterum,
Mulier, per hominem; namque homo si quem deum
Quocumque libeat cymbalis pertraxerit,
Hoc executus fit deo potentior.
Audaciæ hæc sunt et lucri molimina,
Inventa hominibus impudentibus, Rhode,
Nostrique ficta in sæculi ludibrium.

Rursus in Misumeno, sive Odioso, de iis qui in deos recepti sunt, sententiam exponens, vel potius eos non esse demonstrans, sic idem Menander :

Id si viderem, redditum statim mihi
Animum putarem; namque nunc ubi gentium,
O Geta, justos invenire fas deos?

Et in Paracatatheca, sive in Deposito :

Videtur ipsos jus iniquum apud deos.

Et Euripides tragœdus in Oreste :

Phœbus, jubendo matri ut inferrem necem,
Ipse est honesti ac juris inscientior.
Quicumque tandem sint di, honoramus deos.
Videsne Phœbum, qui sedens oracula
In umbelico clara dat mortalibus.
Cuique fidem habemus, quidquid is pronuntiet.
Illi obsequutus intuli matri necem.
Illum scelestum dicite, et morti date.
Peccavit ille, non ego. Quid me decet

Fecisse? Is in quem transfero culpam deus
Servare an aptus non erit?

Idem in Hippolyto:

Sed, ut par esset, hæc dii non judicant.

Et in Jone:

Sed ista curæ quid mihi est Erechthei
Nata? nihil ad me pertinet: sed aureis
Lustrationis ad locum vadens scyphis
Vim fundam aquarum. Commonendus at mihi
Phœbus. Quid egit, virgines vi comprimens?
Prodensque natos, clanculum in lucem editos,
In morte: sed tu haud negligas, sed dum potes,
Sectare recta; namque si mortalium
Improbus erit quis, puniunt illum dii.
Nonne ergo iniquum est, jura qui mortalibus
Scribitis, ut ipsi non vacetis crimine?
Quod si haud adestis, quæ supersunt eloquar.
Dabitis hominibus perfidi pœnas stupri,
Neptunus, et tu et Jupiter polum regens:
Eruntque vacua templa, dum luitis scelus.
Prudentiæ nam blanda dum præponitis,
Facitis inique. Haud jam amplius fas est malos
Homines vocare, si deum exprimunt bona
Imitando; at illos dic malos qui nos docent.

Et in Archelao:

Dant sæpe verba, nate, di mortalibus.

Et in Bellerophonte:

Si turpe quid di fecerint, non sunt dii.

Et rursus in eodem:

Est qui esse fidens dicat in cœlo deos;
Hi prorsus, hi haud sunt: esse sed si quis dicat,
Ne prisca stultus ille dicta proferat.
Spectate rem ipsam, nec meis sententiam

Firmate verbis. Dico ego tyrannidem
Spoliare vita prædiisque plurimos,
Vastare et urbes per dolum fracta fide.
Atque hæc agenti melius est quam lenibus,
Numenque, quotquot sunt dies, colentibus.
Urbesque parvas quæ deos colunt, scio
Servire magnis quæ impiæ sunt, ensium
Frequentiorum perditas mucronibus.
Puto illud equidem, si quis ex vobis piger
Deos precetur, nec manu victum paret:
Ex rebus ipsis is brevi cognoverit,
An arceant di tristia infortunia.

Et Menander in Diphilo:

Qui semper ergo Dominus est rerum omnium
Paterque, solus debet hic semper coli,
Ut tot bonorum inventor atque conditor.

Idem quoque in Piscatoribus:

Quod namque nutrit me, illud arbitror Deum.
Nutrire sed quod suevit, id non indiget,
Ut sublevetur sumptibus precantium.

Idem in Adelphis:

Semper est Deus bonis
Mens ipsa, quisque censet ut doctissimus.

Et in Tibicinis:

Sunt cuncta rationi bonæ
Templum: ipsa nam mens est Deus qui disseret.

Et in Phryxo tragicus:

Quod si piorum, et qui modum in mirum impii
Sors una; quis rem pulchre habere se putet,
Si sentit æqui Jupiter nil optimus?

In Philoctete:

Videte ut ipsis lucra honesta sint diis:
Mirabilisque plurimum in templis qui habet

Auri : quid ergo te vetat lucrum sequi,
Cum liceat ipsis esse dis haud imparem?

In Hecuba :

Quicumque Zeus es, novi enim verbo tenus,
Zeus sive fatum, sive mens mortalium,
Te deprecabor.

VI. Hic igitur indicium est virtutis ac animi prudentiam amantis, ad conjunctionis communionem recurrere, seque ipsum prudentiæ ad salutem tradere, ac meliora pro insito homini arbitrio eligere, non existimantem eos qui humanis affectionibus obnoxii sunt, universorum dominos esse; quippe cum ne pares quidem hominibus deprehendantur. Nam apud Homerum Demodocus se a seipso doctum dicit, et a Deo sibi afflatos esse cantus, quamvis mortalis sit. Æsculapius autem et Apollo apud Chironem Centaurum mederi discunt, quod maxime novum est, apud hominem dii. Quid enim de Baccho memorem, quem furentem poeta, aut de Hercule, quem miserum dicit? Quid attinet Martem et Venerem, duces illos adulterii ac principes, recensere, et ex his omnibus susceptam demonstrationem perficere? Si quis enim eorum qui feruntur, deorum actiones, cum non noverit, imitetur, is adhuc impurus et a vita et humanitate alienus existimetur. Si quis autem noverit, probabilem habebit pœnæ effugiendæ ansam, delictum non esse demonstrans divinorum facinorum imitationem. Quod si quis actiones vituperet, nomina quoque ex his nota tollet; nec eas probabilibus et speciosis verbis obteget. Itaque complectendum nobis est verum et immutabile nomen, non mea solum voce prædicatum, sed eorum etiam qui vos in prima doctrinæ elementa introducunt; ne, si hujus vitæ tempus in otio et inertia traduxerimus, non solum ut gloriæ cœlestis ignari, sed etiam ut ingrati rationem judici reddamus.

EJUSDEM JUSTINI

PRO CHRISTIANIS

APOLOGIA PRIMA,

AD ANTONINUM PIUM.

I. Imperatori Tito Ælio Adriano Antonino Pio Augusto Cæsari, et Verissimo filio philosopho, et Lucio philosopho Cæsaris natura filio, Pii autem adoptivo, doctrinæ amatori, sacroque senatui, et universo populo Romano, pro iis qui ex omni hominum genere vocati præter æquum odio habentur et vexantur, Justinus Prisci filius, Bacchii nepos, Flaviæ Neapolis in Syria Palestinæ civium, unus ex illorum numero, orationem et supplicationem conscripsi.

II. Præscribit ratio, ut qui vere pii et philosophi sunt, verum unice colant et diligant, recusantes majorum opiniones sequi, si pravæ sint. Neque enim id solum sana ratio præcipit, ut ne eos sequamur qui injuste quid fecere aut docuere; sed omnino vel præ sua ipsius anima, veritatis amatori, quamvis mors intentetur, statuendum et eligendum est, ut æqua dicat et faciat. Quod igitur pii et philosophi appellamini, et justitiæ custodes, ac doctrinæ amatores ubique auditis, utrum tales sitis demonstrabitur. Neque enim ea mente accessimus, ut vobis hoc scripto assentaremur, aut ad gratiam alloqueremur, sed ut postularemus ut judicium ad accuratam et diligentem in inquirendo rationem faciatis, nec anticipata opinione, aut superstitiosis homini-

bus placendi studio detenti, aut impetu a ratione alieno, aut dudum insidente animis malo rumore, sententiam in vosmetipsos feratis. Sic enim tenemus, nihil nos mali a quoquam perpeti posse, nisi maleficii arguamur, aut improbi deprehendamur. Vos autem occidere quidem potestis, lædere vero nequaquam.

III. Sed ne hæc quis alienam a ratione et temerariam vocem esse existimet, oramus ut quæratur de criminibus quæ Christianis objiciuntur, ac, si rem ita se habere pateat, ut quemlibet alium punire decet, ita puniantur. Sed si nihil arguere quisquam habeat, ratio vera non præcipit ut ob malum rumorem hominibus innocentibus injuriam faciatis, vel potius vobismetipsis, qui non judicio, sed affectu negotia facessere in animum inducitis. Atque hanc quidem præclaram esse solamque justam conditionem sanus quisque pronuntiabit, ut innoxiam quidem privati et inculpatam vitæ et doctrinæ suæ rationem exhibeant; similiter autem et qui præsunt, non vim et tyrannidem, sed pietatem et philosophiam sequentes, sententiam dicant. Sic enim et in iis qui præsunt, et in iis qui parent, præclare agatur. Dixit enim alicubi quidam veterum : « Nisi philosophentur et qui » regunt et qui reguntur, fieri non possit ut beatæ sint ci» vitates. » Nostrum igitur munus est, ut vitæ et doctrinæ nostræ inspiciendæ copiam omnibus faciamus, ne pro iis qui res nostras sibi videntur ignorare, pœnam eorum quæ cæcutientes peccaverint, ipsi debeamus : vestrum autem, ut audita, quemadmodum ratio præscribit, causa boni judices reperiamini. Nihil enim deinceps excusationis, re cognita, apud Deum relinquetur, si æqua non feceritis.

IV. Nominis quidem appellatione nec bonum nec malum dijudicatur sine subjectis nomini actionibus : etenim quantum ad nomen quo appellamur, optimi sumus; sed quia æquum esse non censemus ut propter nomen, si mali esse

arguamur, absolutionem petamus; rursus si nec ob nominis appellationem, nec ob vivendi rationem quidquam peccamus, vestrum est elaborare, ne plectendis injuste hominibus non convictis pœnas justitiæ debeatis. Ex nomine enim nec laus nec pœna merito exstiterit, nisi quid egregie possit aut improbe factum probari. Nam quicumque coram vobis accusantur, eos pœna non afficitis antequam convincantur. In nobis autem nomen argumenti loco sumitis; quamvis, quantum ad ipsum nomen attinet, in eos potius qui illud deferunt animadvertere deberetis. Accusamur enim quod Christiani simus : bonum autem odio haberi contra justitiam est. Deinde vero si quis ex his qui accusantur negatorem se præbeat, verbo negans se esse Christianum; dimittitis tanquam nihil habentes quod eum peccare arguatis. Si quis autem confiteatur, pœnam ob ipsam confessionem irrogatis; cum et confitentis et negantis vitam excutere oporteat, ut ex actionibus qualis quisque sit intelligatur. Quemadmodum enim quidam, cum a magistro Christo didicerint non negare, interrogati hortatorum munere funguntur : sic qui male vivunt, ansam fortasse iis præbent qui aliunde ad affingendam omnibus Christianis impietatem et injustitiam parati sunt. Neque id recte comparatum est. Quidam enim philosophiæ nomen et habitum præ se ferunt, qui nihil dignum hoc promisso faciunt; nec vos latet eos qui contraria olim inter se sensere ac docuere, nomine uno appellari philosophos. Ac eorum quidem nonnulli nullos deos esse docuerunt. Jovem etiam poetæ una cum ejus filiis impudicum decantant, quorum fabulas qui agunt non prohibentur a vobis, sed deos sonora voce exagitantibus præmia et honores ponitis.

V. Quid hæc igitur sibi volunt? Erga nos, qui nihil mali facturos, nec impia illa opinaturos pollicemur, non judicia examinatis, sed affectu a ratione alieno, ac malorum dæ-

monum flagello agitati, animadvertere indicta causa parvi penditis. Dicetur enim id quod res est. Pravi dæmones, cum præsentiam suam exhiberent, stupra mulieribus et pueris intulerunt, ac terricula hominibus monstrarunt, ita ut percellerentur qui id quod fiebat non ratione dijudicabant, sed metu correpti, ac malos dæmones esse ignari, deos appellabant, et eo quemque designabant nomine quod sibi quisque dæmon imposuisset. Postquam autem Socrates vera et exquisita ratione hæc in lucem proferre, et a dæmonibus homines abducere conatus est; ipsi dæmones hominum nequitia gaudentium opera perfecerunt, ut velut atheus et impius necaretur, nova ab eo dæmonia induci dictitantes. Hoc idem contra nos pariter moliuntur. Neque enim apud Græcos solum hæc a Verbo per Socratem convicta, sed apud barbaros etiam ab ipso illo Verbo forma induto, et homine facto ac Jesu Christo appellato. Cui cum credamus, dæmones, qui hæc perpetrarunt, non modo bonos esse non dicimus, sed etiam malos et nefandos dæmones, qui ne hominibus quidem virtutis cupidis similes actiones habeant.

VI. Inde ortum ut athei appellaremur. Atque atheos quidem nos esse confitemur, si de opinatis ejusmodi diis agatur; secus vero si de verissimo illo, et justitiæ ac temperantiæ, ac cæterarum virtutum Patre, nulla admixto vitiositate Deo. Sed eum et Filium qui ab eo venit ac nos ista docuit, et cæterorum qui illum assectantur, eique assimilati sunt, bonorum angelorum exercitum, et Spiritum propheticum colimus et adoramus, ratione et veritate venerantes, et ut quisque discere voluerit, citra invidiam, ut edocti sumus, impertientes.

VII. Sed dicet aliquis : Jam nonnulli, cum comprehensi fuissent, convicti sunt malefacti. Ac multos quidem persæpe, cum in vitam inquiritis reorum, condemnatis : non

tamen propter eos qui prius fuere convicti, condemnatis. Illud ergo generatim confitemur, quemadmodum qui apud Græcos arridentes sibi opiniones docuere uno omnino philosophiæ nomine appellantur, quamvis contrariæ sint eorum sententiæ, ita et iis qui apud barbaros exstitere aut existimati sunt sapientes, commune impositum esse nomen; Christiani enim appellantur omnes. Rogamus itaque ut omnium qui apud vos accusantur, dijudicentur actiones, ut qui convictus fuerit puniatur ut improbus, nequaquam autem ut Christianus; si quem autem extra noxiam esse pateat, dimittatur ut innocens Christianus. Nam ut in ipsos delatores animadvertatis minime rogabimus : satis enim illis est supplicii sua ipsorum nequitia ac bonarum rerum ignoratio.

VIII. Vestra autem causa hæc a nobis dicta esse ex eo intelligite, quod in nobis situm sit negare cum interrogamur. Sed vivere nolumus obstricti mendacio. Æternæ enim ac puræ vitæ cupidi ad domicilium cum Deo universorum patre et opifice promissum contendimus; ac properamus ad confitendum, cum persuasum habeamus et credamus, hæc bona ab illis comparari posse qui factis suis testati Deo fuerint se illum sectatos esse, ac illud apud eum domicilium adamasse, ubi nulla vitiositas reluctatur. Ut igitur brevissime dici potest, hæc sunt quæ exspectamus, quæque a Christo didicimus et docemus. Similiter quidem Plato improbos, cum ad Minoem et Rhadamanthum venerint, punitum iri ab illis dixit : nos autem idem illis eventurum dicimus, sed a Christo; idque existentibus in iisdem corporibus, una cum suis animabus, ut pœna æterna puniantur, non mille annorum, ut iste dixit, circuitu definita. Si quis autem nobis incredibile id esse, ac fieri non posse dicat; levis sane est ac quotidianus hic error, quamdiu nullius malefacti arguimur.

IX. Neque etiam victimarum copia et florum coronis colimus quos homines, postquam effinxere et in fanis collocavere, deos appellarunt : si quidem inanimata et mortua hæc esse, nec Dei forma prædita (neque enim talem Deo inesse formam putamus, qualem quidam colendi causa simulatam dicunt), sed malorum illorum, qui apparuerunt, dæmonum et nomina et figuras referre novimus. Quid enim attinet vobis, qui probe scitis, exponere quonam artifices modo materiam tractent, scalpendo, cædendo, fundendo et tundendo? Quinetiam sæpe ex vasis inhonestis, cum speciem tantum arte immutaverint, ac effigiem induxerint, cognominant deos. Quod quidem non solum a ratione alienum esse, sed etiam contumeliose in Deum fieri censemus; qui cum gloriam et formam non enarrabilem habeat, ejus nomen rebus corruptioni obnoxiis et assiduam curam requirentibus imponitur. Atque horum artifices vitio omni, ne singula recenseam, deditos esse accurate nostis; adeo ut suas etiam ancillas, dum secum laborant, constuprent. O stuporem attonitæ mentis! id hominibus incontinentibus tribui, ut deos ad colendum fingere et transformare dicantur; ac fanorum, in quibus illi collocantur, tales constitui custodes! Nimirum non vident et cogitatu et dictu nefas esse, homines deorum esse custodes.

X. Neque etiam materialibus hominum donis Deum indigere accepimus; sed eos solos illi probari didicimus et persuasum habemus et credimus, qui insita illi bona imitantur, temperantiam, justitiam et humanitatem, et quæcumque Dei, qui nullo imposito nomine vocatur, propria sunt. Et cum bonus sit, omnia illum ab initio ex informi materia propter homines condidisse accepimus. Quos quidem, si dignos se per opera illius consilio ac voluntati exhibuerint, adepturos accepimus, ut cum eo degant atque una regnent, corruptionis et perpessionis expertes. Quem-

admodum enim ab initio non existentes creavit, eodem modo futurum credimus, ut qui elegerint quæ ipsi placent, ob hanc eligendi rationem immortalitate et Dei convictu et consuetudine dignentur. Nam ut a principio fieremus, in nobis situm non erat; ut autem ea sequamur quæ ipsi placent, adhibitis ad eligendum rationalibus facultatibus, quas ab eo accepimus, id ipse nobis persuadet et ad fidem nos adducit. Atque id quidem ad omnes homines pertinere arbitramur, eo quod non arceantur ab his discendis, sed potius hortatu ad ea incitentur. Quod enim non potuerant leges humanæ perficere, id Verbum divinum præstitisset; nisi mali dæmones sociam ad omnia et adjutricem adhibentes malam in uno quoque et variam natura cupiditatem, multa falsa et impia crimina, quorum nullius conscii nobis sumus, in vulgus sparsissent.

XI. Vos autem, cum regnum a nobis exspectari auditis, humanum perperam suspicamini, cum illud quod cum Deo est, dicamus; ut vel ex eo patet quod a vobis interrogati fateamur nos esse Christianos, quamvis mortis pœnam confitenti positam sciamus. Nam si humanum regnum exspectaremus, negaremus profecto interitus vitandi causa, et latere conaremur, ad ea quæ exspectamus consequenda. Sed quia spes in rebus præsentibus positas non habemus, interfectores parvi pendimus, cum præsertim mors omnino declinari non possit.

XII. Vobis autem adjutores omnium hominum maxime et auxiliarii ad pacem sumus, qui hæc docemus, fieri omnino non posse ut Deum lateat maleficus, aut avarus, aut insidiator, aut virtute præditus, ac unumquemque ad æternam, sive pœnam, sive salutem pro meritis actionum suarum proficisci. Nam si hæc cognita omnibus hominibus essent, nemo vitium ad breve tempus eligeret, cum se ad æternam ignis condemnationem proficisci sciret; sed sese

omnino contineret ac virtute exornaret, tum ad bona quæ a Deo promittuntur, consequenda, tum ad fugienda supplicia. Neque enim qui peccant, ii propter positas a vobis leges et pœnas latere conantur; sed cum se consequi posse sciant, ut vos, utpote homines, lateant, iniqua faciunt. At si didicissent et persuasum haberent fieri non posse ut Deum quidquam lateat, non modo factum, sed etiam cogitatum, saltem propter impendentia supplicia honestatem omnino colerent; id quod et a vobis concedetur. Sed metuere videmini, ne omnes æqua faciant, nec jam habeatis in quos animadvertatis. Carnificum sane id foret, non bonorum principum. Persuasum autem habemus, malorum dæmonum operatione, qui hostias et cultum ab hominibus præter rationem viventibus petunt, hæc quoque, ut jam diximus, fieri. Vos autem, qui pietatis et philosophiæ studiosi estis, nihil præter rationem facturos arbitramur. Quod si ipsi quoque, itidem ut homines insipientes, veritati consuetudinem anteponitis; quod in vestra potestate situm est, facite. Plus autem non possunt ne ipsi quidem principes, si veritati opinionem anteponant, quam latrones in solitudine. At vos minime litaturos Verbum declarat, quo magis regium magisque justum principem, secundum genitorem illius Deum, novimus neminem. Quemadmodum enim nemo est qui paupertatem aut morbos aut ignominiam hæreditate a parentibus accipere non refugiat; sic quæcumque Verbum eligi non debere docuerit, ea vir sanæ mentis haud eliget. Futura hæc, inquam, omnia prædixit magister noster, parentis et domini omnium Dei Filius et apostolus Jesus Christus, a quo etiam habuimus ut Christiani appellaremur. Unde et confirmamur in omnibus quæ ille docuit, quandoquidem reipsa videmus evenire quæcumque futura prædixit. Quod quidem Dei opus est, res antequam fiant prædicere, easque quemadmodum prædictæ

fuerunt, ita factas exhiberi. Licebat igitur hoc loco desinentibus nihil amplius addere, justa a nobis et vera postulari cogitantibus. Sed quia difficile esse novimus mentem ignoratione obsessam subito immutari, pauca statuimus adjicere, ut veritatis amatoribus persuadeamus; haud ignari posse fieri, ut veritate in medio posita ignoratio pellatur.

XIII. Quis igitur sanæ mentis homo non fateatur atheos nequaquam nos esse, qui opificem hujusce universitatis colimus, eum nec sanguinis, nec libaminum, nec suffimentorum indiguum esse, ut edocti sumus, asserentes; sed verbis precationem et gratiarum actionem habentibus, in his omnibus quæ offerimus, eum, quantum possumus, laudantes pro creationis beneficio, pro omnibus ad bonam valetudinem adjumentis, pro diversarum rerum qualitatibus, ac vicissitudinibus tempestatum, et propter fidem qua illi credimus, precibus eum orantes ut rursus incorrupti fiamus, quippe cum hanc solam colendi rationem illo dignam esse edocti simus, quæ ab eo ad alendum creata sunt non igne consumere, sed ad nostros et pauperum usus offerre, ac gratum ei animum præstantes, rationalibus eum pompis et hymnis celebrare. Nostrum autem harum rerum doctorem, natum ad hoc munus Jesum Christum ac sub Pontio Pilato, Judææ temporibus Tiberii Cæsaris præside, crucifixum, veri Dei Filium esse edocti, ipsumque secundo loco, Spiritum autem propheticum tertio habentes ordine, non sine ratione a nobis coli demonstrabimus. Hoc enim loco insaniæ nos accusant, post immutabilem et sempiternum et patrem omnium Deum homini crucifixo alterum locum a nobis dictitantes deferri, mysterium hujus rei ignorantes, quod dum exponimus, ut attente audiatis hortamur.

XIV. Nam ne supra exagitati a nobis dæmones vos decipiant, atque ab his quæ dicimus, omnino legendis atque intelligendis avertant, cavendum vobis denuntiamus

(contendunt enim summopere, ut vos servos et ministros habeant; ac nunc quidem per somniorum visa, nunc per magicas præstigias eos omnes capiunt qui de sua salute nihil laborant) : quemadmodum et nos, postquam Verbo credidimus, ab istis quidem descivimus, ac solum ingenitum Deum per ejus Filium sequimur : et qui olim stupris gaudebamus, nunc castimoniam unice amplectimur : qui magicis etiam artibus utebamur, bono et ingenito nos consecravimus Deo : qui pecuniarum et possessionum vias omnibus antiquiores habebamus, nunc etiam ea quæ possidemus in commune conferimus, et cum indigentibus quibusque communicamus : qui mutuis odiis et cædibus pugnabamus, et cum iis qui tribules nostri non essent, communem focum ob diversa instituta non habebamus, nunc postquam Christus apparuit, convictores sumus, et pro inimicis oramus; et qui nos iniquis odiis prosequuntur, eos suadendo flectere conamur, ut qui secundum præclara Christi præcepta vixerint, bonam spem habeant eadem se ac nos a dominatore omnium Deo consequuturos. Sed ne vobis verba dare videamur, operæ pretium esse duximus, pauca quædam ex ipsius Christi præceptis, antequam ad demonstrationem veniamus, commemorare. Breve autem et concisum fuit illius dicendi genus : non enim sophista erat, sed ejus oratio virtus Dei fuit.

XV. Itaque de castitate tantumdem dixit : « Qui inspexerit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus » est in corde apud Deum. » Et : « Si oculus tuus dexter » scandalizat te, erue eum. Expedit enim tibi unum oculum » habentem ingredi in regnum cœlorum, potius quam cum » duobus mitti in ignem æternum. « Et : « Qui ducit repudiatam ab altero viro, mœchatur[1]. » Et : « Sunt quidam » qui eunuchi facti sunt ab hominibus : sunt qui nati sunt

[1] Matth. v, 28.

» eunuchi : sunt qui seipsos eunuchos fecerunt propter re» gnum cœlorum. Sed non omnes hoc capiunt[1]. » Quemadmodum etiam ii qui ex lege humana duplex matrimonium ineunt, ita et qui mulierem adspiciunt ad concupiscendum eam, peccatores sunt apud magistrum nostrum. Non enim is solum ab eo ejicitur qui re et actu mœchatur, sed etiam qui mœchari vult; quippe cum Deo non facta solum, sed etiam cogitata pateant. Ac multi quidem et multæ annos sexaginta et septuaginta nati, qui a pueris Christi disciplina imbuti sunt, incorrupti perseverant; talesque in omni hominum genere monstraturum me profiteor. Quid enim innumerabilem eorum multitudinem dicam, qui ex lascivia sese receperunt atque hæc didicerunt? Non enim justos neque castos ad pœnitentiam vocavit Christus; sed impios, et incontinentes, et injustos. Sic enim inquit : « Non veni » vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam[2]. » Pœnitentiam namque mavult quam pœnam cœlestis Pater. De cunctis autem hominibus diligendis ita docuit : « Si diligitis » eos qui vos diligunt, quid novi facitis? hoc enim et for» nicatores faciunt. Ego vero dico vobis : Orate pro inimicis » vestris, et diligite eos qui odio vos persequuntur[3]. Bene» dicite maledicentibus vobis, et orate pro calumniantibus » vos[4]. » Ut autem nostra communicemus cum egentibus, nec quidquam gloriæ causa faciamus, hæc dixit : « Omni » petenti date; et mutuo sumere volentem ne aversemini[5]. » Si namque mutuo his datis a quibus vos recepturos spe» ratis, quid novi facitis? faciunt hoc et publicani[6]. Vos » autem nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi » ærugo et tinea demolitur, et prædones effodiunt : sed the» saurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo neque » tinea demolitur[7]. Quid enim prodest homini, si mundum

[1] Matth. XIX, 12. — [2] Matth. IX, 13. — [3] Matth. V, 46. — [4] Luc. VI, 28. — [5] Luc. VI, 30. — [6] Luc. VI, 34. — [7] Matth. VI, 19.

» totum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur[1]? » Aut quam dabit commutationem pro ea? Thesaurizate » ergo thesauros in cœlis; ubi nec ærugo nec tinea demo- » litur[2]. » Et : « Estote autem benigni et misericordes, sicut » Pater vester benignus est et misericors, ac solem suum » oriri facit super peccatores, et justos et malos[3]. Ne solli- » cite curetis quid esuri sitis, aut quibus usuri vestimentis[4]. » An vos volucribus et feris non præstatis? et Deus *alit illa*. » Ne igitur solliciti sitis quid esuri sitis, aut quibus usuri » indumentis. Novit enim Pater vester cœlestis, vos hisce » indigere. Quærite autem regnum cœlorum, et omnia hæc » adjicientur vobis[5]. Ubi enim thesaurus, illic et mens ho- » minis est[6]. » Et : « Ne ista feceritis, ut spectaculo sitis ho- » minibus : alioquin mercedem non habebitis a Patre vestro » qui in cœlis est[7]. »

XVI. Patientes autem ut simus et ad serviendum omnibus parati ac iræ expertes, quæ ab eo dicta sunt ita se habent : « Qui te percutit in maxillam, præbe et alteram. *Et* » ab eo qui aufert tibi tunicam, aut vestimentum, noli *pro-* » hibere[8]. Qui vero ira excanduerit, ad ignem condemna- » tioni obnoxius fuerit[9]. Omnem autem adigentem te ad » miliare unum, duobus illum comitare[10]. *Luceant vero be-* » nefacta vestra coram hominibus, ut illi ea cernentes, ad- » mirentur Patrem vestrum qui in cœlis est[11]. » Non enim reluctari oportet, neque nos imitatores esse malorum vult Deus : sed ut patientia et lenitate omnes a dedecore et cupiditate malorum abducamus hortatus est. Quod quidem et de multis qui apud vos fuerunt, demonstrare possumus, qui ex violentis et tyrannis immutati sunt, vel vestigata vicinorum vitæ constantia victi, vel perspecta viæ comitum in

[1] Matth. XVI, 25. — [2] Matth. VI, 20. — [3] Luc. VI, 36. — [4] Matth. V, 45. — [5] Matth. VI, 25. — [6] Matth. VI, 21. — [7] Matth. VI, 1. — [8] Luc. VI, 29. — [9] Matth. V, 22. — [10] Matth. V, 41. — [11] Matth. V, 16.

injuriis perferendis mira patientia, vel exploratis eorum moribus quibuscum contrahebant. Ne autem juremus omnino, atque ut vera semper loquamur, sic præcepit : « Ne » juretis omnino, sed sit vestrum Est, est; et Non, non : » quod autem his abundantius est, a malo est[1]. » Deum porro solum colendum esse, ita suasit, dicens : « Maximum » mandatum est : Dominum Deum tuum adorabis, atque » illum solum coles ex toto corde tuo, et ex tota fortitudine » tua : Dominum Deum tuum, qui fecit te[2]. » Et accedente ad eum quodam, atque dicente, *Magister bone*, respondit inquiens : *Nemo bonus, præterquam solus Deus*[3], qui condidit omnia. Qui autem non ita comperiuntur vivere quemadmodum docuit, eos pro certo constet non esse Christianos, quamvis lingua pronuntient Christi doctrinam. Non enim eos qui tantummodo dicunt, sed qui facta etiam exhibent, salvos esse futuros dixit. Sic enim ait : « Non omnis » qui dicit mihi, Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum : sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis » est[4]. Nam qui me audit, et quæ dico facit, eum audit qui » misit me[5]. Permulti autem dicent mihi : Domine, Domine, nonne in nomine tuo edimus et bibimus, et virtutes » præstitimus[6]? Et tunc dicam eis : Discedite a me qui operamini iniquitatem[7]. Ibi tum fletus erit et stridor dentium, » cum justi quidem ut sol fulgebunt, injusti autem mittentur in ignem sempiternum[8]. Multi siquidem venient sub » nomine meo, extrinsecus ovium pellibus induti, cum intrinsecus lupi sint rapaces. Ex operibus eorum cognoscetis illos. Omnis autem arbor non faciens fructum bonum, exciditur, et in ignem conjicitur[9]. » Cæterum qui non consentanee præceptis illius vivunt, ac nomine tenus

[1] Matth. v, 34, 37. — [2] Marc. xii, 30. — [3] Matth. xix, 16, 17. — [4] Matth. vii, 21. — [5] Matth. vii, 24. — [6] Matth. vii, 21. — [7] Luc. xiii, 26. — [8] Matth. xiii, 42. — [9] Matth. vii, 15, 16, 19.

Christiani sunt, hi ut a vobis quoque puniantur, rogamus.

XVII. Illud etiam studio nobis est, ut vectigalia et census iis quibus hoc munus commisistis, primi omnium pendamus : quemadmodum ab eo sumus instituti. Illo namque tempore accedentes quidam, percunctati sunt ex illo, an Cæsari vectigalia pendere oporteat[1]? Qui responsum hoc ab eo retulere : « Dicite, inquit, mihi, cujus imaginem » nummus habet? » Qui ubi dixissent, « Cæsaris : Reddite » igitur, ait, quæ Cæsaris sunt, Cæsari; et quæ Dei, Deo[2]. » Proinde nos solum Deum adoramus; vobis autem in rebus aliis læti servimus; reges ac principes hominum esse agnoscentes; et simul precantes, ut cum regia potestate sanam quoque mentem obtinere comperiamini. Quod si nos precantes, atque omnia in lucem proferentes, non curaveritis, nihil nos quidem capiemus detrimenti, quippe cum credamus, vel potius persuasum habeamus, pro actionum meritis unumquemque pœnas per æternum ignem daturum, et pro ratione acceptarum a Deo facultatum rationem ei redditurum, quemadmodum Christus declaravit, dicens : « Cui » plus contulit Deus, plus etiam reposcetur ab eo[3]. »

XVIII. Respicite enim exitum cujusque superiorum imperatorum : communem omnibus mortem obierunt, quæ si in statum sensus expertem evaderet, de lucro id esset improbis omnibus. Sed quia et sensus manet iis omnibus qui extiterunt, et supplicia æterna reposita sunt; ne hæc pro certis habere ac vera credere negligatis. Nam et necyomantiæ et incorruptorum puerorum inspectiones, et animarum humanarum evocationes, et qui apud magos dicuntur somniorum immissores et assessores, et quæ a peritis illarum rerum fiunt, persuadeant vobis animas etiam post mortem sensu præditas esse : et qui ab animabus mortuorum correpti projiciuntur, dæmoniaci et furiosi ab om-

[1] Matth. XXII, 17. — [2] Matth. XXII, 19, 20, 21. — [3] Luc. XII, 48.

nibus appellati, et quæ dicuntur apud vos oracula, Amphilochi, Dodonæ et Pythiæ, et quæcumque alia ejusmodi, et scriptorum sententiæ, Empedoclis et Pythagoræ, Platonis et Socratis, et illa apud Homerum fossa, et descensus Ulyssis horum videndorum causa, et eorum testimonia qui eadem ac isti dixerunt : quibus nos saltem æque approbate, qui non minus quam illi, imo magis Deo credimus, quippe cum nostra corpora etiam mortua et in terram conjecta nos rursus recepturos speremus, nihil non posse a Deo fieri asserentes.

XIX. Et sane quid incredibilius videatur attente consideranti, quam si in corpore non essemus, nobisque diceret aliquis ex parva quadam humani seminis gutta ossa et carnes ea, quam videmus, forma fieri posse? Id enim nunc fingendo dicamus. Si tales non essetis, neque orti ex talibus, vobisque aliquis hominis semen et pictam imaginem demonstrans, ex tali re eum generari posse asseveraret; num priusquam videretis factum, crederetis? Nemo contradicere audebit. Eodem modo quia nondum vidistis mortuum ad vitam revocatum, increduli estis. Sed quemadmodum nunquam omnino credidissetis tales vos ex parva gutta fieri posse, et tamen factos videtis; eodem modo fieri posse existimate, ut dissoluta hominum corpora, et instar seminum in terram resoluta, Dei jussu, certo tempore resurgant et incorruptionem induant. Nam qui unumquodque in id unde extitit redire, ac præterea ne Deum quidem quidquam aliud posse dicunt, ii statuere non possumus ecquam Deo dignam potentiam relinquant. Sed illud perspicimus, nequaquam eos credituros fuisse tales se et universum mundum fieri posse, quales et ex qualibus factos vident. Satius autem esse ea credere, quæ et nostræ naturæ et aliorum hominum vires superant, quam pariter cum aliis incredulos esse, accepimus. Quandoquidem et magistrum

nostrum Jesum Christum ita dixisse scimus : « Quæ impossibilia apud homines, possibilia apud Deum[1]. » Item : « Ne timeatis eos qui occidunt vos, ac deinceps nihil facere possunt; eum vero timete qui post mortem potest et animam et corpus conjicere in gehennam[2]. » Est autem gehenna, locus ubi punientur qui injuste vixerint, nec ea crediderint futura quæcumque Deus per Christum docuit.

XX. Ac Sibylla quidem et Histaspes ea quæ corruptioni obnoxia sunt, igne consumptum iri dixerunt. Philosophi illi qui dicuntur Stoici, Deum ipsum in ignem resolvi docent, ac mundum post immutationem rursus oriri dicunt. Nos autem præstantius aliquid mutabilibus rebus creatorem omnium Deum credimus. Igitur si quædam similia his, qui apud vos in pretio sunt, poetis et philosophis, quædam autem plenius et divinius disserimus, idque soli cum demonstratione; cur supra omnes injustis odiis flagramus? Dum enim a Deo dicimus ornata et facta omnia, Platonis sententiam proferre videbimur; dum conflagrationem fore, Stoicorum : dum autem improborum animas, etiam post mortem, sensu præditas puniri, bonorum a suppliciis liberas beate agere; eadem ac poetæ et philosophi dicere videbimur : dum homines id quod ipsis pejus est colere *non debere*; idem dicimus quod Menander comicus, et *qui similia* loquuti sunt. Majorem enim esse opere opificem pronuntiarunt.

XXI. Dum autem Verbum, quæ prima est Dei progenies, sine mistione genitum dicimus, Jesum Christum magistrum nostrum, eumdemque crucifixum et mortuum et redivivum ascendisse in cœlum; nihil ab iis, qui apud vos dicuntur, Jovis filiis alienum et novum afferimus. Scitis enim quot Jovis filios commemorent spectati apud vos scriptores, Mercurium, sive sermonem interpretem et om-

[1] Matth. XIX, 26. — [2] Matth. X, 28.

nium magistrum: Æsculapium, postquam fulmine etiam ob medici munus percussus est, evectum in cœlum; Bacchum postquam dilaniatus, Herculem postquam seipsum fuga laborum igni tradidit, Dioscoros ex Leda, Perseum ex Danae genitos, et genitum ex hominibus Bellerophontem, equo Pegaso sublatum. Quid enim dicamus Ariadnem et qui similiter ac ista recepti inter sidera feruntur? Nam et morientes apud vos imperatores semper immortalitati consecrandos judicatis, ac producitis qui etiam juratus vidisse se crematum Cæsarem in cœlum abeuntem dicat. Qualia autem cujusque eorum, qui dicuntur, Jovis filiorum facta perhibeantur, necesse non est apud scientes dicere; sed hæc certe ad corruptelam et depravationem discentium litteris mandata sunt. Deos enim imitari præclarum omnibus videtur. Absit autem a sana mente hæc de diis cogitatio, ut ipsum ducem ac genitorem omnium secundum illos Jovem, parricidam et ex patre parricida ortum fuisse, ac malarum et turpium voluptatum amore captum ad Ganymedem multasque mulieres ab eo constupratas venisse, ac ejus filios similia fecisse credat. Sed hæc, ut diximus, pravi dæmones perpetrarunt. Nos autem immortalitatem eos consequi solos didicimus, qui Deum vitæ sanctitate et virtute propius contingunt: qui autem improbe vivunt nec immutantur, eos igne æterno credimus puniri.

XXII. Filius autem Dei, qui Jesus vocatur, etiam si homo tantum esset communi conditione, propter sapientiam dignus foret qui Filius Dei diceretur. Parentem enim virumque deumque scriptores omnes appellant Deum. Quod si modo singulari et a communi creatione diverso genitum illum ex Deo dicimus Verbum Dei; id ei, ut jam diximus, commune esse credite cum iis qui Mercurium sermonem a Deo internuntium appellant. Si quis autem crucifixum esse objiciat: est id quoque commune cum supradictis Jovis, ut

vestra fert opinio, filiis, qui perpessiones non effugerunt. Illorum enim non similes, sed diversæ mortis perpessiones narrantur, ita ut Jesus, ne ob singulare quidem perpessionis genus, inferior sit. Sed et præstantiorem esse, ut promisimus, procedente oratione demonstrabimus; vel potius jam demonstratum est. Præstantior enim quisque ex actionibus dijudicatur. Quod autem natum ex virgine tenemus, commune id cum Perseo existimate. Quod claudos denique et paralyticos, et ab ipso ortu mutilos sanitati ab eo restitutos, et mortuos ad vitam revocatos dicimus; similia hæc quoque dicere videbimur iis quæ ab Æsculapio facta narrantur.

XXIII. Atque ut illud etiam perspectum habeatis, quæcumque a Christo et a Prophetis, qui eum antecesserunt, edocti dicimus, sola esse vera et scriptoribus omnibus antiquiora; nec quia eadem ac illi scriptores dicimus, idcirco petere ut probemur, sed quia vera loquimur : tum etiam ut vobis constet Jesum Christum, cum Dei Verbum et primogenitus et virtus sit, solum proprie filium ex eo genitum esse; ejusque voluntate factum hominem instaurandi et revocandi hominum generis causa, hæc nos docuisse; ac denique priusquam inter homines homo versaretur, *quosdam* in antecessum, eos scilicet, quos jam diximus, malos dæmones ea per poetas velut facta dixisse, quæ fabulose isti confinxerunt, quemadmodum perfecere ut nefanda in nos et impia facinora decanterentur, quorum nec testis nec argumentum exstat ullum; ut hæc, inquam, vobis explorata sint, his argumentis utemur.

XXIV. Primo, quia cum similia Græcis dicamus, soli odio habemur propter nomen Christi; et cum nihil faciamus mali, velut improbi necamur : aliis alibi et arbores et fluvios et mures et feles et crocodilos et plurimas brutas animantes colentibus, nec eadem omnibus, sed alia alibi venerantibus, ita ut omnes sibi invicem, quia non eadem colunt, impii

sint. Quæ quidem una res est, quam in criminis loco nobis objicere possitis, quod non eosdem ac vos colamus deos, nec mortuis libamina et nidores et coronas imaginibus apponi solitas et victimas offeramus. Ipsi enim res easdem alibi deos, alibi feras, alibi victimas legitimas esse accurate scitis.

XXV. Secundo, quod ex omni hominum genere qui olim Bacchum Semeles filium, et Latonæ Apollinem, qui etiam turpe dictu est quæ et quanta masculorum amore designaverint, qui Proserpinam et Venerem, œstro propter Adonidem concitatas, quarum etiam mysteria celebratis, aut Æsculapium aut alium aliquem eorum quos appellant deos, colebamus, eos quamvis morte proposita per Jesum Christum contemsimus, nosque ingenito et perpessionis experti consecravimus Deo, quem neque ad Antiopen aliasve similes, neque ad Ganymedem œstro libidinis incitatum venisse credimus, nec vinculis solutum auxilio illius Centimani per Tethydem impetrato, neque ob hoc beneficium sollicitum fuisse, ut plurimis Græcis Achilles propter Briseidem pellicem perniciem afferret. Miseret nos eorum qui ista credunt, horumque auctores esse dæmones novimus.

XXVI. Tertio, post Christi in cœlum ascensum dæmones immisere homines quosdam, qui se deos esse dicerent : quos non modo non insectati estis, sed etiam auxistis honoribus. Simonem quemdam Samaritanum e vico Gittum dicto, qui sub Claudio Cæsare, cum magica miracula, dæmonum in eo operantium arte, in regia vestra urbe Romæ edidisset, Deus existimatus est, et a vobis, tanquam Deus, statua honoratus, quæ statua erecta est in insula Tiberina inter duos pontes, habens hanc Romanam inscriptionem : *Simoni Deo sancto.* Hunc Samaritani pene omnes et ex aliis gentibus nonnulli primum Deum esse confitentur, eumque adorant : ac Helenam quamdam, quæ eum hoc tempore ubique assectata est, cum antea in lupanari prostitisset, primam

» pullum suum, lavans in sanguine uvæ stolam suam[1]. » Vestrum est igitur accurate inquirere et pernoscere quoadusque Judæis suus fuerit proprius princeps et rex. Nimirum quoad apparuit Jesus Christus magister noster, et latentium oraculorum interpres; quemadmodum prædictum est a Spiritu prophetico per Mosem, non defecturum e Judæis principem, donec veniret ille cui repositum erat regnum. Judas enim auctor generis Judæorum extitit, a quo etiam ut Judæi vocarentur habuerunt: et postquam ille prodiit, vos Judæis imperastis, et omnem eorum terram ditioni vestræ adjecistis. Illud autem, *Ipse erit exspectatio gentium*, significabat fore ex omnibus gentibus qui eum denuo venturum exspectarent. Quod quidem vobis licet cernere et rei experientia credere. Ex omni enim hominum genere exspectant illum in Judæa crucifixum, post quem statim bello capta Judæorum terra vobis tradita est. Istud porro, « ligans ad vitem pullum suum, et lavans in sanguine uvæ » stolam suam, » symbolum erat res significans partim Christo eventuras, partim ab ipso gerendas. Nam pullus quidam asinæ stabat in quodam introitu vici ad vitem alligatus: quem cum sibi a discipulis tunc adduci jussisset, adductum conscendit, eique insidens Jerosolymam ingressus est, ubi maximum Judæorum templum erat, quod postea a vobis eversum est. Ac postea in crucem actus est, ut quod reliquum erat prophetiæ expleretur. Nam illud « lavans in sanguine uvæ stolam suam, » passionem illam prænuntiabat, quam erat passurus, sanguine eos expians qui ipsi credunt. Nam quæ dicitur a divino Spiritu per prophetam stola, homines sunt ei credentes, in quibus illud a Deo semen habitat Verbum. Quod autem dicitur sanguis uvæ, id significabat eum qui appariturus erat, sanguinem quidem habiturum, sed non ex humano semine, verum ex di-

[1] Gen. XLIX, 10.

vina virtute. Prima autem secundum Parentem omnium et Dominum virtus et filius, Verbum est; quod quomodo incarnatum homo factum sit, deinceps dicemus. Quemadmodum enim uvæ sanguinem non homo fecit, sed Deus; ita et hic sanguis significabatur non ex humano sanguine, sed ex virtute Dei, ut jam diximus, futurus. Atque Esaias alius propheta eadem verbis diversis prædicens sic fatur : « Orietur stella ex Jacob, et flos e radice Jesse ascendet, et » in brachium ejus gentes sperabunt[1]. » Stella sane lucida exorta est, et flos ascendit e radice Jesse hic Christus. Nam ex virgine seminis Jacobi, qui Judæ pater extitit (Judam autem Judæorum patrem esse ostendimus), per virtutem Dei genitus est. Ac Jesse quidem proavus Christi secundum oraculum fuit; Jacobi autem et Judæ filius secundum generis successionem.

XXXIII. Jam vero quemadmodum ex virgine oriturum conceptis verbis Esaias prædixerit, audite. Sic autem loquutus est : « Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium, » et dicent super nomine ejus, Nobiscum Deus[2]. » Quæ enim incredibilia erant et fieri non posse hominibus videbantur, ea Deus per Spiritum propheticum futura prænuntiavit, ut cum evenissent, fides eis non derogaretur, sed ex eo quod essent prædicta, crederentur. Ne qui autem prolatam prophetiam minus intelligentes, eadem nobis objiciant quæ poetis, Jovem dicentibus ad mulieres rei venereæ causa ventitasse, objecimus; verba explanare tentemus. Illud igitur, *Ecce virgo in utero habebit,* significat absque concubitu concepturam. Nam si cum aliquo consuevisset, non jam esset virgo. Sed virtus Dei superveniens virgini obumbravit eam, fecitque ut tum, cum esset virgo, prægnaret. Et qui tunc ad ipsam virginem missus est angelus Dei, sic lætum ei nuntium attulit : « Ecce concipies in utero ex Spi-

[1] Esai. XI, 1. — [2] Esai. VII, 14.

» ritu sancto, et paries filium, et Filius altissimi vocabitur : » et vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet » populum suum a peccatis eorum[1] : » quemadmodum docuerunt, qui omnia ad Salvatorem nostrum Jesum Christum pertinentia litteris mandarunt; quibus quidem credimus, quia per eum etiam, quem jam diximus, Esaiam Spiritus propheticus illum ita, uti exposuimus, nasciturum dixit. Spiritum igitur et virtutem quæ a Deo est, nihil aliud fas est intelligere, quam Verbum, quod et Deo primogenitum est, ut is, quem jam diximus, Moses propheta indicavit. Atque hic Spiritus cum in virginem illapsus esset, eique obumbrasset, illam non ex concubitu, sed ex virtute prægnantem effecit. Jesus autem, hebraicæ linguæ nomen, idem sonat græco sermone ac Salvator. Unde Angelus ad virginem dixit : « Et vocabis nomen Jesum; ipse enim salvum faciet » populum suum a peccatis eorum. » Vaticinantes autem dum divinitus efferuntur, nulla alia re efferri quam verbo divino, vos quoque, arbitror, dicetis.

XXXIV. Ubi autem terrarum nasciturus esset, quomodo alius propheta Michæas prædixerit, audite. Sic autem dixit : « Et tu Bethleem terra Judæ, nequaquam minima es in » principibus Judæ : ex te enim egredietur dux qui pascet » populum meum[2]. » Est autem vicus quidam in terra Judæorum, stadiis triginta quinque Hierosolymis distans, ubi natus est Jesus Christus, quemadmodum et ex descriptionibus census discere potestis quæ sub Cyrenio, primo vestro in Judæa præside, confectæ sunt.

XXXV. Quod autem futurum erat ut Christus natus cæteros homines usque ad ætatem virilem lateret, id quod evenit; quæ prædicta sint ea de re audite. Sic autem habent : « Puer natus est nobis; et adolescentulus datus est » nobis : cujus super humeros imperium ejus[3], » indicium

[1] Luc. I, 30. — [2] Matth. II, 6. — [3] Esai. IX, 6.

potentiæ crucis, cui affixus humeros applicuit, quemadmodum progressu orationis clarius demonstrabitur. Rursus idem propheta Esaias divinitus afflatus a Spiritu prophetico dixit : « Expandi manus meas ad populum incredulum et » contradicentem, ad eos qui incedunt in via non bona. » Postulant nunc a me judicium et appropinquare Deo au- » dent[1]. » Ac rursus aliis verbis per alium prophetam ait : « *Ipsi* foderunt meas manus et pedes, et jecerunt sortem » super vestimentum meum[2]. » Ac David quidem rex, qui hæc dixit, nihil horum passus est. Christi autem Jesu manus expansæ fuerunt, cum a Judæis crucifigeretur contradicentibus et asserentibus eum non esse Christum. Nam et illum, ut dixit Propheta, per ludibrium in tribunali collocarunt et dixerunt, *Judica nobis.* Illud autem, *Foderunt meas manus et pedes,* narratio erat clavorum, qui in cruce manibus ejus et pedibus infixi sunt. Et postquam eum crucifixerunt, sorte duxerunt ejus vestimentum, illudque inter se partiti sunt qui eum crucifixerant. Atque hæc ita gesta esse ex Actis sub Pontio Pilato confectis discere potestis. Quod autem diserte prædictum fuerat eum asinæ pullo sessurum et Hierosolymam ingressurum, pronuntiata ab alio propheta Sophonia vaticinii verba dabimus. Sic autem habent : « Lætare vehementer filia Sion : prædica filia Hieru- » salem : ecce Rex tuus venit tibi mitis, asino insidens et » pullo filio subjugalis[3]. »

XXXVI. Sed cum Prophetarum verba velut aliqua ex persona efferri auditis, non ab his qui afflati fuerunt, sed ab eo, quod illos movebat, verbo divino dicta existimate. Interdum enim prænuntiantis more futura exponit, interdum ut ex persona domini omnium et patris Dei loquitur, interdum ut ex persona Christi, interdum ut ex persona populorum Domino aut ejus Patri respondentium loquitur.

[1] Esai. LVIII, 2. — [2] Psal. XXI, 18. — [3] Zach. IX, 9.

Quale est quod et apud vestros scriptores cernere licet, apud quos unus quidem scribit omnia, colloquentes autem personas inducit. Quod cum non intellexissent Judæi, quorum in manibus sunt libri Prophetarum, nec Christum advenientem cognoverunt, sed et nos, qui advenisse dicimus, et ab illis, ut prædictum fuerat, crucifixum demonstramus, odio prosequuntur.

XXXVII. Atque ut id etiam perspectum habeatis, dicta sunt ex persona Patris per eum, quem diximus, prophetam Esaiam hæc verba : « Cognovit bos possessorem suum et » asinus præsepe domini sui : Israel autem me non cognovit, » et populus me non intellexit. Væ genti peccatrici, populo » pleno peccatis, semini nequam ! Filii iniqui, deseruistis Do» minum [1]. » Et rursum alibi, cum idem propheta similiter ex persona Patris dicit : « Qualem mihi ædificabitis domum ? » dicit Dominus. Cœlum sedes mea, et terra scabellum pe» dum meorum [2]. » Ac rursum alibi : « Neomenias vestras » et sabbata odit anima mea. Et diem magnum jejunii, et » otium non fero : neque si veniatis ut appareatis mihi, ex» audiam vos. Plenæ sunt manus vestræ sanguine. Etiamsi » offeratis similam, incensum, abominatio mihi *est. Adipem* » agnorum et sanguinem hircorum nolo. Quis *enim quæ*» sivit hæc de manibus vestris [3] ? Sed dissolve omnem colli» gaturam iniquitatis ; disrumpe obligationes violentorum » contractuum ; vagum et nudum tege ; frange esurienti » panem tuum [4]. » Qualia ergo sint ea quæ per prophetas docentur ex persona Dei, intelligere potestis.

XXXVIII. Quando autem ex persona Christi loquitur Spiritus propheticus, sic fatur : « Expandi manus meas ad » populum incredulum et contradicentem, ad eos qui ince» dunt in via non bona [5]. » Et iterum : « Dorsum meum dedi

[1] Esai. I, 3. — [2] Esai. LXVI, 1. — [3] Esai. I, 14. — [4] Esai. LVIII, 6. — [5] Esai. LXV, 2.

» ad flagella, et genas meas ad alapas : et faciem meam non » averti a confusione sputorum, et Dominus auxiliator meus » factus est : propterea non sum confusus, sed posui faciem » meam, sicut solidam petram : et novi quoniam non con- » fundar : quia juxta est, qui justificavit me [1]. » Ac rursum cum dicit : « Super vestem meam miserunt sortem, et fo- » derunt pedes meos et manus [2]. Ego autem dormivi et som- » num cepi, et exsurrexi : quia Dominus suscepit me [3]. » Et rursum cum ait : « Loquuti sunt labiis, moverunt caput, » dicentes : Liberet seipsum [4]. » Quæ omnia a Judæis Christo accidisse cognoscere potestis. Nam crucifixo eo distorserunt labia, et capita moverunt, dicentes : « Qui mortuos exci- » tavit, liberet seipsum [5]. »

XXXIX. Quando autem Spiritus propheticus ut futura vaticinans loquitur, sic ait : « Ex Sion enim exibit lex et ver- » bum Domini de Hierusalem. Et judicabit inter gentes, et » arguet populum multum. Et contundent gladios suos in » aratra, et lanceas suas in falces; et non levabit gens con- » tra gentem gladium, et non discent amplius belligerare [6]. » Atque id ita evenisse persuaderi vobis potest. Hierosolymis enim viri numero duodecim in mundum profecti sunt, iique imperiti nec dicendi facultate præditi : sed Dei virtute com- muniti denuntiarunt omni hominum generi missos se esse a Christo, ut omnes verbum Dei docerent : et qui olim cæ- dibus mutuis grassabamur, non modo cum inimicis bellum non gerimus, sed etiam ne mentiamur, aut eos qui inter- rogant decipiamus, libenter Christum confitendo morimur. Facile enim erat, ut quod dicitur,

Jurata lingua, non tamen jurata mens,

nos quoque imitaremur. Sed ridiculum foret, ut obstricti a

[1] Esai. L, 6. — [2] Ps. XXI, 19. — [3] Ps. III, 6. — [4] Ps. XXI, 8. — [5] Matth. XXVII, 39. — [6] Esai. II, 3.

vobis sacramento et conscripti milites fidem vobis datam, qui nihil illis potestis incorrupti præstare, et suæ ipsorum vitæ et parentibus et patriæ et omnibus propinquis præponant; nos autem, qui incorruptæ vitæ cupidi sumus, non perferamus omnia, ut optata ab eo qui potest præstare, consequamur.

XL. Audite quomodo et de iis prædictum sit qui ejus doctrinam prædicaverunt et adventum nuntiarunt, supradicto propheta et rege sic dicente per Spiritum propheticum: « Dies diei eructat verbum et nox nocti annuntiat » sermonem. Non sunt loquelæ neque sermones, quorum » non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit so» nus eorum et in fines orbis terræ verba eorum. *In sole* » posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus pro» cedens de thalamo suo exsultabit ut gigas ad currendam » viam[1]. » His autem alia quoque ejusdem Davidis vaticinia adjicere, præclarum ac hujus loci proprium esse duximus, ex quibus discere potestis, quomodo homines vivere Spiritus propheticus hortetur, quomodo factam ab Herode Judæorum rege ipsisque Judæis cum Pilato, vestro apud eos procuratore, ejusque militibus adversus Christum coitionem narrét; quomodo credituros in illum *qui ex omni* hominum genere vocati sunt, eumque a Deo Filium vocari dicat, ac Patrem polliceri subjecturum se illi omnes inimicos; tum etiam quomodo dæmones, quantum in ipsis est, parentis universorum et domini Dei, ipsiusque Christi potestatem effugere conentur; quomodo denique omnes Deus ad pœnitentiam vocet, antequam dies judicii adveniat. Sunt autem his elata verbis: « Beatus vir qui non abiit in consilio » impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra » pestilentiæ non sedit. Sed in lege Domini voluntas ejus: » et in lege ejus meditabitur die, ac nocte. Et erit tanquam

[1] Psal. xviii, 2.

» lignum quod plantatum est secus decursus aquarum : » quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium ejus » non defluet : et omnia quæcumque faciet, prosperabun- » tur. Non sic impii, non sic : sed tanquam pulvis, quem » projicit ventus a facie terræ. Ideo non resurgent impii in » judicio, neque peccatores in consilio justorum. Quoniam » novit Dominus viam justorum; et iter impiorum peribit. » Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? » Astiterunt reges terræ : et principes convenerunt in unum » adversus Dominum, et adversus Christum ejus, dicentes : » Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis ju- » gum ipsorum. Qui habitat in cœlis, irridebit eos : et Do- » minus subsannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua : » et in furore suo conturbabit eos. Ego autem constitutus » sum rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus, prædi- » cans præceptum Domini. Dominus dixit ad me : Filius » meus es tu : ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi » gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam termi- » nos terræ. Reges eos in virga ferrea : tanquam vasa figuli » confringes eos. Et nunc reges intelligite : erudimini omnes » qui judicatis terram. Servite Domino in timore : et exsul- » tate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, nequando » irascatur Dominus, et pereatis de via justa. Cum exarse- » rit in brevi ira ejus : beati omnes qui confidunt in eo[1]. »

XLI. Ac rursus in alia prophetia per eumdem Davidem ostendens Spiritus propheticus Christum post crucis supplicium regnaturum esse, sic fatur : « Cantate Domino omnis » terra, et annuntiate de die in diem salutare ejus. Quo- » niam magnus Dominus et laudabilis nimis : terribilis su- » per omnes deos. Quoniam omnes dii gentium simulacra » dæmoniorum sunt; Deus autem cœlos fecit. Gloria et laus » in conspectu ejus, et fortitudo et gloriatio in loco sanctifi-

[1] Passim in Psal.

» cationis ejus. Date Domino patri sæculorum gloriam; ac-
» cipite gratiam, et ingredimini in conspectum ejus, et ado-
» rate in atriis sanctis ejus. Metuat a facie ejus omnis terra,
» et prosperetur recte agendo, et non commoveatur. Læ-
» tentur in gentibus : Dominus regnavit a ligno[1]. »

XLII. Quandonam autem futura propheticus Spiritus, ut jam facta pronuntiet, quemadmodum vel in iis quæ attulimus, animadvertere est; id quoque, ne quam legentibus excusationem præbeat, explanabimus. Quæ omnino cognita sunt futura, ea ut jam facta prædicit. Cur autem ita res accipienda sit, animum ad ea quæ dicentur advertite. David annis mille et quingentis antequam Christus homo factus crucifigeretur, supradicta pronuntiavit; nec quisquam ante eum crucifixus lætitiam gentibus attulit, sed neque etiam post eum. Noster autem Jesus Christus crucifixus et mortuus resurrexit et regnavit in cœlum reversus; atque ex iis quæ ejus nomine per Apostolos in omnibus gentibus promulgata sunt, lætitia est eorum qui annuntiatam ab eo vitam incorruptam exspectant.

XLIII. Ne quis autem ex iis quæ exposuimus, id a nobis dici colligat, fati necessitate omnia fieri, ex eo quod præcognita jam dixerimus; id quoque dissolvimus. *Edocti* a prophetis pœnas et supplicia ac bonas remunerationes pro meritis cujusque actionum irrogari, verum id esse confirmamus. Nam si res ita se non habet, ac fati necessitate fiunt omnia; nullus jam libero arbitrio locus. Si enim fato decretum est hunc esse bonum, istum autem malum; neque hic laudandus, neque iste vituperandus. Ac rursus nisi humanum genus facultatem habeat libera animi inductione et fugiendi turpia et honesta sectandi, extra noxiam est, quidquid egerit. Sed libera animi inductione hominem vel bene agere vel male, sic demonstramus. Hominem eum-

[1] Psal. xcv, 1.

dem in contraria transcurrere videmus. Quod si fato decretum esset, eum vel bonum esse vel malum; non sane contrariorum capax esset, nec tam sæpe mutaretur. Sed ne alii quidem boni essent, alii mali : vel enim fatum malorum causam esse, ac contraria sibi ipsi facere statueremus; vel verum nobis videretur id, de quo jam diximus, nihil esse virtutem aut vitium, sed sola opinione bona aut mala dijudicari, quæ profecto, ut vera ratio demonstrat, maxima impietas et injustitia est. Sed fatum ineluctabile illud esse dicimus, his qui bona eligunt, merita præmia, his vero qui contraria, debitam mercedem. Neque enim ut cætera, puta arbores et quadrupedes, quæ nihil judicio et voluntate facere possunt, ita Deus hominem fecit. Non enim remuneratione aut laude dignus foret, si ex seipsò bonum non eligeret, verum ita natus esset; nec merito, si malus esset, puniretur, ut qui non ex sese talis foret, sed aliud ab eo quod natus fuisset, esse non posset.

XLIV. *Hæc* edocti sumus a sancto Spiritu prophetico, qui per Mosem testatur ei qui primus creatus est, homini hæc Deum verba dixisse : « Ecce in conspectu tuo bonum » et malum : elige bonum [1]; » et rursus per Esaiam alium prophetam hæc tanquam ex persona parentis universorum et domini Dei in eamdem sententiam dicta esse : « Lavamini, mundi estote, auferte mala ex animabus vestris, » discite facere bonum; judicate pupillo, et justificate viduam; et venite et disceptemus, dicit Dominus. Et si fuerint peccata vestra quasi phœniceum, sicut lanam dealbabo : et si fuerint ut coccinum, sicut nivem dealbabo. » Et si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis : » si vero non audieritis me, gladius depascet vos. Os enim » Domini loquutum est hæc [2]. » Quod autem dictum est, *Gladius depascet vos*, non hanc vim et sententiam habet,

[1] Deut. XXX, 15 et 19. — [2] Esai. I, 16.

ut gladio necandi sint qui non paruerint; sed gladius Dei ignis est, cujus esca fiunt qui mala patrare in animum inducunt. Hinc ait : « Gladius depascet vos : os enim Domini » loquutum est. » Quod si de secante et confestim dimittente gladio loqueretur, non diceret, *depascet*. Quapropter quod ait Plato : *Culpa eligentis, Deus extra culpam*, a Mose propheta mutuatus dixit. Antiquior enim Moses omnibus etiam Græcorum scriptoribus. Atque omnia quæcumque de immortalitate animæ, vel pœnis post mortem, vel cœlestium rerum contemplatione vel similibus sententiis tum philosophi, tum poetæ dixerunt, sumpto ex Prophetis argumento et intelligere res illas potuerunt et exposuerunt. Hinc omnibus videntur inesse veritatis semina. Sed minus accurate ab illis cognitam fuisse ex eo liquet, quod contraria sibimetipsis dicant. Quod ergo res futuras dicimus prædictas fuisse, non eo dicimus, quod fati necessitate fiant; sed cum Deus futuras omnium hominum actiones prævideat, cumque apud eum singulos homines pro meritis actionum remuneraturum, statutum sit ut a se etiam digna actionibus præmia rependantur, per Spiritum propheticum prædicit, semper ad animi attentionem ac recordationem vocans hominum genus, seque eorum curam gerere ac illis providere demonstrans. Malorum autem dæmonum operatione sancita mors est in eos qui legunt Hystapis aut Sibyllæ aut Prophetarum libros, tum ut metu homines deterreant, quominus his legendis bonarum rerum cognitionem assequantur, tum ut eos sibi servos retineant : quod quidem in perpetuum efficere non potuerunt. Impavide enim non solum illos legimus, sed vobis etiam, ut videtis, inspiciendos offerimus, cum futurum sciamus ut grati omnibus videantur. Atque etiamsi paucis persuadeamus, maxima tamen lucra faciemus; nam ut boni agricolæ mercedem a Domino percipiemus.

XLV. Quod autem parens universorum Deus Christum in cœlum evecturus erat, cum eum ex mortuis excitasset, ibique retenturus donec percutiat inimicos ei dæmones, ac numerus præcognitorum ab eo bonorum et virtute præditorum expleatur, propter quos etiam conflagrationem nondum induxit; audite prophetæ Davidis verba, quæ sunt ejusmodi : « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris » meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuo» rum. Virgam virtutis emittet tibi Dominus ex Hierusa» lem : et dominare in medio inimicorum tuorum. Tecum » principatus in die potentiæ tuæ in splendoribus sancto» rum tuorum. Ex utero ante luciferum genui te[1]. » Quod igitur dictum est : « Virgam virtutis emittet tibi ex Hieru» salem, » præsignificatio erat potentis illius doctrinæ, quam ejus Apostoli Hierosolymis profecti ubique prædicaverunt. Et quamvis mors decreta et constituta sit docentibus aut omnino confitentibus nomen Christi, nos ubique et amplectimur et docemus. Quod si vos quoque hæc animo inimico legetis, nihil amplius, ut jam diximus[2], potestis quam occidere. Quod sane nullum nobis damnum affert, vobis autem ac omnibus injusto odio indulgentibus, nec pœnitentiam agentibus, æternum per ignem supplicium conficit.

XLVI. Ne qui autem a ratione aberrantes, ad ea quæ docuimus detorquenda, Christum dicant ante annos centum et quinquaginta natum a nobis dici sub Cyrenio, ac post illud tempus ea docuisse quæ ipsum docuisse dicimus, sub Pontio Pilato; indeque consequi objiciant, ut insontes sint homines omnes qui ante illud tempus fuere; dubitationis solutionem occupabimus. Christum primogenitum Dei esse ac rationem illam cujus omne hominum genus particeps est, didicimus, et supra declaravimus. Et qui cum ratione vixerunt, christiani sunt, etiamsi athei

[1] Psal. cix, 1. — [2] Supra, n. ii et xii.

existimati sint; quales apud Græcos fuere Socrates et Heraclitus [1], apud barbaros autem Abraham, Ananias, Azarias, Misael et Elias, ac multi alii quorum actionibus aut nominibus recensendis, quia longum id esse scimus, nunc supersedemus. Similiter qui olim absque ratione vixere, improbi et Christo inimici fuere et eorum qui cum ratione vivebant, homicidæ. Qui vero cum ratione vixerunt et vivunt, christiani sunt atque impavidi et intrepidi. Quam autem ob causam per virtutem Verbi secundum patris universorum et domini Dei voluntatem ex virgine genitus sit et Jesus cognominatus, ac crucifixus et mortuus resurrexerit et in cœlum redierit, facile ex his quæ tot verbis disseruimus, vir prudens intelligat. Nunc autem cum minus necessaria sit hujus rei demonstratio, ad ea quæ magis urgent, demonstranda progrediamur.

XLVII. Quod ergo illud etiam futurum erat, ut Judæorum terra vastaretur; audite quid dicat propheticus Spiritus. Sunt autem verba velut ex persona populorum id quod acciderat admirantium, ad hunc modum expressa : « Deserta facta est Sion, tanquam desolata facta est Hierusalem : in maledictionem domus, sanctuarium nostrum : et gloria, cui benedixerunt patres nostri, facta est igni combusta, et omnia gloriosa ejus conciderunt. Et super omnibus his sustinuisti, et tacuisti et humiliasti nos valde [2]. » Porro Hierusalem in solitudinem redactam fuisse, sicut prædictum fuerat, persuasum vobis est. Illam autem in solitudinem redactum iri, nec cuiquam illorum permissum iri eam incolere, sic per Esaiam prophetam dictum est : « Terra eorum deserta : in conspectu eorum inimici eorum ipsam comedunt : et non erit ex illis habitans in ea [3]. »

[1] Hæc assertio non de salute Socratis intelligi debet, ut æstimarunt recentiores quidam; nam solum opinatur sanctus Martyr christianum esse quidquid virtutis in eo eluxit. — [2] Esai. LXIV, 10. — [3] Esai. I, 7.

Cavete autem vos ne quis Judæus in ea sit, ac mortem ingredienti Judæo, si deprehendatur, constitutam esse, præclare nostis.

XLVIII. Atque illud etiam prædictum esse, Christum nostrum morbos omnes curaturum et mortuos excitaturum, ex his verbis audite : « In adventu ejus saliet claudus sicut » cervus, et diserta erit lingua mutorum : cæci videbunt, et le» prosi mundabuntur, et mortui resurgent et ambulabunt[1]. » Quæ quidem ab eo facta esse ex confectis sub Pontio Pilato Actis discere potestis. Quo etiam modo Spiritus propheticus eum cum hominibus in eum sperantibus occisum iri prædixerit, audite Esaiæ verba, quæ sic habent : « Ecce quo» modo periit justus, et nemo percipit corde : et viri justi » tolluntur, et nemo considerat. A facie injustitiæ sublatus » est justus, et erit in pace sepultura ejus, sublatus est e » medio[2]. »

XLIX. Ac rursum quomodo futurum Esaias dixerit, ut eum populi gentium adorarent, qui minime exspectabant, Judæi vero, qui semper exspectabant, advenientem non agnoscerent ? Hæc autem velut ex ipsius Christi persona dicta sunt in hunc modum : « Manifestus factus sum non » interrogantibus me : inventus sum ab his qui me non » quærebant. Dixi, Adsum, ad gentes quæ non vocaverunt » nomen meum. Expandi manus meas ad populum incre» dulum et contradicentem, qui ambulabant in via non bona, » sed post peccata sua : populus provocans ad iracundiam » coram me[3]. » Judæi enim, qui prophetias in manibus habebant, ac Christum semper exspectaverant venturum, eum non agnoverunt, ac non solum non agnoverunt, sed etiam occiderunt. Qui autem ex gentibus, cum nihil unquam de Christo audivissent, quoad de ejus rebus Apostoli *Hierosolymis* profecti nuntiarent, et prophetias illis traderent,

[1] Esai. xxxv, 6. — [2] Esai. lvii, 1. — [3] Esai. lxv, 1.

prophetam. Sic autem se habent : « Ecce tanquam Filius » hominis venit in nubibus cœli, et Angeli ejus cum eo[1]. »

LII. Quoniam igitur quæ evenerunt jam omnia ostendimus prædicta, antequam evenirent, per Prophetas fuisse; necesse est et ea quæ similiter prædicta sunt, ac aliquando evenient, omnino eventura credere. Quemadmodum enim ea quæ jam evenerunt, prædicta et ignorata evenerunt; ita et quæ supersunt, quamvis ignorentur ac non credantur, evenient. Duos enim illius adventus prædixerunt Prophetæ : unum quidem, qui jam exhibitus est, tanquam despecti et passibilis hominis; alterum autem, quando cum gloria e cœlis una cum angelico ipsius exercitu adventurus prædicatur, quando et corpora exsuscitabit omnium, quicumque extiterunt, hominum; ac dignorum quidem corpora induet incorruptione, iniquorum autem in perpetuo sensu cum pravis dæmonibus in ignem æternum mittet. Quomodo autem hæc quoque prædicta sint, ostendemus. Sic enim Ezechiel propheta : « Coagmentabitur junctura ad juncturam, » et os ad os; et carnes denuo succrescent[2]. Et genu omne » curvabitur Domino, et omnis lingua confitebitur ei[3]. » Quali autem in sensu et cruciatu futuri sint iniqui, audite quæ similiter ea de re dicta sunt. Sic autem se habent : « Vermis eorum non sopietur, et ignis eorum non exstin- » guetur[4] : » et tunc eos pœnitebit, cum nihil promovebunt. Quænam autem dicturi sint populi Judæorum et facturi, cum eum videbunt cum gloria advenientem, sic Zacharias propheta prædixit : « Præcipiam quatuor ventis, » ut congregent dispersos liberos : præcipiam Boreæ, ut fe- » rat, et Austro ut ne impingat[5]. Et tum in Hierusalem erit » planctus ingens; non planctus oris aut labiorum, sed planc- » tus cordis : et non scindent vestimenta sua, sed mentes[6] :

[1] Dan. VII, 13. — [2] Ezech. XXXVII, 7, 8. — [3] Esai. XLV, 24. — [4] Esai. LXVI, 24. — [5] Zach. XI, 6. — [6] Zach. XII, 11.

» et plangent tribus ad tribum, et tunc videbunt in quem » pupugerunt, ac dicent : Cur, Domine, aberrare nos fe» cisti a via tua[1] ? Gloria, cui benedixerunt patres nostri, » conversa nobis est in ignominiam[2]. »

LIII. Multa igitur et alia habentes Prophetarum testimonia, quæ proferre possemus, finem facimus, cùm satis ista esse ad persuasionem arbitremur his qui aures ad audiendum et intelligendum idoneas habent, eosque perspicere posse existimemus, nequaquam nos, fabularum more ac modo quæ de opinatis Jovis filiis feruntur, dicere quidem, sed demonstrare non posse. Quomodo enim homini crucifixo crederemus eum esse primogenitum ingenito Deo, ac judicium de universo genere humano facturum, nisi testimonia de eo, antequam homo factus veniret, prædicata inveniremus, eaque eventu confirmata videremus : Judæorum terræ vastitatem, ac eos qui ex omni hominum gente illius Apostolorum doctrinæ credidere, et vetera, in quibus opinionis errore versabantur, instituta aversati sunt, nimirum nosmetipsos intuentes, ac plures ex gentibus, et veriores, quam ex Judæis et Samaritanis, Christianos esse perspicientes? Cætera enim omnia hominum genera a prophetico Spiritu gentes vocantur : Judaicæ autem et Samaritanæ tribus, Israel et domus Jacob. Quomodo autem prædictum sit plures ex gentibus credituros, quam ex Judæis et Samaritanis, vaticinium afferemus, quod sic habet : « Lætare sterilis quæ non paris; erumpe et clama quæ non » parturis : quoniam multo plures sunt filii desertæ, quam » ejus quæ habet virum[3]. » Desertæ namque erant et veri Dei ignaræ gentes omnes manuum opera colentes. Judæi autem et Samaritani, qui Dei verbum sibi per Prophetas traditum habebant, et Christum semper exspectaverant, advenientem et præsentem non agnoverunt, paucis excep-

[1] Zach. XII, 12, 10. — [2] Esai. LXIII, 17, et LXIV, 11. — [3] Esai. I, 9.

tis quos salvos fore Spiritus propheticus per Esaiam prædixit. Loquutus autem est velut ex eorum persona : « Nisi » Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma et Go» morra facti essemus[1]. » Sodoma enim et Gomorra memorantur a Mose civitates quædam hominum impiorum fuisse, quas Deus igne et sulphure crematas evertit, nemine in eis servato, præter inquilinum quemdam nomine Loth, quicum filiæ incolumes evaserunt. Hanc regionem omnem desertam et exustam esse et sterilem manere, possunt cernere qui voluerint. Quemadmodum autem et veriores qui ex gentibus, et fideliores præcogniti fuerint, Esaiæ prophetæ dicta referemus, quæ sic habent : « Israel incircumcisus » corde, gentes autem præputio[2]. » Tot ergo et tanta ante oculos posita persuasionem et fidem iis qui verum amplectuntur, nec opiniones sectantur, nec cupiditatibus serviunt, ratione nixam afferre possunt.

LIV. Qui vero fabulosa poetarum commenta tradunt, nullam prorsus demonstrationem ediscentibus adolescentibus proferunt; sed hæc decipiendi et abducendi humani generis causa, malorum dæmonum operatione dicta demonstramus. Cum enim prædicari a Prophetis audissent venturum esse Christum, ac impios homines igne excruciatum iri; perfecerunt ut multi dicerentur geniti Jove filii; rati efficere se posse, ut quæ ad Christum spectant, ea homines prodigiosas fabulas, et iis quæ a poetis dicta sunt, similia existimarent. Atque hæc vulgata sunt et apud Græcos et apud gentes omnes, ubi futurum esse ut Christo magis crederetur, Prophetas prænuntiantes audiebant. Sed eos, cum Prophetarum dicta audirent, parum accurate sententiam calluisse, ac more errantium res Christi imitatos esse demonstrabimus. Moses igitur propheta, ut jam diximus, antiquior fuit omnibus scriptoribus, sicque, ut demonstra-

[1] Esai. I, 9. — [2] Jerem. IX, 26.

vimus, vaticinatus est : « Non deficiet princeps ex Juda, et » dux de femore ejus, donec veniat cui repositum est; et ipse » erit exspectatio gentium, ligans ad vitem pullum suum, » lavans stolam suam in sanguine uvæ[1]. » Hæc Prophetæ verba cum audissent dæmones, Bacchum dixerunt Jovis filium esse, vitisque inventorem esse tradiderunt, ac vinum in ejus mysteriis exhibent, eumque dilaniatum in cœlum ascendisse docuerunt. Et quia in Mosis prophetia nominatim expressum non erat, utrum is qui venturus erat Filius Dei sit, ac utrum pullo insidens in terra mansurus an cœlum ascensurus esset; deinde etiam quia pulli nomen, et asini pullum et equi designare poterat, cum nescirent utrum asini an equi pullum agens, præsentiam suam is qui prænuntiabatur, esset significaturus, atque utrum Dei, ut diximus, an hominis sit filius; ipsum quoque Bellerophontem equo Pegaso invectum, hominem ex hominibus natum, in cœlum ascendisse dixerunt. Cum autem illud audissent, quod *ab alio* propheta Esaia dictum est, eum ex virgine nasciturum, et per seipsum in cœlum ascensurum, perfecerunt ut Perseus diceretur. Sic etiam ubi cognoverunt id quod in prophetiis supra allatis prædicitur : « Fortis ut gigas » ad currendam viam[2], » fortem Herculem fuisse, ac totum terrarum orbem peragrasse dixerunt. Rursus postquam prædictum esse didicerunt, morbos omnes curaturum et mortuos excitaturum, Æsculapium induxerunt.

LV. Nusquam autem, nec in ullo eorum qui dicuntur Jovis filiorum, crucis supplicium imitati sunt. Neque enim illis in mentem venerat, eo quod non sine symbolis, ut demonstravimus, dicta fuerint, quæcumque dicta ea de re fuerant : quæ quidem, ut supra dixit Propheta, maximum est ejus potestatis et principatus signum, quemadmodum ex his etiam quæ sub aspectum cadunt, ostenditur. Intue-

[1] Gen. XLIX, 10. — [2] Psal. XVIII, 1.

mini enim animo quæcumque in mundo versantur, an sine hac figura administrari, et commercio inter se conjungi possint. Mare non scinditur, nisi trophæum illud, quod dicitur velum, integrum in navi maneat. Terra vero absque eo non aratur : fossores opus non faciunt, nec manuarii pariter artifices, nisi adhibitis hanc figuram præferentibus instrumentis. Humana autem forma non alia re ab animantibus rationis expertibus differt, nisi quod erecta est, et extensionem manuum habet, et in vultu nasum a fronte prominentem gerit, qui et animali ad respirationem usui est, nec aliud quam crucis formam ostendit. Propheta quoque sic loquutus est : « Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus[1]. » Hujus etiam figuræ vim declarant vexillorum apud vos et trophæorum signa, quibuscum semper in publicum proceditis, ac in eis vestri imperii et potestatis insignia constituitis, licet id non animadvertentes faciatis. Quin et morientium apud vos imperatorum imagines in hanc formam consecratis, eosque litteris inscriptis appellatis deos. Cum vos igitur et verbis et figuræ omnibus conspicuæ consideratione cohortati pro viribus simus, nos deinceps extra culpam futuros novimus, etiamsi increduli maneatis. Quod enim in nobis situm erat, id *perfectum et* absolutum est.

LVI. Satis autem pravis dæmonibus non fuit, antequam Christus apparuisset, filios illos inducere qui ex Jove geniti dicuntur; sed postquam ille prodiit, atque inter homines versatus est, cum et quomodo a Prophetis prænuntiatus esset, didicissent, ac illum in omni hominum genere credi et exspectari cognoscerent, rursus, ut jam demonstravimus, alios immiserunt; Simonem et Menandrum Samaritanos, qui magicis miraculis editis multos deceperunt, atque etiamnum deceptos tenent. Nam cum apud vos in regia

[1] Thren. IV, 20.

urbe Roma, ut jam dixi, imperante Claudio Cæsare, Simon versaretur, et sacrum senatum et populum Romanum ita admiratione perculsit, ut deus existimaretur, et statua velut alii, qui a vobis coluntur, dii donaretur. Quapropter oramus, ut et sacrum senatum et populum Romanum una vobiscum hujus nostri supplicis libelli cognitores adsciscatis, ut si quis ejus doctrina implicatus sit, veritate cognita, errorem possit effugere: et statuam, si ita vobis placet, dejicite.

LVII. Neque enim nullam esse ad impiorum supplicium conflagrationem improbi dæmones persuadere possunt, quemadmodum nec perficere potuerunt ut Christi adventus lateret; verum id unum moliri possunt, ut qui præter rationem vivunt et flagitiose in pravis institutis nutriti sunt, et opinionum amatores sunt, occidant nos et oderint: quos non modo non odimus, sed etiam, ut manifestum est, misericordia commoti persuadere illis cupimus, ut immutentur et convertantur. Neque enim mortem timemus, cum omnino moriendum esse constet, nec quidquam novi, sed eadem in hac rerum administratione occurrant, quarum satietas si vel annum unum perfruentes capit, debent ii ut æternam et perpessionis expertem, ac nullius rei indigentem vitam consequantur, animum ad instituta nostra adjungere. Si vero nihil reliquum esse post mortem credunt, atque in statum sensus expertem morientes cadere pronuntiant; bene de nobis merentur, quod nos hujus vitæ perpessionibus ac necessariis muneribus liberent; seipsos autem improbos et inhumanos et opinionum amatores præbent. Neque enim occidunt ut liberent, sed ut vita et voluptate spolient.

LVIII. Marcionem etiam Ponticum, ut diximus, pravi dæmones immiserunt; qui creatorem cœlestium ac terrestrium omnium Deum et prænuntiatum a Prophetis Chris-

tum ejus filium etiamnum negare docet, alium autem quemdam præter creatorem universorum Deum prædicat, ac similiter alium filium. Huic multi credentes, ut soli verum scienti, nos irrident, nullam eorum quæ dicunt demonstrationem habentes; sed stulte velut agni a lupo rapti, in prædam impiis opinionibus et dæmonibus cedunt. Nihil enim aliud contendunt et pugnant ii qui dicuntur dæmones, nisi ut homines a creatore Deo et primogenito ejus Christo abducant. Ac eos quidem qui se humo tollere nequeunt, terrenis et manufactis rebus affixerunt et affigunt; qui autem se ad contemplationem rerum cœlestium erigunt, eos supplantando, nisi sano sint judicio et puram et vacuam animi perturbationibus vitam degant, in impietatem impingunt.

LIX. Atque ut a doctoribus nostris, id est, a doctrina per Prophetas vulgata, acceptum esse intelligatis quod dixit Plato, Deum, cum materiam informem vertisset, mundum fecisse; audite quid totidem verbis dixerit Moses, primus Prophetarum et scriptoribus omnibus vetustior, ut supra demonstravimus, per quem Spiritus propheticus quomodo mundum Deus initio et ex quibus condiderit, *declarat his* verbis : « In principio fecit Deus cœlum et terram. Terra » autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ super » abyssum : et Spiritus Dei ferebatur super aquam. Et dixit » Deus : Fiat lux : et facta est lux[1]. » Verbo igitur Dei ex subjectis et a Mose designatis rebus mundum universum esse conditum et Plato, et qui eadem ac ille dicunt, et nos ipsi didicimus, vobisque licet idem perspicere. Atque erebum etiam, ut poetæ vocant, prius a Mose dictum novimus[2].

LX. Et quod apud Platonem in Timæo physicis rationibus de Filio Dei investigatur, cum ait : « Et decussavit

[1] Gen. I, I. — [2] Deut. XXXII, 22.

» eum in universo, » pariter a Mose mutuatus dixit. Scriptum enim apud Mosem legimus, quo tempore Israelitæ ex Ægypto profecti in solitudine versabantur, occurrisse illis venenatas feras, viperas, aspides et serpentum omne genus, quod populum necabat; tumque Mosem, Deo adspirante et præcipiendo impellente, æs accepisse, et crucis effigiem fecisse, eaque sancto tabernaculo imposita dixisse populo : « Si inspexeritis hoc signum et credideritis, salvi » in eo eritis [1]. » Quo facto serpentes exstinctos esse scribit, ac populum hoc modo exitium tradit effugisse. His lectis Plato, nec satis accurate perspectis, cum figuram crucis esse non attenderet, sed decussationem esse crederet; alteram illam, post principem Deum, Virtutem in universo decussatam esse dixit. Quod autem ab eo tertium dicitur, inde ortum quod Spiritum Dei apud Mosem, ut supra diximus, super aquas ferri legerat. Secundum enim locum Dei Verbo, quod in universo decussatum esse dixit, tertium vero ei, *qui super aquas ferri dictus est*, Spiritui tribuit his verbis : *Tertia autem circa tertium*. Quomodo autem futuram conflagrationem Spiritus sanctus per Mosem prædixerit, audite. Sic enim ait : « Descendet ignis semper » vivens, et devorabit usque ad imam abyssum [2]. » Non ergo eadem nos ac alii opinamur; sed nostra omnes imitati edisserunt. Hæc sane apud nos audire est et discere ex iis qui ne figuras quidem litterarum norunt, imperitis hominibus et lingua barbaris, sed mente sapientibus et fidelibus, quorum etiam nonnulli debiles et oculis capti; ut facile pateat non humana sapientia hæc fieri, sed Dei virtute dici.

LXI. Quomodo autem nos Deo consecraverimus per Christum renovati, id quoque exponemus; ne quid improbe, si hoc prætermittamus, in enarrandis rebus agere videa-

[1] Num. XXI, 8. — [2] Deut. XXXII, 22.

mur. Quicumque persuasum habuerint et crediderint vera esse quæ a nobis docentur et dicuntur, seque ita vivere posse promiserint, ii precari et jejunantes priorum peccatorum veniam a Deo petere docentur, nobis una precantibus et jejunantibus. Deinde eo ducuntur a nobis ubi aqua est, et eodem regenerationis modo regenerantur, quo et ipsi sumus regenerati. Nam in nomine parentis universorum ac domini Dei ac salvatori snostri Jesu Christi et Spiritus sancti lavacrum in aqua tunc suscipiunt. Dixit enim Christus : « Nisi regenerati fueritis, non intrabitis in *regnum* » cœlorum[1]. » Fieri autem non posse ut semel nati in uteros matrum ingrediantur, omnibus perspicuum est. Dictum etiam est ab Esaia propheta, ut supra scripsimus, quonam modo peccata effugiant qui peccaverunt et pœnitentiam agunt. Sic autem loquutus est : « Lavamini, mundi estote, » auferte mala ex animabus vestris, discite facere bonum, » judicate pupillo. Justificate viduam : et venite et disceptemus, dicit Dominus. Et si fuerint peccata vestra *quasi* » phœniceum, tanquam lanam dealbabo : et si fuerint ut » coccinum, sicut nivem dealbabo. Si autem non audieritis » me, gladius devorabit vos. Os enim Domini *loquutum est* » hæc[2]. » Hanc autem hujus rei rationem ab *Apostolis* accepimus. Quando quidem primam nostram generationem ignorantes, necessitate quadam ex humido semine per mutuam parentum mixtionem geniti sumus, atque in pravis moribus et nefariis institutis educati ; ut necessitatis et ignorationis filii non maneamus, sed electionis et scientiæ, et remissionem peccatorum quæ prius commisimus, consequamur in aqua ; super eo qui regenerari voluerit, et peccatorum pœnitentiam egerit, parentis omnium et domini Dei nomen pronuntiatur, atque hoc ipsum tantummodo appellamus, cum eum baptizandum ad lavacrum deduci-

[1] Joan. III, 5. — [2] Esai. I, 17.

mus. Nemo est enim qui nomen dicere non enarrabili Deo possit; aut si quis dicere audeat nomen illi inesse, is perdite insanit. Vocatur autem lavacrum illud illuminatio, eo quod mente illuminentur qui hæc discunt. Sed et in nomine Jesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi, et in nomine Spiritus sancti, qui per Prophetas omnia ad Jesum spectantia prænuntiavit, is qui illuminatur, abluitur.

LXII. Atque hoc lavacrum dæmones cum per Prophetam prædicatum audissent, perfecerunt, ut qui templa eorum ingrediuntur, iisque supplicaturi sunt et libamina ac nidores delaturi, seipsos aquæ aspersione lustrarent: atque illud etiam perficiunt, ut proficiscentes penitus lavent, antequam templa, ubi iidem dæmones collocati sunt, deveniant. Nam et quod sacerdotes jubent, ut calceos solvant qui templa ingrediuntur et iisdem rebus dæmones colunt, id dæmones ex his quæ supradicto prophetæ Moysi evenerunt, cognitum imitati sunt. Quo enim tempore Moses in Ægyptum descendere et populum Israeliticum ibi commorantem educere jussus est; pascentem illum in Arabia oves avunculi materni Christus noster in specie ignis e rubo alloquutus est, ac dixit : « Solve calceamenta tua, et accedens audi[1]. » Tum ille calceamentis depositis accedens audivit descensurum se in Ægyptum, ibique commoranti populo Israelitico ducem abeunti futurum: cumque a Christo, qui in specie ignis loquutus cum ipso fuerat, magnam virtutem accepisset, descendit et populum eduxit, magnis et admirandis rebus editis, quas si vultis discere, ex ejus libris accurate discetis.

LXIII. Judæi autem omnes etiamnum docent carentem nomine Deum cum Mose colloquutum. Unde illos Spiritus sanctus per supradictum prophetam Esaiam increpans sic loquitur, ut antea scripsimus : « Cognovit bos possessorem

[1] Exod. III, 5.

» suum, et asinus præsepe Domini sui : Israel autem me » non cognovit et populus me non intellexit[1]. » Ac Jesus Christus cum eos similiter argueret, quod nec quid Pater sit, nec quid Filius, novissent, sic et ipse dixit : « Nemo co» gnovit Patrem nisi Filius, neque Filium nisi Pater et qui» bus revelaverit Filius[2]. » Verbum autem Dei est ejus Filius, ut diximus. Vocatur etiam Angelus et Apostolus; ipse enim nuntiat quæcumque cognosci decet, et mittitur ut indicet quæcumque nuntiantur : quemadmodum et ipse Dominus noster ait : « Qui me audit, eum qui me misit » audit. » Atque id quidem patebit ex Mosis scriptis, in quibus hæc dicta legimus : « Et loquutus est Mosi Angelus Dei » in flamma ignis e rubo, et dixit : Ego sum existens ille, » Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus patrum » tuorum. Descende in Ægyptum et educ populum meum[3]. » Quæ vero sequuntur, potestis ex ipsis libris, si vultis, cognoscere; neque enim hic omnia perscribere possumus. Hæc autem eo diximus, quo Filium Dei et Apostolum esse Jesum Christum demonstraremus : qui quidem cum antea Verbum esset, ac modo in specie ignis, modo in imagine incorporea visus esset, nunc voluntate Patris pro humano genere homo factus, ea etiam perpeti sustinuit quæcumque in eum insani Judæi, dæmonum impulsu, moliti sunt. Qui cum nominatim in Mosis commentariis expressum habeant : « Et loquutus est Angelus Dei cum Mose in igne flammæ » e rubo, et dixit : Ego sum existens ille, Deus Abraham, » Deus Isaac, et Deus Jacob, » parentem et conditorem universorum hæc dixisse asserunt. Hinc et Spiritus propheticus eos increpans dixit : « Israel autem me non cognovit, » et populus me non intellexit[4]. » Et rursus Jesus, ut ostendimus, cum apud eos esset : « Nemo cognovit, inquit, » Patrem nisi Filius, neque Filium nisi Pater et quibus Fi-

[1] Esai. I, 3. — [2] Matth. XI, 27. — [3] Exod. III, 2. — [4] Esai. I, 3.

» lius revelaverit[1]. » Patrem igitur universorum Judæi semper cum Mose colloquutum existimantes, cum is qui loquutus est Filius Dei esset, qui et Angelus et Apostolus vocatus est, merito et a prophetico Spiritu et ab ipso Christo arguuntur, quod nec Patrem nec Filium noverint. Nam qui Filium Patrem esse dicunt, hi arguuntur quod nec Patrem sciant, nec Filium esse universorum Patri cognoscant. Qui cum Verbum sit primogenitum Dei, Deus etiam est. Ac prius quidem Mosi et cæteris Prophetis in specie ignis et imagine incorporea visus est : nunc autem vestri imperii temporibus ex virgine, ut jam diximus, homo factus secundum Patris voluntatem, pro eorum salute qui illi credunt, et pro nihilo haberi et pati sustinuit, ut mortuus ac resurgens mortem vinceret. Quod autem ex rubo dictum est Mosi, « Ego sum existens ille, Deus Abraham, et Deus Isaac, » et Deus Jacob, et Deus patrum tuorum[2], » argumento est eos etiam post mortem manere, et ipsius Christi homines esse. Hi enim primi omnium in Dei inquisitione versati sunt, Abraham quidem pater Isaaci, Isaac autem Jacobi, quemadmodum et Moses perscripsit.

LXIV. Atque ut illius, quæ dicitur, Puellæ simulacrum ad fontes aquarum erigeretur, id quoque dæmonum molitione, qui illam Jovis filiam esse dixerunt, ac verba Mosis imitati sunt, contigisse, ex his quæ jam diximus, perspicere potestis. Moses enim, ut supra scripsimus, sic ait : « In principio creavit Deus cœlum et terram. Terra autem » erat inaspectabilis et incondita, et Spiritus Dei ferebatur » super aquas[3]. » Ad imitationem ergo illius Dei Spiritus, qui super aquas ferri dictus est, Proserpinam Jovis filiam vocarunt. Ac simili nequitia Minervam ex Jove genitam dixerunt, idque non ex concubitu; sed cum mundum a Deo, postquam cogitavit et consideravit, conditum esse per Ver-

[1] Matth. xi, 27. — [2] Exod. iii, 2. — [3] Gen. i, 1.

bum cognovissent, primam veluti notionem Minervam dixerunt. Quod quidem perridiculum nobis videtur, muliebrem formam ad imaginem notionis exprimendam inducere. Similiter et reliquos, qui dicuntur, Jovis filios ipsæ actiones redarguunt.

LXV. Nos autem, postquam eum qui fidem suam et assensum doctrinæ nostræ testatus est, sic abluimus, ad eos qui dicuntur fratres deducimus, ubi illi congregati sunt, communes preces et pro nobismetipsis, et pro eo qui illuminatus est, et pro aliis ubique omnibus intento animo facturi, ut veritatis cognitiónem adepti, hac etiam gratia dignemur, ut rectam operibus vitam agentes et præceptorum custodes inveniamur, quo salutem æternam assequamur. Invicem osculo salutamus, ubi desiimus precari. Deinde ei qui fratribus præest panis affertur, et poculum aquæ et vini : quibus ille acceptis laudem et gloriam universorum Parenti per nomen Filii et Spiritus sancti emittit, et eucharistiam, sive gratiarum actionem, pro his ab illo acceptis donis prolixe exsequitur. Postquam preces et eucharistiam absolvit, populus omnis acclamat, *Amen*. Amen autem hebræa lingua idem valet ac *Fiat*. Postquam vero is qui præest preces absolvit, et populus omnis acclamavit, qui apud nos dicuntur diaconi panem et vinum et aquam, in quibus gratiæ actæ sunt, unicuique præsentium participanda distribuunt, et ad absentes perferunt.

LXVI. Atque hoc alimentum apud nos vocatur Eucharistia, cujus nemini alii licet esse participi, nisi qui credat vera esse quæ docemus, atque illo ad remissionem peccatorum et regenerationem lavacro ablutus fuerit, et ita vivat ut Christus tradidit. Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus; sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus salvator noster, et carnem et sanguinem habuit nostræ salutis causa;

sic etiam illam, in qua per precem ipsius verba continentem gratiæ actæ sunt, alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostræ per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli in commentariis suis, quæ vocantur Evangelia, ita sibi mandasse Jesum tradiderunt : eum scilicet accepto pane, cum gratias egisset, dixisse : « Hoc facite in meam commemorationem[1], » Hoc est corpus meum; » et poculo similiter accepto, actisque gratiis dixisse : *Hic est sanguis meus*[2], ipsisque solis tradidisse. Atque id quidem et in Mithræ mysteriis ut fieret, pravi dæmones imitati docuerunt. Nam panem et poculum aquæ in ejus qui initiatur mysteriis, quibusdam verbis additis apponi, aut scitis, aut discere potestis.

LXVII. Ex illo tempore hæc semper nobis invicem in memoriam revocamus; et qui habemus, indigentibus omnibus subvenimus, et semper una sumus. Atque in omnibus oblationibus laudamus Creatorem omnium per Filium ejus Jesum Christum et per Spiritum sanctum. Ac solis, ut dicitur, die omnium sive urbes sive agros incolentium in eumdem locum fit conventus, et commentaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum leguntur, quoad licet per tempus. Deinde ubi lector desiit, is qui præest admonitionem verbis et adhortationem ad res tam præclaras imitandas suscipit. Postea omnes simul consurgimus, et preces emittimus : atque, ut jam diximus, ubi desiimus precari, panis affertur et vinum et aqua : et qui præest, preces et gratiarum actiones totis viribus emittit, et populus acclamat, *Amen*, et eorum, in quibus gratiæ actæ sunt, distributio fit et communicatio unicuique præsentium, et absentibus per diaconos mittitur. Qui abundant et volunt, suo arbitrio, quod quisque vult, largiuntur, et quod colligitur apud eum qui præest deponitur, ac ipse subvenit pupillis et

[1] Luc. xxii, 19. — [2] Matth. xxvi, 28.

viduis, et iis qui vel ob morbum vel aliam ob causam egent, tum etiam iis qui in vinculis sunt et advenientibus peregre hospitibus; uno verbo omnium indigentium curam suscipit. Die autem solis omnes simul convenimus, tum quia prima hæc dies est, qua Deus, cum tenebras et materiam vertisset, mundum creavit, tum quia Jesus Christus salvator noster eadem die ex mortuis resurrexit. Pridie enim Saturni eum crucifixerunt, et *postridie* ejusdem diei, id est, solis die Apostolis suis et discipulis visus ea docuit quæ vobis quoque consideranda *tradidimus*.

LXVIII. Atque hæc quidem si vobis rationi et veritati consentanea videntur, in pretio habete : sin autem nugæ vobis videntur, ut nugas contemnite, nec, ut adversus hostes, ita adversus homines innocuos mortem decernite. Vobis enim prædicimus vos Dei judicium non evitaturos, si in injustitia permaneatis; ac nos exclamabimus : *Quod Deo placet, id fiat*. Et cum ex epistola maximi et *illustrissimi* Cæsaris Adriani, parentis vestri, postulare a *vobis* possemus, ut judicia, quemadmodum rogavimus, fieri jubeatis; non tamen magis ob hanc causam *rogavimus, quod* ita constitutum esset ab Adriano, sed quia *scimus nos justa* petere, orationem et rerum nostrarum enarrationem confecimus. Adriani autem epistolæ exemplum etiam subjecimus, ut in hoc quoque verum a nobis dici perspiciatis. Sic habet illud exemplum.

ADRIANI PRO CHRISTIANIS EPISTOLA.

LXIX. Minucio Fundano. Litteras accepi ad me scriptas a Serenio Graniano clarissimo viro, cui successisti. Videtur igitur mihi res non sine inquisitione prætermittenda, ne et homines perturbentur, et sycophantis materia sceleris præbeatur. Si ergo ad hanc petitionis rationem provinciales

sese obfirmare possunt adversus Christianos, ut etiam pro tribunali respondeant, illuc tantum sese vertant, non autem petitionibus aut solis utantur clamoribus. Multo enim magis convenit, si quis accusare velit, te ea de re cognoscere. Si quis igitur accuset et (Christianos) præter leges aliquid agere demonstret, ita statue ut gravitas delicti postulabit. Quemadmodum etiam mehercule, si quis calumniandi causa hunc prætextum arripiat, cogitationem suscipe de hac crudeli agendi ratione, et cura ut ulciscaris.

ANTONINI EPISTOLA AD COMMUNE ASIÆ.

LXX. Imperator Cæsar Titus Ælius Adrianus Antoninus Augustus Pius, Pontifex Maximus, Tribun. potest. XV, Cons. III, Pater patriæ, communi Asiæ salutem. Putabam equidem curaturos deos, ne tales homines laterent. Nam si possent, multo magis quam vos ab ejusmodi hominibus, qui eos adorare nolunt, pœnas repeterent. Quibus quidem vos molestiam facessitis, et eorum sententiam, tanquam si essent athei, accusatis, et alia nonnulla impingitis quæ probare non possumus. Utile autem illis fuerit ob id, cujus nomine accusantur, mortem videri oppetere, ac nos vincunt, dum animas suas projiciunt potius quam illis pareant quæ ab eis fieri postulatis. De terræ autem motibus qui vel evenerunt, vel eveniunt, non decet ut admoneatis, vos qui animum despondetis, cum fiunt, si cum illorum rebus vestras comparetis. Sunt enim illi fidentiores quam vos apud Deum. Ac vos quidem per illud tempus deos nescire videmini, et templa negligitis, nec Dei colendi rationem nostis; unde et illis qui eum colunt invidetis, et ad mortem usque insectamini. De ejusmodi hominibus et alii quidam provinciarum rectores divinissimo meo patri scripserunt. Quibus ille rescripsit nihil negotii exhibendum esse talibus hominibus,

nisi quid adversus imperium Romanum moliri deprehendantur. Quin et ad me multi de illis retulerunt, quibus ego respondi patris mei sententiam sequutus. Si quis autem adversus aliquem illorum, ut talem, actionem instituat, delatus crimine absolvatur, etiamsi illum talem esse constet: delator vero pœnas luet.

MARCI IMPERATORIS EPISTOLA AD SENATUM, QUA TESTATUR CHRISTIANOS VICTORIÆ CAUSAM FUISSE.

LXXI. Imperator Cæsar M. Aurelius Antoninus, Germanicus, Parthicus, Sarmaticus, populo Romano et sacro Senatui salutem. Certiores vos feci de consilii mei magnitudine, quales ad confinia Germaniæ ex discrimine in quod ab hostibus circumdatus veneram, utilitates et commoda consequutus sim, cum me laborantem et defessum cinxissent septuaginta quatuor dracones, novem milliarium spatio in Cotino. Qui cum non longe abessent, exploratores nuntiaverunt nobis, et Pompeianus militiæ nostræ magister significavit, id quod sciebamus (eram enim comprehensus ab immensa et ordinata multitudine, mecum habens legionis Primæ, Decimæ, Geminæ, Ferentariorum *numerabile* et permixtum agmen), exercitum ex omni *genere immensum* adesse, hominum nongentorum septuaginta millium. Cum me igitur et meorum numerum cum multitudine barbarorum et hostium compararem, eo decurri ut deos patrios precarer. Sed cum me illi negligerent, et quas in angustias redactæ essent copiæ meæ cernerem, evocavi eos qui Christiani apud nos dicuntur, iisque interrogatis multitudinem illorum magnumque numerum cognovi, et in eos infremui: quod quidem non oportebat, propterea quod eorum potestatem postea perspexi. Illi enim exorsi sunt non ab observandis telis aut armis aut tubis; (id enim invisum illis est propter Deum, quem in conscientia sua gestant. Ve-

risimile ergo est, quos atheos esse suspicamur, eos in conscientia sua Deum habere sponte insidentem, ejusque præsentia communitos esse.) sed cum se humi projecissent, non pro me solum precati sunt, sed etiam pro universo exercitu, ut præsentem sitim et famem sedarent. Quinto enim jam die aquam non acceperamus, eo quod prorsus deesset. Eramus enim in meditullio Germaniæ et in finibus hostium. Statim autem atque illi in terram sunt provoluti, ac Deum, quem ego ignorabam, invocarunt; confestim imber de cœlo consequutus est, in nos ille quidem frigidissimus, in hostes autem Romanorum grando ignea. Sed et cum oratione ipsa illico præsentia Dei affuit, tanquam insuperabilis et invicti. Inde igitur incipientes, permittemus hisce, Christianis esse : ne, si talia adversum nos arma postulent, voti compotes fiant. Quocirca statuo, ne hominem hujusmodi, quod videlicet Christianus sit, accusare liceat. Si quis autem inveniatur qui Christianum, propterea quod Christianus sit, deferat; de Christiano qui defertur, quique Christianum se esse profitetur, manifestum fieri volo nullam aliam ob rem eum accusari, nisi quod Christianus sit, delatorem vero ipsum vivum comburi : Christianum autem confitentem atque id probantem, se scilicet non aliam ob rem accusari, is cui administratio provinciæ credita est non coget ab hoc instituto discedere, nec libertatem auferet. Hæc vero etiam senatusconsulto confirmari volo : et constitutionem hanc meam in foro Trajani proponi jubeo, ut legi possit. Illam quoque in provincias quasque mittendam curabit Verasius Pollio præfectus. Quicumque autem hac uti, et habere exemplar ejus voluerit, ne recipere id ex eo quod a nobis propositum est, prohibeatur.

EJUSDEM JUSTINI

APOLOGIA SECUNDA

PRO CHRISTIANIS,

AD SENATUM ROMANUM.

I. Et quæ in urbe vestra, Romani, sub Urbico heri et nudius tertius gesta sunt, et quæ similiter ubique a judicibus præter rationem fiunt, coegerunt me pro vobis, qui ejusdem ac nos naturæ, atque etiam si ignoretis ac nolitis propter opinatarum dignitatum splendorem, fratres nostri estis, hanc orationem componere. Ubique enim, exceptis iis qui improbos et libidinosos æterno igne excruciatum iri, virtutis autem cultores, quique similiter ac Christus vixerint, extra perpessionem omnem cum Deo victuros persuasum habent (eos dicimus qui Christiani facti sunt); his, inquam, exceptis, si quis a patre, vel vicino, vel filio, vel amico, vel fratre, vel viro, vel uxore ob delictum castigetur; cum is propter obfirmatam voluntatem et amorem voluptatis, ac minime flexilem ad virtutem animum, tum etiam pravi dæmones, qui nobis infensi sunt, ac ejusmodi judices in sua potestate et cultui suo addictos habent, eos, utpote dæmoniis agitatos magistratus, ad necem nobis inferendam incitant. Ut autem totius rei sub Urbico gestæ perspectam causam habeatis, quid actum sit exponam.

II. Mulier quædam cum viro degebat intemperanti, intemperans et ipsa prius; sed postquam Christi doctri-

nam cognovit, ipsa ad meliorem frugem se recepit, ac viro ut similiter sese colligeret persuadere conata est, Christianam illi doctrinam exponens, et futura his qui libidinose ac præter rectam rationem vixerint, in æterno igne supplicia denuntians. Verum ille in iisdem flagitiis permanens, factis suis alienavit a se uxoris animum. Impium enim esse mulier existimans cum eo deinceps viro, qui præter naturæ legem præterque jus undecumque voluptatis vias exquireret, tori consortio jungi, discedere a conjugio voluit. Sed suorum auctoritatem reverita, qui suadebant ut adhuc maneret, ac maritum tandem aliquando spem mutationis allaturum dicebant; vim fecit ipsa sibi ut maneret. At postquam illius vir Alexandriam profectus, pejora facere nuntiatus est; verita illa ne inique et impie factorum particeps fieret, si in conjugio maneret, victusque ac tori consors esset, misso eo, quod vocatis, repudio discessit. Tum præclarus et bonus ille vir, cum gaudere deberet, quod quæ olim uxor cum servis et mercenariis in vinum atque omne vitiorum genus effusa licenter perpetrabat, ab his jam faciendis deterrita fuisset, ac ipsum etiam ab iisdem flagitiis deterrere studeret; repudium non obsequenti nuntiantem accusat, quod esset Christiana. Atque illa quidem libello tibi, Imperator, oblato postulavit, ut prius sibi domui suæ prospicere liceret; deinde domesticis rebus compositis responsuram se accusationi. Atque id quidem annuisti. At illius quondam maritus, qui tum adversus eam non jam dicere poterat, in Ptolemæum quemdam, quem Urbicus supplicio affecit, quique mulieris in re christiana magister fuerat, impetum suum vertit hoc modo. Centurioni cuidam amico suo persuasit, ut Ptolemæum in carcerem conjecturus apprehenderet, idque tantum interrogaret, an esset Christianus. Tum Ptolemæus, ut erat veritatis cultor et animo a fraude et mendacio alienus, cum se Christianum esse con-

fessus esset, in vincula conjectus est a centurione, diuque ab eo in carcere afflictus. Postremo coram Urbico adductus, similiter id unum interrogatus est, an esset Christianus; ac præclare sibi ob traditam a Christo doctrinam conscius, institutionem divinæ virtutis iterum confessus est. Nam qui negat quidpiam, vel ideo negat, quod rem ipsam condemnet; vel se ipse indignum illa et alienum judicans, confessionem fugit : quorum neutrum inest vero Christiano. Cum igitur Urbicus ad supplicium abduci Ptolemæum jussisset, Lucius quidam, qui et ipse Christianus erat, tam alienum a ratione judicium videns, sic Urbicum compellavit : « Quid » causæ est, cur huic homini nec adulterii nec stupri reo, » nec homicidæ, nec furi, nec raptori, nec ullius maleficii » convicto, sed tantum Christiani nominis appellationem » confitenti pœnam irrogaveris ? Non ut decet Pium Impe» ratorem, nec ut philosophum Cæsaris filium, nec ut sa» crosanctum Senatum, judicas, Urbice. » Tum ille nihil aliud respondens, sic Lucium alloquitur : « Tu quoque ex » hoc hominum genere esse mihi videris. » Cum Lucius respondisset, *Maxime*, jussit eum Urbicus pariter abripi. At ille gratias etiam agebat, cum se ab improbis ejusmodi dominis liberari, et ad Patrem ac Regem cœlorum proficisci cognosceret. Tertius alius superveniens eodem supplicio damnatus est.

III. Ego etiam exspecto ut ab eorum, quos dixi, aliquo insidiis appetar, et ad stipitem affigar, aut certe ab illo strepitus et ostentationis amatore Crescente. Neque enim philosophi appellatione dignus est; quippe qui de nobis ea publice testetur, quæ prorsus ignorat, atheos et impios esse Christianos, ad gratiam et voluptatem deceptæ plebeculæ asseverans. Nam si, cum doctrinam Christi non legerit, nos tamen exagitat, nequissimus profecto est ac multo deterior hominibus imperitis, qui sæpe cavent ne de rebus quas

ignorant loquantur et falsum testimonium dicant. Sin autem legit, non intellexit hujus doctrinæ majestatem; aut si intellexit, ne Christianum esse illum homines suspicentur, ita se gerit, ac multo magis ignavus est et pessimus, ut qui populari et a ratione aliena opinione ac metu superetur. Illud enim scire vos velim me, cum nonnullas ei interrogationes ejusmodi proposuissem, didicisse et deprehendisse illum revera nihil scire. Atque ut verum a me dici pateat, paratus sum, si disputationes illæ ad vos perlatæ non sunt, coram vobis interrogationes iterum proponere. Regium sane hoc etiam opus fuerit. Si vero ad aures vestras interrogationes meæ illiusque responsa pervenerunt, liquet vobis nihil eum scire rerum nostrarum: aut si scit ille quidem, sed audientium metu non audet ad exemplum Socratis eloqui; non philosophum, ut jam dixi, sed opinionum amatorem deprehendi: quippe qui pulcherrimum illud Socratis dictum parvi faciat, « Sed plus honoris non est habendum » homini, quam veritati. » Verum integrum Cynico non est, finem ultimum in indifferentia constituenti, aliud bonum præter hanc indifferentiam existimare.

IV. Sed ne quis ita dicat: « Omnes igitur morte vobis » ipsis illata jam nunc abite ad Deum, nec nobis negotia » facessite: » dicam quid causæ sit cur id non faciamus, et cur interrogati impavide confiteamur. Non frustra mundum a Deo conditum esse didicimus, sed propter humanum genus: placere autem illi jam diximus eos qui illum imitantur, contra displicere qui deteriora vel dicto vel facto amplectuntur. Igitur si omnes nobis ipsi manus afferamus, quominus quisquam gignatur, aut divina doctrina imbuatur, aut etiam quominus exstet humanum genus, in causa, quantum in nobis est, erimus, ipsi quoque contra Dei consilium venientes, si ita faciamus. Interrogati autem non negamus, tum quod nullius mali nobis conscii simus,

tum quod impium existimemus veritatem in omnibus non dicere, cum id Deo gratum esse sciamus; tum etiam quod vos opinione inique anticipata nunc liberare studeamus.

V. Si quem autem hæc cogitatio subeat, minime eventurum, si Deum adjutorem profiteremur, ut iniqui, quemadmodum dicimus, dominatu suo nos premerent ac suppliciis afficerent; id quoque a me dissolvetur. Deus qui mundum universum creavit, cum terrena hominibus subjecisset, ac cœlestia elementa, quæ et ipsa hominis causa ab eo creata esse liquet, ad frugum proventum et temporum conversiones adornasset, atque hanc divinam legem sanxisset, hominum ac rerum sub cœlo positarum curam angelis, quos huic præfecit muneri, commisit. Angeli autem ordinem institutum prætergressi, in stupra cum mulieribus prolapsi sunt ac filios susceperunt eos, qui dæmones appellati[1]; atque etiam postea genus humanum sibi in servitutem addixerunt, partim scriptis magicis, partim terroribus et suppliciis inferendis, partim sacrificiis, suffimentis et libaminibus edocendis; quibus rebus egere cœperunt, ex quo cupiditatum morbis emancipati sunt: denique in humanum genus cædes, bella, adulteria, flagitia atque omne vitiorum genus proseminarunt. Hinc poetæ et fabularum scriptores, cum angelos ignorarent progenitosque ex illis dæmones ea in masculos et feminas, in urbes et nationes perpetrasse, quæ litteris mandabant; in ipsum Deum, ac in eos qui tum ipsius satu geniti, tum ex ejus fratribus Neptuno et Plutone, eorumque filiis procreati ferebantur, ea transtulere. Quod enim nomen unusquisque angelorum sibi et filiis suis imposuerat, eo quemque appellaverunt.

VI. Nomen autem universorum Parenti, eo quod inge-

[1] Hunc circa angelos errorem in scriptis Judæorum hausit sanctus Justinus.

nitus sit, nullum prorsus inditum est. Quocumque enim nomine appelletur, antiquiorem habet eum qui nomen imposuit. Hæc autem, Pater, Deus, Conditor, Dominus, Herus, non sunt nomina, sed ex beneficiis et operibus appellationes. Ejus autem Filius, qui solus proprie Filius dicitur, Verbum antequam mundus crearetur, quod et una cum eo aderat et genitum est, cum per illud initio omnia condidit et ornavit; hic, inquam, Filius, eo quod unctus sit et per eum Deus omnia ornaverit, Christus vocatur; quo quidem et ipso nomine res significatur indeprehensa: quemadmodum Dei appellatio non nomen est, sed rei non enarrabilis insita naturæ hominum opinio. Jesus autem et hominis et salvatoris nomen et significationem habet. Nam et homo factus est, ut antea diximus, de Dei et Patris voluntate partu editus pro credentibus hominibus et ad dæmonum eversionem. Id profecto ex his quæ in omnium oculis geruntur, perspicere potestis. Plurimos enim dæmoniis agitatos in toto orbe et in urbe vestra, multi ex nostris Christianis, cum per nomen Jesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi adjurarent, ab aliis adjuratoribus, incantatoribus et veneficis non sanatos sanaverunt, atque etiamnum sanant, fractis et ejectis dæmonibus homines detinentibus.

VII. Quapropter Deus propter Christianorum semen, quod in causa esse novit cur rerum natura conservetur, tenet se ne confusionem inducat et dissolutionem totius mundi, ita ut nulli jam improbi exstent angeli et dæmones et homines. Nam nisi ita esset, non jam vobis hæc facere et a pravis dæmonibus incitari liceret; sed ignis judicii delapsus, nullo discrimine omnia dissolveret, quemadmodum olim diluvium, quod neminem reliquum fecit, præter unum cum suis apud nos vocatum Noe, apud vos Deucalionem, ex quo rursus tanta hominum multitudo propagata est, partim improborum, partim bonorum. Sic enim

nos conflagrationem dicimus futuram, sed non, ut Stoici, secundum omnium rerum mutuæ in se invicem conversionis rationem; quod turpissimum videtur. Neque etiam fato homines agere aut ea quæ eveniunt pati, sed libero quemque arbitrio præclare agere aut peccare : bonos autem malorum dæmonum operatione, veluti Socratem et alios similes, vexari et in vinculis esse; contra Sardanapalum, Epicurum et alios ejusmodi in rerum omnium copia et splendore beatos videri. Quod cum Stoici minus intelligerent, fati necessitate omnia fieri decreverunt. Quoniam autem Deus ab initio liberum angelorum et hominum genus creavit, merito eorum quæ peccaverint, supplicia in æterno igne persolvent. Creatæ autem cujuslibet rei hæc natura est, ut virtutis et vitii sit capax; neque enim quidquam laudabile faceret, nisi sese in utramque partem vertendi facultatem haberet. Atque id etiam declarant qui in qualibet regione apte ad rectam rationem leges tulere aut philosophati sunt, ex eo quod alia fieri præscribant, alia vitari. Hæc eadem constanter probant Stoici cum de moribus disputant; ut facile pateat in principiis et rebus incorporeis pertractandis non rectam eos viam insistere. Nam si fato fieri dicent quæ ab hominibus fiunt, vel Deum nihil aliud *esse statuent* præter ea quæ vertuntur et immutantur et *in eadem* semper resolvuntur; sicque nullius rei, quæ quidem corruptioni non sit obnoxia, notionem habere, ad Deum ipsum tum per partes, tum per universum in omni miseria et nequitia constituere videbuntur; vel nihil esse vitium, neque virtutem : quod ab omni sana notione et ratione et mente alienum est.

VIII. Quia tamen Stoici in his saltem quæ de moribus dixerunt, præclare sese habuerunt, id quod poetis interdum contigit propter insitum omni hominum generi rationis semen; eos qui ab hac disciplina profecti sunt, odiis

flagrasse et occisos esse scimus. Heraclitum quidem, ut antea diximus, et Musonium in his qui nostra ætate floruerunt et alios novimus. Fecere enim semper atque effecere dæmones, quemadmodum demonstravimus, ut qui quovis modo secundum rationem vivere et vitium fugere studerent, ii omnes odio haberentur. Minime autem mirum si, qui non ad partem aliquam rationis disseminatæ vitam instituere student, sed ad totius Verbi, id est Christi, cognitionem et contemplationem, in eos multo majora convicti dæmones odia concitant; qui quidem debitas pœnas ac supplicia in æterno igne inclusi persolvent. Nam si jam ab hominibus per nomen Jesu Christi superantur, documentum est futuri illis et eorum cultoribus in æterno igne supplicii[1]. Ita enim et Prophetæ omnes prænuntiaverunt futurum, et magister noster Jesus edocuit.

IX. Sed ne quis forte item dicat, quod ii qui existimantur philosophi, strepitus inanes esse ac terricula quæ de improborum in igne æterno cruciatibus dicimus, ac nostram eo spectare sententiam, ut virtutem homines metu conducti colant, non propter ipsius pulchritudinem, nec quia illis placet; paucis respondebo, nisi ita se res habeat, vel Deum non esse, vel, si sit, nullam hominum curam gerere, nec quidquam esse virtutem et vitium, ac inique a legum latoribus puniri qui præclara instituta transgrediuntur. Sed quia iniqui non sunt, eorumque Parens eadem quæ ipse facit, facere per Verbum præcipit; iniqui sunt qui eis non obsequuntur. Si quis autem varias hominum leges objiciat, et apud alios quidem præclara quædam et quædam turpia censeri dicat, sed quæ apud istos turpia, apud alios præclara, et quæ præclara, turpia existimari; is audiat quid ea quoque de re dicamus. Cum

[1] Adhuc errat sanctus Martyr asserendo supplicia dæmonum usque ad extremum judicium differri.

leges ab improbis angelis accommodate ad eorum nequitiam institutas scimus, quibus similes eorum homines delectantur; tum vero recta ratio adveniens, non omnes opiniones, nec decreta omnia præclara esse demonstrat, sed quædam mala, quædam bona. Quare ejusmodi hominibus eadem dicam et similia, et uberius, si opus erit, disseram. Nunc ad propositum redeo.

X. Liquet ergo res nostras esse omni humana doctrina sublimiores, quia quidquid ad Verbum pertinet, id extitit Christus qui pro nobis apparuit, nempe corpus et Verbum et anima. Quæcumque enim præclare unquam dixere aut excogitavere philosophi aut legum latores, hæc invento et considerato aliqua ex parte Verbo elaborarunt. Sed quia non omnia quæ sunt Verbi, id est Christi, cognoverunt, persæpe secum ipsis pugnantia dixerunt. Et qui Christo secundum humanam naturam antiquiores unamquamque rem ratione investigare aut refellere aggressi sunt, ii ut impii et curiosi in judicium abducti fuere. Quorum omnium longe firmissimus hac in re Socrates in eadem ac nos crimina vocatus est. Nova enim dixerunt ab eo dæmonia induci, et quos civitas existimat deos, ab eo non existimari. *Atque hic* quidem cum malos dæmones, a quibus ea *perpetrata quæ* poetæ scripserunt, ejiceret civitate, hominibus auctor erat ut Homerum ac cæteros poetas amandarent: Deum autem, quem ignorabant, ut rationis investigatione cognoscerent, his eos verbis hortabatur: « Parentem et opificem universorum neque invenire facile, nec, si inveneris, apud omnes prædicare tutum est. » Hæc autem Christus noster sua ipsius potestate præstitit. Socrati enim nemo tantum habuit fidei, ut pro hac sententia mortem oppeteret. Christo autem, quem Socrates aliqua ex parte cognovit (erat enim et est Verbum illud omnia pervadens, quod et per Prophetas futura prædixit, et per seipsum, cum natura nostra suscepta

hæc doceret); Christo, inquam, non philosophi solum et litterati homines credidere, sed operarii etiam et omnino imperiti, qui et gloriam et metum et mortem contempserunt; quandoquidem hæc virtus inenarrabilis Patris efficit, non humanæ rationis instrumenta.

XI. Nec vero occideremur nec potentiores nobis essent iniqui homines et dæmones, nisi omnino cuilibet homini genito etiam mori constitutum esset. Hinc cum debitum persolvimus, gratias agimus. Nunc autem in Crescentem et eos qui eadem ac ille insaniunt, præclarum et opportunum esse arbitror Xenophontis illud proferre. Herculem enim scribit Xenophon in quodam trivio ambulantem incidisse in Virtutem et Vitiositatem, quæ ei specie muliebri visæ sunt; ac istam quidem molli et ad amores apto vestitu, et florescenti ex his ornamentis vultu, ac oculis ad demulcendum promptis, ita eum alloquutam : Si se sequeretur, facturam ut splendidissimo cultu, qualem gerebat ipsa, lætus et decorus perpetuo degeret. Virtutem autem squallenti vultu ac veste ita dixisse : « Si mihi obsequaris, non » te caduco et perituro cultu ac decore exornabis, sed æter- » nis et præclaris ornamentis. » Quisquis igitur ea fugit quæ videntur pulchra, ea autem persequitur quæ dura et a ratione aliena existimantur, hunc pro certo tenemus beatam vitam adepturum. Vitium enim, postquam actionibus suis, veluti quoddam integumentum, ea quæ insunt virtuti ac vere bona sunt, imitatione rerum incorruptibilium obtendit (nihil enim incorruptibile habere aut facere potest), in servitutem redigit homines humi affixos, mala sibi inhærentia virtuti affingens. Qui autem vera bona ac minime fucata internoscunt, ii virtutis beneficio incorrupti. Quod quidem et de Christianis ac de athletis, iisque qui res ejusmodi gessere, quales poetæ de celebratis hominum opinione diis scripsere, non insulsissimus quisque existimare debet,

hoc ductus argumento, quod mortem, quæ videtur fugienda, contemnamus.

XII. Nam et ipse ego, cum Platonis doctrina delectarer, ac de criminibus in Christianos conjectis audirem, eos autem ad mortem et ad alia omnia quæ videntur metuenda, impavidos cernerem; fieri non posse intelligebam ut in nequitia et in voluptatum amore viverent. Quis enim libidinosus et intemperans, ac humanæ carnis epulas in bonis numerans, mortem amplecti possit, ut bonis suis careat, ac non potius omnino in hac vita semper versari, et magistratus latere conetur, nedum seipsum deferat morte damnandum? Ac pravorum quidem dæmonum impulsu jam nefarii quidam homines hoc facinus edidere. Cum enim nonnullos occiderent ob afficta illa nobis crimina, rapuerunt etiam ad tormenta nostrorum servos, partim pueros, partim mulierculas, ac horrendis cruciatibus fabulosa illa facinora, quæ palam et aperte ipsi perpetrant, proferre coegerunt. Quæ quidem quia a nobis aliena sunt, parum laboramus; cum ingenitum ac non enarrabilem Deum cogitationum et actionum testem habeamus. Quid enim causæ est cur non etiam publice profiteamur hæc recte fieri, ac divinam philosophiam esse demonstremus; Saturni *mysteria a nobis* peragi dicentes, cum hominem necamus; ac dum sanguine, ut vulgo dicunt, implemur, cæremoniam esse similem vestræ in illud simulacrum religioni, quod non pecudum solum, sed hominum etiam sanguine proluitis, hominum occisorum sanguinem clarissimo apud vos et nobilissimo viro libante; Jovis autem et aliorum imitatores esse, dum in puerorum stupris et promiscuo cum mulieribus concubitu volutamur; ex Epicuri etiam et poetarum scriptis patrocinium petentes? Sed quia et ab his institutis et ab ejusmodi facinorum auctoribus et imitatoribus refugiendum suademus, id quod etiamnum hac in oratione contendimus;

propterea variis modis oppugnamur. At parvi pendimus, quia Deum justum esse omnium inspectorem scimus. Utinam autem nunc aliquis voce tragica e loco superiore clamaret : « Pudeat vos, pudeat, quæ palam facitis, ea in homines innocentes conferre, et quæ vobis ac diis vestris inhærent, istis affingere, quos ne minima quidem ex parte contingunt. Immutamini, resipiscite. »

XIII. Nam et ego cum nefarium integumentum a pravis dæmonibus, ad deterrendos alios homines, divinæ Christianorum doctrinæ injectum viderem; et ejusmodi mendaciorum auctores, et ipsum integumentum et popularem opinionem irrisi; meque profiteor laudi ducere, ac dimicatione omni contendere, ut Christianus reperiar : non quod aliena sint a Christo instituta Platonis, sed quod non omnino similia, ut nec etiam aliorum, Stoicorum videlicet, poetarum et historicorum. Ut quisque enim disseminatæ rationis divinæ partem aliquam sibi cognatam videbat, præclare loquutus est. Qui autem secum ipsi in rebus lônge gravissimis pugnarunt, ii nec scientiam sublimiorem, nec cognitionem quæ refelli non possit, assequuti videntur. Quæcumque igitur apud alios omnes præclare dicta, ea nostra sunt Christianorum. Natum enim ex ingenito et non enarrabili Deo Verbum secundum Deum adoramus et amamus; quandoquidem propter nos homo factum est, ut perpessionum nostrarum particeps factum, medicinam illis faceret. Omnes enim scriptores per insitum rationis semen potuere illi quidem verum videre, sed subobscure. Aliud enim est semen alicujus et imitatio pro viribus concessa, aliud ipsum illud cujus communicatio et imitatio secundum ipsius gratiam conceditur.

XIV. Vos autem hac prece oramus, ut hunc libellum, subscribentes quod vobis placet, promulgetis, ut cæteris nostræ res innotescant, ac homines ad harum rerum co-

gnitionem perveniant, et erroribus et optimarum rerum ignoratione levari possint: qui quidem se suppliciis culpæ sua obnoxios præbent, quia inest naturæ hominum facultas cognoscendi honesti atque turpis; tum etiam quia dum nos, qui noti illis non sumus, turpium illorum, quæ dictitant, criminum nomine condemnant, et tamen diis gaudent qui similia perpetrarunt et etiamnum ab hominibus reposcunt, ex eo quod nobis, quasi ejusmodi facinorum rei simus, mortem aut vincula aut aliam ejusmodi pœnam infligunt, sententiam in seipsos dicunt, ita ut alii judices minime sint requirendi.

XV. Contempsi etiam impiam illam apud meos Samaritanos et erroris plenam Simonis doctrinam. Quod si et vestra ad hunc libellum accedat auctoritas, omnium illum oculis exponemus ut, si fieri possit, immutentur; quod quidem unice nobis hanc orationem scribentibus propositum fuit. Sunt autem instituta nostra recte judicanti minime turpia, sed humana omni philosophia sublimiora. Sin minus: certe Sotadeis, Philænideis, saltatoriis, et Epicureis, et aliis ejusmodi poeticis institutionibus absimilia, quæ tamen et in scenam producta spectare et scripta legere omnibus licet. Jam vero iis quæ in nobis sita erant, absolutis desinimus; illud etiam precantes, ut omnes ubique homines veritatis cognitione dignentur. Utinam et vos, ut pietatem et philosophiam decet, æquum vestra ipsorum causa judicium feratis!

EJUSDEM JUSTINI

DIALOGUS

CUM TRYPHONE JUDÆO.

I. AMBULANTI mihi mane in Xysti spatiis occurrens quidam una cum aliis, Salve, inquit, Philosophe; statimque his dictis conversus una mecum ambulabat. Conversi quoque cum eo amici ejus. Tum ego vicissim illum salutans : Quid rerum, inquam, potissimum?

At ille : Docuit me Argis, inquit, Corinthus Socraticus non debere contemni aut negligi qui hanc vestem induti sunt, sed omnem eis humanitatem exhibendam, ac eorum consuetudine utendum, ut aliqua inde utilitas sive ad ipsum illum, sive ad me redeat. Utrique autem bene est, si vel alteruter juvetur. Hanc igitur ob causam, cum aliquem in hac veste conspicio, libenter ad eum accedo; teque modo ea de causa lætus compellavi : isti autem me subsequuntur, quod et ipsi sperent se ex te utile aliquid audituros.

Tu vero quisnam es, mortalium præstantissime? Ita eum jocans alloquebar.

Ille autem et nomen mihi et genus ingenue edidit. Tryphon, inquit, vocor; Hebræus autem sum ex circumcisione, ex bello nuper gesto profugus, in Græcia et Corinthi plerumque degens.

Sed quid te, aiebam, tantum philosophia juvare possit, quantum Legislator tuus et Prophetæ?

Quid enim, inquit ille, an non philosophorum sermo

omnis de Deo versatur, ac de ejus singularitate et providentia quæstiones ab eis semper instituuntur? Aut philosophiæ an non hoc opus est de Deo quærere?

Sane, inquam, ita et nos existimamus. Sed plerique ne id quidem laborant, utrum unus an plures sint dii, et unicuique nostrum utrum provideant necne; quasi hæc cognitio nihil ad beate vivendum afferat. Quinetiam persuadere nobis conantur Deum universi quidem ac ipsorum generum et specierum curam gerere, mei autem et tui et singulorum non item; neque enim fore ut eum tota nocte ac die precaremur. Hoc autem quonam illis evadat, difficile non est intelligere. Proposita enim est his qui ita sentiunt, disserendi et sequendi quo libuerit impunitas et licentia, ac agendi quidquid voluerint et dicendi, nec supplicium metuentibus, nec boni quidquam a Deo sperantibus. Quomodo enim metuant aut sperent qui eadem semper futura dicunt, meque et te eodem rursus modo victuros, nec meliores factos, nec deteriores? Alii quidam, cum immortalem et incorpoream animam esse ponant, nec pœnas daturos se putant, si quid mali fecerint (pati enim non potest quod incorporeum est), nec jam Deo, cum immortalis sit anima, quidquam indigent.

Tum ille urbane subridens : Tu vero, inquit, his de rebus quid censes, et quæ tua de Deo sententia, et quæ philosophia? Expone nobis.

II. Equidem tibi, inquam, quid mihi videatur edisseram. Est enim revera maxima possessio philosophia, ac plurimi apud Deum pretii, ad quem nos perducit, cuique nos sola commendat : vereque illi sancti sunt qui animum ad philosophiam adjungunt. Quid autem sit philosophia, et quam ob causam ab homines demissa, plerosque latet. Nam nec Platonici essent, nec Stoici, nec Peripatetici, nec Theoretici, nec Pythagorici; cum una sit hæc scientia. Unde au-

tem multiceps evaserit, juvat dicere. Usu venit, ut iis qui philosophiam primi attigerunt, et ea re clari extitere, successores nulla veri adhibita investigatione adhærerent, ac tantum eorum constantiam et continentiam, et novum sermonum genus admirati, ea crederent vera quæ a suo quisque magistro didicissent; et cum eadem ipsi suis quoque successoribus et alia quædam affinia tradidissent, eo nomine designarentur quo appellatus fuisset doctrinæ pater. Ego quoque cum initio cuperem horum alicui in sermonem venire, dedi me cuidam Stoico; satisque cum eo versatus diu, cum nihilo plura scirem de Deo (nam nec sciebat ipse, neque hanc scientiam necessariam putabat), ab eo discessi, atque ad alium me contuli, quem Peripateticum vocabant, hominem, ut sibi ipse videbatur, peracutum. Cumque is me primis diebus pertulisset, rogavit postea ut de mercede transigerem, quo fructuosa nobis esset inter nos consuetudo. Hac ipsa de causa missum illum feci, ne philosophum quidem omnino arbitratus. Sed cum animus adhuc studio flagraret id quod philosophiæ proprium et præcipuum est audiendi, celeberrimum adii Pythagoreum, hominem de sapientia valde gloriantem. Deinde ut colloquutus sum cum eo, auditor illius et familiaris fieri cupiens : Quid ergo, inquit ille, dedisti operam musicæ, astronomiæ et geometriæ? An putas perspecturum te quidquam eorum quæ beatæ vitæ conducunt, nisi hæc prius didiceris quæ animum a rebus sensum moventibus abstrahent, et ad ea quæ mente percipiuntur idoneum efficient, ut ipsum pulchrum et ipsum bonum intueatur? Cum has disciplinas pluribus laudasset, ac necessarias prædicasset, dimisit me a se, postquam ei confessus sum me nescire. Ferebam igitur, ut par erat, moleste quod spe excidissem; eoque magis quod mihi aliquid scire videretur. Rursus cum tempus illud considerarem, quod mihi in his disciplinis conterendum erat, non

ferebam me in longum tempus rejici. In hac consilii inopia visum est, ut ad Platonicos me conferrem (erant enim magno in pretio), ac cum viro quodam prudenti, qui recens in urbem nostram advenerat, atque inter Platonicos excellebat, plurimum versabar, proficiebamque et quotidie mihi quam maximæ accessiones fiebant. Efferebat me vehementer incorporearum rerum intelligentia, ac meæ menti alas addebat idearum contemplatio : sapiensque mihi videbar intra breve tempus evasisse, ac præ stoliditate in spem veneram videndi protinus Dei. Hic enim finis est Platonis philosophiæ.

III. Sic affectus cum vellem aliquando plurima solitudine animum explere, atque hominum vestigia vitare, profectus sum in agrum quemdam non remotum a mari. Cumque propinquarem huic loco, ad quem cum venissem, mecum eram futurus; senior quidam, non sane aspectu contemnendus, gravitatem et comitatem præ se ferens, modico me intervallo assectabatur. Conversus in eum substiti, atque oculos in eum acrius defixi.

Tum ille : Mene, inquit, cognoscis ?

Negavi ego.

Quid me igitur, inquit, ita contemplaris ?

Miror, inquam, assequutum te esse, ut mecum in eodem loco esses : neque enim fore exspectabam, ut quemquam hic viderem.

Sollicitus sum, inquit, de meorum nonnullis : hi peregre mihi abierunt; veni ergo et ipse spectatum, an sese mihi alicunde ostensuri sint ? Tu vero, quidnam hic rerum ?

Delector, inquam, ejusmodi deambulationibus, in quibus, cum nihil occurrat quod interpellare possit, mecum ipse liberrime colloquor. Sunt enim hæc loca philologiæ aptissima.

Sermonum ergo, inquit ille, amator es, factorum autem

et veritatis nequaquam, nec actuosus esse conaris potius quam sophista?

Tum ego: Quid, inquam, majus meliusve facere quisquam possit, quam si rationem omnibus imperare demonstret, illamque apprehendens eique veluti insidens, aliorum errores et studia consideret, quomodo nihil agant quod sanum sit, nihil quod Deo placeat. Prudentia autem sine philosophia et recta ratione inesse nemini potest. Idcirco omni homini philosophandum est, atque hoc maximum et præclarissimum opus existimandum, cætera vero in secundis et tertiis ponenda; ac philosophiæ quidem si adjuncta fuerint, mediocria, et quæ assumantur digna, si vero incomitata et destituta ab ea sint, cum iis importuna, quorum manibus tractantur, tum etiam illiberalia ducenda sunt.

Philosophia igitur beatitudinem efficit? inquit ille.

Illa vero, inquam, et sola quidem.

Igitur quid sit philosophia, inquit, et quæ ejus beatitudo, nisi quid eloqui prohibet, eloquere.

Philosophia, inquam ego, est scientia illius quod est, et veri cognitio. Beatitudo autem hujus scientiæ et sapientiæ præmium.

Deum autem quidnam vocas, inquit ille?

Quod idem est et eodem modo semper se habet, quodque cæteris omnibus causa est cur sint, hoc sane Deus est. Ita illi ego respondi: meque ille libenter audiebat, ac rursus ita interrogavit:

Scientia an non commune nomen est rerum diversarum? In omnibus enim artibus, qui harum aliquam sciat dicitur sciens, in imperatoria, in gubernatoria, in medica similiter. In divinis et humanis rebus an ita se res habet? Estne scientia quæpiam, quæ divinarum et humanarum rerum cognitionem afferat, ac deinde quæ sit in illis divinitatis, quæ justitiæ ratio demonstret?

Maxime, inquam.

Quid igitur? Idem est hominem et Deum nosse, ac musicam, arithmeticam, astronomiam aut aliquid simile.

Minime gentium, inquam.

Non recte ergo mihi respondisti, inquit ille. Aliæ enim disciplina et exercitatione quadam a nobis comparantur: aliæ vero ex visu scientiam efficiunt. Si quis tibi dicat esse in India animal natura non simile cæteris omnibus, sed tale aut tale, multiplicis ac variæ formæ; non prius scias quale sit, nisi videris: sed nec ullam illius rationem possis reddere, nisi ex eo qui viderit audieris.

Non profecto, inquam.

Quomodo igitur, inquit, de Deo philosophi recte sentiant, aut quidquam veri dicant, scientiam illius non habentes, quippe qui nec visu nec auditione quidquam de eo unquam perceperint?

At oculis, inquam, Pater, divinum numen, ut cætera animalia, videri non potest, sed sola mente percipi, ut ait Plato, cui ego assentior.

IV. Inest igitur, inquit ille, menti nostræ talis quædam ac tanta vis, ut non citius sensu percepisset? Aut Deum videbit aliquando humana mens Spiritu sancto *non exornata*?

Ait enim Plato, inquam ego, talem esse mentis oculum, atque ad hoc nobis datum fuisse, ut ipsum illud quod est, hoc ipso pellucido oculo videre possimus; quod quidem causa est eorum omnium quæ mente percipiuntur, nec colorem habens, nec figuram, nec magnitudinem, nec quidquam eorum quæ oculis cernuntur: sed quidnam est? hoc ipsum, inquam, quod supra omnem essentiam est, non enarrabile, non explicabile, solum pulchrum et bonum, animis a natura bene informatis ob cognationem et videndi cupiditatem illico affulgens.

Quænam igitur nobis, aiebat, cognatio cum Deo? Num anima divina et immortalis est, et ipsius regiæ illius mentis particula; et quemadmodum illa Deum videt, ita consequi possumus, ut mente nostra divinum numen complectamur, atque inde jam simus beati?

Omnino, inquam.

Num illud etiam comprehendunt animæ omnium animalium, interrogabat ille, an alia hominis anima, alia equi et asini?

Minime, inquam; sed eædem sunt in omnibus.

Videbunt igitur, inquit, equi et asini, aut viderunt Deum aliquando?

Non sane, inquam; nam ne hominum quidem vulgus; sed tantum si quis juste vixerit, ac justitia cæterisque omnibus virtutibus lustratus fuerit.

Non jam ergo, inquit ille, propter cognationem videt Deum, neque eo quod mens sit, sed quia temperans et justa?

Sane, inquam; et quia habet quo Deum intelligat.

Faciunt cuiquam injuriam capræ et oves?

Nemini profecto, inquam.

Videbunt ergo, inquit, secundum tuam ratiocinationem, et ista animantia.

Minime; illis enim corpus, cum tale sit, impedimento est.

Si vocem accipiant hæc animantia, inquit ille, probe scias multo potiori jure convicium corpori nostro factura. Nunc autem id omittamus, ac tibi ita esse, ut dicis, concedatur. Sed hoc mihi responde, utrum anima Deum videat quamdiu in corpore est, an postquam eo soluta?

Quamdiu in hominis forma est, inquam, potest id mente consequi; sed tum maxime, cum corpore soluta est, ac secum ipsa versatur, fit omnino et in omne ævum rei adamatæ compos.

An etiam vidisse se meminit, cum ad hominem redit?

Non mihi videtur, inquam.

Quid igitur prodest vidisse; aut qui vidit quid amplius habet quam qui non vidit, si ne illud quidem ipsum, nempe vidisse se, habet in memoria?

Non possum id statuere, inquam.

Quæ vero indignæ judicatæ sunt quæ viderent, quid patiuntur? inquit ille.

In aliqua ferarum corpora, velut in vincula, conjiciuntur, atque hæc illarum pœna est.

Noverunt igitur hanc ob causam sese in illis esse corporibus, atque aliquid a se peccatum esse?

Non puto.

Nihil igitur utilitatis videntur ex pœna percipere; imo ne puniri quidem eas dixerim, si pœnam non sentiunt.

Non sane.

Non ergo Deum vident animæ, nec migrant in alia corpora : scirent enim sese ita puniri, ac metuerent ne quid deinceps vel leviter peccarent. Quod autem intelligere possint Deum esse, ac justitiam et pietatem præclarum quidpiam esse, id ipse, inquit, assentior.

Recte dicis, inquam.

V. Nihil igitur his de rebus sciunt isti *philosophi* : nec enim quid sit anima explicare possunt.

Idem mihi videtur.

Neque etiam immortalis dicenda est; nam si immortalis, etiam profecto ingenita.

Increatam autem et immortalem existimant nonnulli, qui Platonici dicuntur.

Sed tu an ipsum mundum ingenitum dicis?

Sunt qui dicant, sed his ego non assentior.

Recte facis. Quam enim habet rationem corpus adeo solidum et durum et coagmentatum, quodque immutatur,

perit et nascitur quotidie, non ab aliqua causa ortum censere? Quod si mundus genitus est, necesse est animas quoque genitas esse, ac posse nullas esse. Sunt enim factæ hominum et cæterorum animalium causa, si omnino separatim ac non una cum propriis corporibus genitas dices.

Videtur hoc recte se habere.

Non ergo immortales sunt?

Non; siquidem statuimus mundum esse genitum.

Non tamen perire dico ullas animas; vere enim de lucro id esset improbis. Quid igitur? Piorum quidem animas in meliore loco manere, iniquorum autem et malorum in deteriore, judicii tempus exspectantes. Sic istæ, cum Deo dignæ judicatæ fuerint, non jam moriuntur; hæ vero puniuntur, quamdiu eas esse et puniri Deus voluerit.

Num, quæso, quod dicis tale est, quale id quod et Plato subobscure tradit de mundo, corruptioni obnoxium dicens, quatenus genitus est; futurum tamen propter Dei voluntatem, ut nec solvatur, nec in mortis fatum incurrat; idem tibi placet de anima ac generatim de omnibus dici? Quæcumque enim post Deum sunt, aut erunt aliquando, ea naturam habent corruptioni obnoxiam, ac talia sunt ut aboleri possint, ac jam nulla esse. Solus enim Deus est, qui nec genitus sit, nec corruptioni obnoxius, ac propterea Deus est : reliqua vero omnia, quæ post eum sunt, genita et corruptioni obnoxia. Hoc ipsum causæ est cur animæ et moriantur et puniantur. Nam si ingenitæ essent, nec peccarent, nec stultitia redundarent, nec ignavæ essent, nec rursum feroces; neque etiam sua sponte in sues unquam migrarent et serpentes et canes. Imo nefas illas cogi, si ingenitæ sunt. Ingenitum enim ingenito simile est et par et idem, nec potestate aut dignitate alterum alteri præferatur; unde non multa sunt ingenita. Nam si quid inter illa discriminis foret, nunquam tamen hujus discriminis causam in-

vestigando reperias; sed cogitationem semper in infinitatem immittens, tandem in aliquo ingenito defessus hærebis, illudque omnium causam esse dices. An vero Platonem, aiebam, et Pythagoram hæc latuere, homines sapientes, qui nobis veluti murus et propugnaculum philosophiæ extitere?

VI. Nihil Platonem moror, inquit ille, nec Pythagoram, nec quemquam omnino, qui talia opinetur. Sic enim se veritas habet, idque inde perspicies. Anima vel vita est, vel vitam habet. Quod si vita est, aliud quidpiam vivere faciat, non seipsam; sicut et motus aliud quidpiam moveat potius quam seipsum. Animam autem vivere, nemo negaverit. Sed si vivit, non ideo vivit, quod vita sit, sed quod vitæ particeps. Aliud autem id quod alicujus est particeps, aliud id ipsum cujus est particeps. Vitæ autem anima est particeps, eo quod eam Deus vivere velit : sic etiam particeps aliquando non erit, cum eam Deus vivere nolet. Neque enim ut Dei, ita etiam animæ propria vita est. Sed quemadmodum homo non semper constat, neque perpetuo corpus cum anima conjunctum est; sed cum solvi oportet hanc harmoniam, relinquit corpus anima, nec jam exstat homo : sic etiam, cum animam non jam esse oportuerit, discedit ab ea spiritus vitalis, nec jam exstat anima, sed et ipsa unde educta est, eo revertitur.

VII. Quonam ergo jam quis, inquam, utatur magistro, aut unde adjuvetur, si ne isti quidem verum viderunt?

Extitere longe ab hoc tempore viri quidam istis omnibus, qui philosophi existimantur, antiquiores, beati et justi et Deo cari, qui Spiritu sancto afflante loquuti sunt, et futura vaticinati sunt, quæ quidem nunc fiunt : Prophetæ vocantur. Hi verum soli et viderunt, et hominibus nuntiarunt, neminem metuentes, neminem reveriti, nec gloriæ cupiditate victi, sed ea tantum prædicantes quæ audierant et viderant, Spiritu sancto repleti. Exstant adhuc eorum

scripta, quæ si quis legat plurimum inde et ad principiorum et ad finis et ad eorum quæ philosophus scire debet, cognitionem adipisci poterit, fidem illis habens. Neque enim tunc demonstrationibus in disserendo utebantur; quippe cum supra demonstrationem omnem gravissimi testes fuerint veritatis : sed quæ evenerunt et eveniunt, assentiri cogunt eorum vaticiniis. Quamquam vel ob miracula quæ ediderunt, digni fuere quibus crederetur; siquidem creatorem universorum Deum et patrem celebrabant, et missum ab eo Christum, qui Filius ejus est, hominibus nuntiabant; quod quidem falsi prophetæ, mendaci et impuro spiritu repleti, nec fecere, nec faciunt, sed quædam prodigia edere audent ad percellendos homines, ac spiritus erroris et dæmonia celebrant. Tu vero ante omnia precare lucis portas tibi aperiri; neque enim hæc quisquam perspicere et intelligere possit, nisi cui Deus intelligere dederit et Christus ejus.

VIII. Hæc ille et multa alia cum dixisset, quæ referre non est hujus temporis, abiens præcepit ut ea meditando persequerer; neque eum amplius vidi. Mihi vero statim in animo ignis accensus est, meque amor invasit Prophetarum et hominum illorum qui Christi sunt amici. Cumque illius sermones apud animum proponerem, hanc solam reperiebam philosophiam, quæ quidem tuta et utilis foret. Ad hunc ego modum atque hac de causa philosophus. Vellem equidem ut omnes rationem meæ similem ineuntes a Salvatoris doctrina non aberrarent. Habet enim in se terribilem quamdam majestatem, et ad eos permovendos idonea est qui de recta via deflexerunt : his autem qui eam meditantur, suavissima est requies. Si qua ergo tui ipsius cura tangeris, si salutis cupidus es, ac Deo confidis; licet tibi, utpote ab ipsa re non alieno, ubi Christum agnoveris ac mysteriis initiatus fueris, beate vivere.

speretis tamen aliquid boni a Deo consequuturos, non observatis ejus mandatis. An non legisti deletum iri animam illam ex genere suo, quæ non circumcidetur octavo die? Quod quidem pariter et de alienigenis et de pretio emptis sancitum est. Hoc igitur testamentum statim contemnentes, etiam quæ consequuntur floccifacitis, ac nobis persuadere conamini Deum vobis notum esse, cum nihil eorum faciatis quæ solent ii qui Deum timent. Si potes igitur his de rebus satisfacere ac demonstrare quo tandem pacto quidquam speretis, quamvis legem non custodiatis; id ex te libentissime audiemus, ac cætera similiter una excutiemus.

XI. Nec alius unquam erit Deus, o Trypho, nec alius a sæculo extitit (ita ego ad illum) præter eum qui hanc universitatem fecit ac disposuit. Neque alium nobis, alium vobis Deum esse ducimus, sed ipsum illum qui patres vestros eduxit e terra Ægypti in manu potenti et brachio excelso. Neque in alium quemquam speramus (non enim alius est) sed in eum in quem et vos, Deum Abrahæ et Isaac et Jacob. Speramus autem non per Moysen, neque per legem; sic enim idem ac vos faceremus. Nunc vero (legi enim, Trypho, novissimam legem futuram et testamentum omnium firmissimum, quod nunc custodiri ab omnibus decet quicumque hæreditatem Dei consequi volunt. Nam quæ in Oreb promulgata lex est, vetus jam et vestra *solum* est; hæc autem omnium prorsus est : lex autem adversus legem posita priorem abrogat; similiter testamentum posterius superiori finem imponit, ac æterna nobis et novissima lex Christus datus est, et testamentum fidele, post quod non lex, non præceptum, non mandatum. An tu ea non legisti quæ dicit Esaias : « Audite me, audite me populus meus, et » reges auscultate mihi : quoniam lex a me exibit et judi» cium meum in lucem gentium. Appropinquat celeriter » justitia mea, et egredietur salutare meum, et in brachium

» meum gentes sperabunt[1]. » Et per Jeremiam de hoc ipso testamento sic loquitur : « Ecce dies veniunt, dicit Domi-» nus, et testabor domui Israel et domui Juda testamentum » novum : non quod testatus sum patribus eorum in die qua » apprehendi manum ipsorum, ut educerem eos de terra » Ægypti[2]. ») Si ergo novum testamentum Deus institutum iri prædicavit, illudque in lucem gentium; videmus autem ac persuasum habemus per nomen ipsius crucifixi Jesu Christi, a simulacris et ab alia nequitia homines ad Deum accedere, ac ne morte quidem proposita a confessione et pietate discedere; cum ex operibus, tum ex consequentibus miraculis licet omnibus intelligere hunc esse novam legem, et novum testamentum et exspectationem eorum qui ex omnibus gentibus a Deo bona exspectant. Verum enim Israeliticum, spiritale, et Judæ genus, et Jacob et Isaac et Abraham, cujus in præputio fidem testimonio suo comprobavit Deus, eique benedixit, ac patrem multarum gentium vocavit; nos, inquam, hoc genus sumus, qui ad Deum per hunc crucifixum Christum perducti sumus, quemadmodum et oratione nobis procedente demonstrabitur.

XII. Dicebam etiam et proferebam quod alio loco clamat Esaias : « Audite verba mea et vivet anima vestra, et » testabor vobis testamentum sempiternum, sancta Davidis » fidelia. Ecce testem populis dedi eum. Gentes quæ non » noverunt te, invocabunt te : populi qui nesciunt te, con-» fugient ad te, propter Deum tuum sanctum Israelis, quo-» niam glorificavit te[3]. » Hanc ipsam legem contumelia affecistis, ac novum illius sanctum testamentum floccifecistis, ac ne nunc quidem recipitis, nec prave factorum pœnitentiam agitis : « Adhuc enim aures vestræ obturatæ sunt, et » oculi vestri obcæcati, et incrassatum est cor vestrum[4]. »

[1] Esai. LI, 4, 5. — [2] Jerem. XXXI, 31, 32. — [3] Esai. LV, 3. — [4] Esai. VI, 10.

Exclamat Jeremias, ac ne sic quidem auditis : adest legislator, nec videtis : pauperes Evangelium suscipiunt, cæci vident; nec intelligitis. Altera jam opus est circumcisione; vos autem in carne plurimum gloriamini. Præcipit nova lex, ut perpetuum sabbatum celebretis : vos autem quod inertes estis per unum diem, pii vobis esse videmini, non intelligentes cur id vobis præscriptum sit : et panem absque fermento si edatis, a vobis divinam voluntatem impletam dicitis. Non hæc Domino Deo nostro placent. Si quis in vobis est perjurus aut fur, desinat; si quis mœchus, pœnitentiam agat : et suavissima ac vera Dei sabbata celebravit. Si quis puras manus non habet, lavet, et purus est.

XIII. Neque enim vos ad balneum misit Esaias, ut ibi cædem et alia peccata ablueretis, quos expurgare ne tota quidem maris aqua idonea sit. Sed, ut par est, jam tum ipsum illud lavacrum salutare prædicabat, quod eorum est qui pœnitentiam agunt, nec jam hircorum et ovium sanguine expiantur, aut vitulæ cinere, similæve oblationibus, sed fide per sanguinem Christi et mortem ejus, qui ea ipsa de causa mortuus est, quemadmodum ait Esaias his verbis : « Revelabit Dominus brachium sanctum suum in conspectu » cunctarum gentium : et videbunt omnes gentes et terræ » fines salutem quæ est a Deo. Recedite, recedite, recedite, » egredimini inde et immundum nolite tangere : *exite de* » medio ejus : separamini, qui portatis vasa Domini; quia » non in tumultu ambulatis. Præcedet enim ante faciem » vestram Dominus; et colliget vos Dominus Deus Israel. » Ecce intelliget puer meus, et exaltabitur et glorificabitur » valde. Sicut stupebunt super te multi, sic inglorià erit ab » hominibus species et gloria tua. Sic mirabuntur gentes » multæ super eo : et continebunt reges os suum : quia » quibus non est annuntiatum de eo, videbunt; et qui non » audierunt, intelligent. Domine, quis credidit auditui nos-

» tro? Et brachium Domini cui revelatum est? Annuntia-
» vimus, quasi parvulum in conspectu ejus : sicut radix in
» terra sitienti. Non est species ei, neque gloria : et vidimus
» eum, et non habebat speciem, neque decorem : sed spe-
» cies ejus inhonorata, et deficiens præ filiis hominum. Ho-
» mo in plaga positus, et sciens ferre infirmitatem : quia
» aversa est facies ejus, despecta, et non reputata. Iste pec-
» cata nostra portat, et pro nobis dolet, et nos reputavimus
» eum esse in labore et in plaga, et in afflictione. Ipse au-
» tem vulneratus est propter peccata nostra : et infirmatus
» est propter iniquitates nostras. Disciplina pacis nostræ
» super eum : livore ejus nos sanati sumus. Omnes quasi
» oves erravimus; homo in via sua erravit : et Dominus tra-
» didit eum propter iniquitates nostras : et ipse propter af-
» flictionem non aperit os suum. Sicut ovis ad victimam
» ductus est, et sicut agnus coram tondente mutus, sic non
» aperit os suum. In humilitate sua judicium ejus sublatum
» est. Generationem ejus quis enarrabit? Quia tollitur de
» terra vita ejus. Ab iniquitatibus populi mei ductus est
» ad mortem. Et dabo pessimos pro sepultura ejus, et di-
» vites pro morte illius. Qui iniquitatem non fecit, et non
» est inventus dolus in ore ejus : et Dominus vult mundare
» eum a plaga. Si datus fuerit pro peccato : anima vestra
» videbit semen longævum. Et vult Dominus auferre de
» dolore animam ejus, ostendere ei lucem, et formare in-
» telligentiam, justificare justum bene servientem multis;
» et peccata nostra ipse portabit : propterea ipse possidebit
» multos, et fortium dividet spolia; pro eo quod tradita est
» ad mortem anima ejus, et in iniquis reputatus est : et
» ipse peccata multorum tulit, et propter iniquitates eorum
» traditus est. Lætare sterilis, quæ non paris : erumpe, et
» clama, quæ non parturis : quia multi filii desertæ, quam
» ejus quæ habet virum. Dixit enim Dominus : Dilata lo-

» cum tabernaculi tui et tentoriorum tuorum fige : ne par-
» cas, protende funiculos tuos, et palos tuos conforta : a
» dextris et sinistris dilata. Et semen tuum possidebit gen-
» tes : et civitates desertas habitare facies. Noli timere, quia
» confusa es; neque confundaris, quia exprobratum tibi est.
» Confusionem enim æternam oblivisceris, et opprobrii vi-
» duitatis tuæ memor non eris ultra : quia Dominus fecit
» nomen sibi, et qui eruit te, ipse Deus Israel, omni terræ
» vocabitur. Tanquam mulierem derelictam et pusillanimem
» vocavit te Dominus, quasi mulierem ab adolescentia odio
» habitam[1]. »

XIV. Itaque per lavacrum pœnitentiæ et cognitionis Dei, quod pro peccatis populorum Dei institutum est, ut clamat Esaias, nos credidimus; et testamur ipsum illud ab eo prænuntiatum baptisma, quod solum pœnitentes expiare potest, hanc esse aquam vitæ. Quas autem vobis fodistis cisternas, eæ contritæ, ac vobis prorsus inutiles. Quæ enim utilitas illius baptismi, ex quo caro ac solum corpus splendescat? Baptizetur anima vestra ab iracundia et avaritia, ab invidia et odio; et ecce corpus purum est. Hanc enim habent panes azymi significationem, ut ne vetera mali fermenti opera peragatis. Vos autem omnia carnali modo intelligitis, ac pietatem putatis esse si, dum hæc facitis, dolo animi vestri et omni prorsus nequitia cumulati *sint. Quam*-obrem præcepit Deus, ut postquam septem diebus azymos panes comedistis, novum vobis fermentum subigeretis, hoc est, aliorum operum effectionem, non veterum et malorum imitationem. Ut autem pateat illud ipsum esse quod a vobis novus hic legislator postulat, recitata a me verba iterum referam, cum aliis quæ prætermissa fuerant. Sic autem ab Esaia proferuntur : « Exaudietis me; et vivet in bo-
» nis anima vestra, et constituam vobis testamentum æter-

[1] Esai. LII, 10.

» num, sancta David fidelia. Ecce testimonium gentibus » dedi eum, principem et præcipientem gentibus. Gentes » quæ nesciunt te, invocabunt te; et populi qui ignorant » te, ad te confugient: propter Deum tuum sanctum Israelis, » quia glorificavit te. Quærite Deum, et in inveniendo eum » invocate, quando vobis appropinquaverit. Relinquat im- » pius vias suas, et vir iniquus cogitationes suas, et con- » vertatur ad Dominum, et misericordiam consequetur: quia » multum dimittet peccata vestra. Neque enim sunt cogi- » tationes meæ sicut cogitationes vestræ, neque viæ meæ » sicut viæ vestræ: sed quantum abest cœlum a terra, tan- » tum abest via mea a via vestra, et cogitationes vestræ a » mente mea. Quomodo enim si descendat nix aut pluvia » de cœlo, et non revertatur, donec inebriet terram, et pro- » ducere ac germinare faciat, et det semen seminanti, et » panem ad comedendum; sic erit verbum meum, quod » exierit de ore meo: non revertetur, donec compleat quæ » volui, et prospera fecero præcepta mea. In lætitia enim » egrediemini, et in gaudio docebimini. Montes enim et » colles exilient exspectantes vos: et omnia ligna agrorum » applaudent ramis. Et pro stæba ascendet cyparissus; et » pro conyza ascendet myrtus. Et erit Dominus in nomen » et in signum sempiternum, et non deficiet[1]. » Ex his et aliis ejusmodi Prophetarum dictis, o Trypho, aiebam, alia in primum Christi adventum dicta sunt, in quo ingloriam et informem et mortalem speciem habiturus prædicatur: alia in alterum ejus adventum, cum in gloria ex nubibus aderit, videbitque populus vester, et agnoscet, in quem pupugerunt, quemadmodum Osee, unus duodecim Prophetarum, et Daniel prædixerunt.

XV. Verum igitur Dei jejunium discite observare, quem-

[1] Esai. LV, 3.

admodum ait Esaias, ut Deo placeatis. Ita autem exclamat Esaias : « Clama in fortitudine, et ne parcas : quasi tuba » exalta vocem tuam : et annuntia generi meo peccata eo» rum, et domui Jacob iniquitates eorum. Me de die in diem » quærunt, et scire vias meas volunt, quasi gens quæ jus» titiam fecerit, et judicium Dei non dereliquerit. Petunt » me nunc judicium justum, et appropinquare Deo cupiunt, » dicentes : Quare jejunavimus et non vidisti ? humiliavimus » animas nostras, et non cognovisti ? In diebus enim jeju» niorum vestrorum invenitis voluntates vestras, et omnes » subjectos vobis cæditis : ecce ad lites et jurgia jejunatis » et percutitis pugnis humilem; utquid mihi jejunatis, ut » hodie, ut audiatur in clamore vox vestra ? Non hoc jeju» nium elegi, ut in die humiliet homo animam suam; ne» que si incurvaveris quasi circulum collum tuum, et sac» cum et cinerem substraveris : nec sic vocabitis jejunium » et diem acceptum Domino. Non tale jejunium elegi, dicit » Dominus. Sed solve omnem colligaturam iniquitatis : dis» solve obligationes violentorum contractuum : dimitte frac» tos in remissionem, et omnem syngrapham iniquam discer» pe. Frange esurienti panem tuum : et pauperes sine tecto » indue in domum tuam : si videris nudum, operi : et domes» ticos seminis tui ne despexeris. Tunc erumpet matutinum » lumen tuum, et vestimenta tua cito orientur, *et præibit* » in conspectu tuo justitia tua, et gloria Dei circumdabit » te. Tum clamabis, et Deus exaudiet te ; adhuc loquente » te dicet : Ecce adsum. Si abstuleris a te colligationem, et » manuum complicationem, et verbum murmurationis, et » dederis esurienti panem ex anima tua, et animam humi» liatam saturaveris ; tunc orietur in tenebris lumen tuum, » et tenebræ tuæ erunt sicut meridies, et erit Deus tuus te» cum semper, et impleberis sicut desiderat anima tua : et » ossa tua pinguescent, et erunt ut hortus inebriatus, et

» fons undæ, aut terra cui aquæ non deficiunt[1]. » Circumcidamini igitur præputio cordis vestri, quemadmodum divinæ Scripturæ his omnibus verbis postulant.

XVI. Per Moysen quoque Deus ipse sic clamat : « Et » circumcidemini duritiem cordis vestri : et cervicem non » indurabitis. Quia Dominus Deus vester, ipse est Dominus » dominorum, Deus magnus et fortis, et terribilis, qui non » admiratur personam, neque accipiet munus[2]. » Et in Levitico : « Quoniam prævaricati sunt, et despexerunt me; et » quoniam ambulaverunt ex adverso mihi ad sinistram : ambulavi et ipse cum eis sinistre. Et perdam eos in terra » inimicorum eorum. Tunc confundetur cor eorum incircumcisum[3]. » Hæc enim ab Abrahamo accepta secundum carnem circumcisio in signum data est, ut ab aliis gentibus et a nobis discreti sitis, et soli patiamini quæ nunc merito patimini; atque ut regiones vestræ in solitudinem redigantur, et civitates in ignes considant, frugesque vestras inspectantibus vobis alieni consumant, nec quisquam vestrum Jerusalem ascendat. Nulla enim re alia a cæteris hominibus dignoscimini, nisi vestra in carne circumcisione. Neminem enim vestrum fore arbitror qui negare audeat præscium esse et fuisse futurorum Deum, ac digna cuique præmia præparare. Recte igitur et merito hæc vobis evenerunt. Occidistis enim Justum et ante eum prophetas ejus; et nunc eos qui sperant in illum et in summum regem et creatorem universorum Deum, a quo missus est, aspernamini et quantum in vobis est afficitis contumelia, diris voventes in synagogis vestris eos qui in Christum credunt. Neque enim ea vobis adest potestas, ut manus nobis inferatis, propter eos qui nunc rerum potiuntur : quoties autem adfuit, rem confecistis. Propterea Deus ad vos clamat per Esaiam prophetam, his verbis : « Videte quomodo periit justus, et nemo

[1] Esai. LVIII, 1. — [2] Deut. X, 17. — [3] Levit. XXVI, 40.

» considerat. A facie iniquitatis sublatus est justus. Erit in » pace sepultura ejus; sublatus est e medio. Vos autem huc » prodite filii iniqui, semen adulterorum et filii fornicariæ. » In quo lusistis, et super quem os aperuistis, et super quem » linguam laxastis [1]?

XVII. Non enim injuriæ nobis et Christo illatæ tanta in aliis gentibus culpa residet, quanta in vobis, qui illis etiam anticipatæ de justo et de nobis, qui ab eo orti sumus, malæ opinionis auctores estis. Postquam enim solum illum inculpatum et justum hominem, cujus vulneribus sanantur qui per eum ad Patrem accedunt, cruci affixistis; cum eum sciretis ex mortuis resurrexisse et in cœlum ascendisse, ut Prophetiæ futurum prædicebant, non modo pœnitentiam admissorum scelerum non egistis, sed etiam selectos viros tunc Jerosolymis in universum orbem misistis, impiam Christianorum hæresim prodiisse dicentes, eaque spargentes quæ in nos ab iis omnibus quibus noti non sumus, dicuntur. Itaque non vobis solum iniquitatis causa estis, sed aliis etiam omnibus prorsus hominibus : ac merito clamat Esaias : « Propter vos nomen meum blasphematur in » gentibus [2]. » Et : « Væ animæ ipsorum, propterea quod » consilium pravum ceperunt adversus seipsos, dicentes : » Vinciamus justum, quoniam inutilis nobis est. *Itaque* » fructus operum suorum comedunt : Væ iniquo! *mala se-* » cundum opera ipsius contingent ei [3]. » Et *rursus alibi :* « Væ qui trahunt iniquitates suas in funiculo longo, et » quasi loro jugi vitulæ iniquitates! Qui dicunt : Celeritas » ejus appropinquet, et veniat consilium sancti Israel, ut » cognoscamus. Væ qui dicunt malum bonum et bonum » malum : qui ponunt lucem tenebras, et tenebras lucem : » qui ponunt amarum dulce et dulce amarum [4]! » Itaque id vobis studio habuistis, ut in solam illam inculpatam et jus-

[1] Esai. LVII, 1. — [2] Esai. LII, 5. — [3] Esai. III, 9. — [4] Esai. V, 18.

tam lucem, quæ hominibus a Deo missa fuerat, acerba et tenebricosa et injusta in toto terrarum orbe jactarentur crimina. Importuna enim vobis esse visa est, cum apud vos clamaret : « Scriptum est : Domus mea, domus oratio- » nis est : vos autem fecistis illam speluncam latronum[1]. » Quinetiam mensas in templo nummulariorum evertit, et exclamavit : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ ! quia » decimatis mentam, et rutam, dilectionem autem Dei et » judicium non consideratis. Sepulcra dealbata, quæ foris » videntur speciosa, intus autem plena sunt ossibus mor- » tuis[2]. » Et ad Scribas : « Væ vobis, Scribæ ! quia claves ha- » betis, et ipsi non introitis : et introeuntes prohibetis; duces » cæci[3]. »

XVIII. Quoniam enim legisti, Trypho, ut ipse confessus es, quæ noster ille Salvator docuit ; non absurde mihi fecisse videor, ut brevia quædam illius oracula propheticis adjungerem. Lavamini igitur, ac nunc mundi estote, et auferte nequitias ab animabus vestris[4] : quemadmodum jubet Deus, ut hoc lavemini lavacro, et vera circumcisione circumcidamini. Nos enim hanc quoque carnis circumcisionem et sabbata et ferias omnes omnino observaremus, nisi cognitum nobis esset quam ob causam hæc vobis ipsis indicta sint, id est, propter iniquitates vestras et cordis duritiem. Nam si constanter omnia perferimus, quæcumque in nos homines et dæmones mali moliuntur, ita ut etiam inter horrendas res, mortem et supplicia, iis qui nos ita pertractant, misericordiam exhiberi precemur, nec cuiquam ne leviter quidem rependi velimus, ut nobis præcepit novus Legislator ; quomodo non ea etiam quæ nos nihil lædunt, carnis dico circumcisionem et sabbata et ferias, Trypho, observaremus ?

XIX. Hoc sane est in quo dubii merito hæreamus, cur

[1] Matth. XXI, 13. — [2] Matth. XXIII, 23. — [3] Luc. XI, 52. — [4] Esai. I, 16.

cum hæc perferatis, non etiam cætera omnia, de quibus nunc quærimus, observetis.

Neque enim necessaria est omnibus hæc circumcisio, sed vobis solis, ut, quemadmodum prædixi, ea patiamini quæ merito vestro patimini. Neque etiam inutilem illum baptismum cisternarum suscipimus; nihil enim est ad hunc vitæ baptismum. Ideo etiam exclamat Deus, quod dereliqueritis eum, fontem vivum, et foderitis vobismetipsis cisternas dissipatas, quæ non possunt continere aquam. Ac vos quidem qui carne circumcisi estis, indigetis nostra circumcisione; nos autem cum hanc habeamus, nihil ista opus habemus. Nam si esset necessaria, ut existimatis, non finxisset Deus Adamum cum præputio, nec Abelis dona respexisset, qui in carnis præputio victimas obtulit; nec ei placuisset in præputio Henoch, qui non est inventus, quia transtulit eum Deus. Loth incircumcisus ex Sodomis salvus evasit, angelis eum et Domino deducentibus. Noe principium generis, sed tamen una cum filiis incircumcisus in arcam ingressus est. Incircumcisus erat sacerdos altissimi Melchisedech, cui decimas obtulit Abraham, is qui primus carnis circumcisionem accepit, eique benedixit Melchisedech, cujus secundum ordinem Deus sacerdotem æternum a se institutum iri Davidis ore declaravit. Vobis igitur solis necessaria est hæc circumcisio, ut populus jam non esset populus, *nec gens jam esset gens*; quemadmodum ait Oseas unus ex duodecim Prophetis[1]. Nam justi omnes, quos modo recensui, quamvis sabbata non observarent, Deo placuere, ac post eos Abraham, ejusque posteri omnes usque ad Mosem, sub quo injustus populus vester et ingratus in Deum repertus est, conflato in solitudine vitulo. Unde accommodans se ad hunc populum Deus præcepit hostias offerri tanquam nomini suo, ne simulacra coleretis : quod ipsum tamen non

[1] Ose. 1, 9.

servastis, sed liberos vestros immolastis dæmoniis. Jussit etiam sabbatum observari, ut memoriam Dei teneretis : idque Scriptura divina sic declarat, « ut cognoscatis me esse » Deum redemptorem vestrum[1]. »

XX. Similiter mandavit, ut a cibis quibusdam abstineretis, ut etiam inter edendum et bibendum ante oculos haberetis Deum; quippe cum faciles sitis et proclives ad abjiciendam ejus cognitionem, quemadmodum et Moyses ait : « Edit et bibit populus et surrexit ad ludendum[2]. » Et rursum : « Edit Jacob et saturatus est et impinguatus, et recalcitravit dilectus : impinguatus est, incrassatus, dilatatus, » et dereliquit Deum factorem suum[3]. » Noe enim, homini justo, concessum esse a Deo, ut animatum omne, præter carnes in sanguine, hoc est suffocatum, ederet, narravit vobis Moyses in libro Genesis. Parante illo hæc verba objicere, *ut olera herbæ*, occupavi ego : Cur non illud, *ut olera herbæ*, eo sensu accipietis quo dictum est a Deo, scilicet Deum, quemadmodum herbas hominibus ad victum paraverat, ita animalia dedisse, ut carnem ederet? Sed quia quædam olera non edimus, propterea discrimen jam tum Noe præscriptum esse dicitis. Nequaquam ut exponitis, ita credendum. Primo enim olus omne herbam esse et manducari cum dicere et confirmare possim, in hoc non immorabor. Sed etsi olera herbæ discernimus, non omnia edentes, non idcirco quod impura aut immunda sint, non edimus, sed quod aut amara, aut lethifera, aut spinosa. Dulcia autem et ad alendum aptissima quæque et pulcherrima, sive sint maritima, sive terrestria, appetimus et sumimus. Sic etiam ut ab impuris et injustis et rapacibus abstineretis, præcepit vobis Deus per Moysem; quia tum cum manna ederetis in deserto, et miracula omnia vobis a Deo exhibita videretis, vitulum aureum conflastis et ad-

[1] Ezech. xx, 12. — [2] Exod. xxxii, 6. — [3] Deut. xxxii, 15.

orastis. Quapropter merito clamat indesinenter : « Filii in» sipientes, non est fides in ipsis[1]. »

XXI. Quod autem propter vestras ac patrum vestrorum iniquitates, in signum, ut jam dixi, sabbatum etiam a vobis Deus jussit observari, et alia præcepta imposuit, quodque significat se propter gentes, ne nomen suum apud eas profanaretur, aliquos omnino ex vobis vivos reliquisse, id vobis ipsa ejus verba demonstrare possunt. Ita autem sunt per Ezechielem expressa : « Ego Dominus Deus vester : in præ» ceptis meis ambulate, et justificationes meas custodite, et » in adinventionibus Ægypti ne commisceamini, et sabbata » mea sanctificate. Et erit signum inter me et vos ad scien» dum quia ego Dominus Deus vester. Et exacerbavistis » me, et filii vestri in præceptis meis non ambulaverunt, et » justificationes meas non custodierunt ad faciendum eas, » quas qui fecerit homo, vivet in eis, verum sabbata mea » violaverunt. Et dixi effundere furorem meum super eos in » deserto, complere iram meam super eos, et non feci, ut » nomen meum omnino non violaretur coram gentibus. » Eduxi eos in oculis earum. Et levavi manum meam super » eos in deserto, ut dispergerem in nationibus, et dissemi» narem eos in regionibus, eo quod justificationes meas non » fecerant, et præcepta mea repulerant, et sabbata mea vio» laverant, et post cogitationes patrum suorum erant *oculi* » ipsorum. Et ego dedi eis præcepta non bona, et justifica» tiones, in quibus non vivent in eis. Et polluam eos in mu» neribus eorum, cum pertransibo, ut omne adaperiens vul» vam aboleam[2]. »

XXII. Atque ut perspiciatis, propter peccata populi vestri et simulacrorum cultus, præcepisse illum similiter ut dona offerrentur, non autem quod iis indigeret; audite quid de his dicat per Amos unum ex duodecim clamans : « Væ de-

[1] Deut. xxxii, 6, 20. — [2] Ezech. xx, 19.

» siderantibus diem Domini! Ut quid hæc vobis dies Domini?
» Et ea est tenebræ, et non lux. Quomodo cum fugiat homo
» a facie leonis, et obviam ei fiat ursus, et introeat in do-
» mum suam, et innitatur manibus suis super parietem, et
» mordeat eum coluber. Nonne tenebræ dies Domini, et
» non lux, et caligo non habens splendorem illis? Odio
» habui, repuli festivitates vestras, et non olfaciam in con-
» ventibus vestris. Quia si obtuleritis mihi holocausta, et sa-
» crificia vestra; non suscipiam, et salutaris apparitiones
» vestras non respiciam. Aufer a me multitudinem carmi-
» num tuorum et psalmorum : organa tua non audiam. Et
» volvetur sicut aqua judicium, et justitia sicut torrens non
» vadosus. Numquid victimas et hostias obtulistis mihi in
» solitudine domus Israel? dicit Dominus. Et assumpsistis
» tabernaculum Moloch et fidus dei vestri Remphan, figuras
» quas fecistis vobis. Et transferam vos trans Damascum,
» dicit Dominus : Deus omnipotens nomen ei. Væ iis qui in
» deliciis versantur in Sion, et qui confidunt in monte Sa-
» mariæ! Qui nominati sunt in ducibus, vindemiarunt pri-
» mitias gentium : ingressi sunt sibi ipsis domus Israel.
» Transite omnes in Chalanen, et videte : ite inde in Amath
» magnam, et descendite inde in Geth alienigenarum, op-
» tima ex omnibus regnis his : si ampliores sunt termini eo-
» rum terminis vestris. Venientes in diem malum, appro-
» pinquantes, et tangentes sabbata mendacia; dormientes
» in lectis eburneis, affluentes deliciis in stratis suis : qui
» edunt agnos de gregibus, et lactentes vitulos de medio
» armentorum : qui applaudunt ad vocem organorum : quasi
» stantia putaverunt, et non quasi fugientia. Qui bibunt phia-
» lis vinum, et primis unguentis unguntur, et nihil patie-
» bantur super contritione Joseph. Quapropter nunc cap-
» tivi erunt in primo ordine optimatum alio transeuntium,
» et transmutabitur domicilium maleficorum : et tolletur

» hinnitus equorum ex Ephraim[1]. » Ac rursus per Jeremiam : « Congregate carnes vestras et victimas; et comedite. Quia non de victimis et libationibus præcepi patribus » vestris, quo die apprehendi manum eorum ut educerem » eos de terra Ægypti[2]. » Et rursum per Davidem in quadragesimo nono Psalmo sic loquutus est : « Deus deorum » Dominus loquutus est, et vocavit terram a solis ortu usque » ad occasum : ex Sion species decoris ejus. Deus manifeste » veniet, Deus noster, et non silebit. Ignis in conspectu ejus » ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida. Advocabit » cœlum sursum et terram discernere populum suum. Congregate illi sanctos ejus, qui disponunt testamentum ejus » super sacrificia : et annuntiabunt cœli justitiam ejus, quoniam Deus judex est. Audi populus meus, et loquar tibi; » Israel, et testificabor tibi. Deus, Deus tuus ego sum. Non » in sacrificiis tuis arguam te : holocausta autem tua in » conspectu meo sunt semper. Non accipiam de domo tua » vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quoniam meæ sunt » omnes bestiæ agri, pecora in montibus et boves. Cognovi » omnia volatilia cœli : et species agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi : meus est enim orbis terræ, et plenitudo ejus. Numquid manducabo carnes taurorum? aut » sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium » laudis : et redde Altissimo vota tua. Et invoca *me in die* » tribulationis : et eruam te, et honorificabis me. Peccatori » autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti » disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum. Si » videbas furem, currebas cum eo : et cum adultero portionem tuam ponebas. Os tuum abundavit malitia : et lingua » tua concinnabat dolositatem. Sedens adversus fratrem tuum » loquebaris : et adversus filium matris tuæ ponebas scan-

[1] Amos. v, 18. — [2] Jerem. vii, 21.

» dalum. Hæc fecisti, et tacui : suspicatus es me iniquitate » tibi fore similem. Arguam te, et statuam contra faciem » tuam peccata tua. Intelligite utique hæc, qui obliviscimini » Deum : ne quando rapiat, et non sit qui eripiat. Sacrifi- » cium laudis honorificabit me : et illic iter, quo ostendam » illi salutare meum [1]. » Itaque sacrificia nec a vobis recipit, neque ut iis indigens ab initio fieri præcepit, sed propter peccata vestra. Nam et ipsum templum, quod Jerosolymitanum dicitur, non ut eo indigens domum suam vel aulam appellavit; sed ut saltem ibi in eum intenti simulacra ne coleretis. Rem ita esse patet ex his Esaiæ verbis : « Qualem » domum ædificatis mihi, dicit Dominus? Cœlum mihi sedes » est, et terra scabellum pedum meorum [2]. »

XXIII. Quod si hæc profiteri nolimus, eveniet nobis ut in absurdas incidamus cogitationes, quasi non idem Deus fuerit temporibus Henoch et aliorum omnium, qui nec circumcisionem carnis habuere, nec sabbata et alia ejusmodi observarunt, quippe cum a Mose instituta fuerint; vel non eamdem justitiam ab omni semper hominum genere observari voluerit : quæ profecto profiteri ridiculum et stultum esse liquet. Sed eum qui semper idem est, hæc et alia ejusmodi propter peccatores profiteri præscripsisse, et perhumanum illum, et præscium, et nullius rei egenum, et justum et bonum pronuntiare est. Quod si hæc ita se non habent; respondete mihi, o viri, his de rebus, de quibus quærimus, quid sentiatis. Nemine respondente, Tibi ergo, Trypho, et iis qui proselyti esse voluerint, divinam doctrinam, quam ex illo viro audivi, prædicabo. Videtis ut elementa nec otientur, nec sabbata agant? Manete ut nati estis. Si enim nec ante Abraham circumcisione, nec ante Moysen sabbato, feriis et muneribus opus erat; neque etiam similiter opus est, postquam secundum voluntatem Patris

[1] Psal. XLIX, 1. — [2] Esai. LXVI, 1.

absque peccato ex virgine ab Abraham oriunda genitus e[x] Filius Dei Jesus Christus. Nam et ipse Abraham, cum i[n] præputio esset, propter fidem qua credidit Deo, justifica[tus] et benedictus est, ut Scriptura demonstrat. Circumcision[em] autem in signum, non ad justitiam accepit, ut Scriptu[ræ] et res ipsæ nos cogunt confiteri. Quocirca jure de popu[lo] illo dictum est animam quæ octavo die non circumcidetu[r] ex genere suo exterminatum iri. Nam quod genus muliebr[e] circumcisionem accipere non potest, id argumento est i[n] signum datam esse, non ut opus justitiæ. Sic enim Deu[s] mulieres fecit, ut quæ justitiam et virtutem spectant, ea pariter ipsæ quoque omnia observare possent. Ac speciem quidem carnis aliam maris, aliam feminæ creatam videmus; at neutrum ea causa justum aut injustum esse perspicimus, sed propter pietatem et justitiam.

XXIV. Atque illud quidem vobis poteram, viri, demonstrare, diem octavum, potius quam septimum, aliquid mysterii habuisse, quod per hæc a Deo promulgatum sit. Sed ne nunc in alios sermones digredi videar, intelligite quod clamo : Sanguis circumcisionis illius obsolevit, sanguini salutari credidimus : aliud nunc fœdus, alia ex Sion exivit lex. Jesus Christus omnes qui voluerint circumcidit, *ut* olim prædicatum fuit, cultris lapideis, ut fiat *gens justa*, populus servans fidem, retinens veritatis, *custodiens* pacem. Adeste mihi omnes qui timetis Deum, qui bona Jerusalem videre cupitis. Venite, accedamus ad lucem Domini : liberavit enim populum suum, domum Jacob. Venite omnes gentes. Conveniamus in Jerusalem, quæ non amplius expugnatur propter peccata populorum. « Manifestatus enim » sum his qui me non quærunt : inventus eis qui me non » interrogant, » clamat per Esaiam. « Dixi, Ecce ego adsum, » gentibus quæ non invocaverunt nomen meum. Expandi » manus meas tota die ad populum incredulum, et contradi-

centem, qui ambulabant in via non bona, sed post peccata » sua. Populus est qui exacerbat me in conspectu meo[1]. »

XXV. Nobiscum vel paululum loci etiam hæreditate accipere isti cupient qui seipsos justificant, seque filios Abrahæ esse dicunt : quemadmodum per Esaiam clamat Spiritus sanctus, velut ex persona eorum sic loquens : « Convertere » de cœlo, et vide de domo sanctuarii tui, et gloriæ. Ubi est » zelus tuus, et fortitudo? Ubi est multitudo misericordiæ » tuæ, quia sustinuisti nos, Domine. Tu enim es pater noster : quia Abraham non cognovit nos, et Israel non cognovit nos. Sed tu, Domine pater noster, libera nos : a principio nomen tuum super nos est. Quare seduxisti nos, » Domine, de via tua? indurasti corda nostra, ne timeremus » te? Convertere propter servos tuos, propter tribus hæreditatis tuæ : ut modicum hæreditate accipiamus de monte » sancto suo. Facti sumus quasi a principio, cum non dominareris nostri, neque invocatum esset nomen tuum super nos. Si aperueris cœlum, tremor apprehendet ex te » montes; et liquescent, sicut cera a facie ignis liquescit : » et comburet ignis adversarios, et manifestum erit nomen » tuum in adversariis : a facie tua gentes turbabuntur. Cum » feceris gloriosa, tremor apprehendet ex te montes, A sæculo non audivimus : neque oculi nostri viderunt Deum » præter te, et opera tua, quæ facies, nempe pœnitentiam » agentibus, misericordiam. Occurret facientibus justitiam : » et viarum tuarum recordabuntur. Ecce tu iratus es : et nos » peccavimus. Idcirco erravimus, et facti sumus quasi immundi omnes, et ut pannus sedentis omnis justitia nostra. » Et defluximus quasi folia propter iniquitates nostras, sic ventus auferet nos : et non est qui invocet nomen tuum, et qui » recordatus apprehendat te : quoniam avertisti faciem tuam » a nobis, et tradidisti nos propter peccata nostra. Etiam

[1] Esai. LXV, 1.

» nunc convertere, Domine, quia populus tuus omnes nos : » civitas sancti tui facta est deserta : Sion quasi solitudo facta » est : Jerusalem in maledictionem : domus, sanctuarium » nostrum, et gloria, cui benedixerunt patres nostri, facta » est igni combusta : et omnes gloriosæ gentes simul irrue» runt. Et super his sustinuisti, Domine, et tacuisti, et hu» miliasti nos valde[1]. »

Ac Trypho : Quid est quod ais? neminem nostrum hæreditate quidquam accepturum esse in monte sancto Dei?

XXVI. Et ego : Non hoc dico : verum, qui Christum persequuti sunt et persequuntur, atque pœnitentiam non agunt, nullam capient in monte sancto hæreditatem. Gentes autem quæ in illum crediderint et pœnitentiam egerint a peccatis, ipsæ hæreditatem habebunt cum Patriarchis et Prophetis, et justis quicumque a Jacobo prognati sunt, etiamsi sabbata non servent, neque circumcidantur, neque dies festos celebrent. Omnino sanctam Dei hæreditatem adibunt. Deus enim per Esaiam ita loquitur : « Ego Dominus Deus vocavi » te in justitia : et tenebo dexteram tuam, et confortabo te : » et dedi te in testamentum generis, in lucem gentium, ad » aperiendum oculos cæcorum, ad educendum de vinculis » vinctos, et de domo carceris sedentes in tenebris[2]. » Et iterum : « Levate signum in gentes : ecce enim Dominus » fecit auditum usque ad extremum terræ. *Dicite filiabus* » Sion : Ecce tibi salvator venit, habens mercedem suam, » et opus a facie sua : et vocabit eum populum sanctum, » redemptum a Domino. Tu autem vocaberis requisita civi» tas, et non derelicta. Quis est iste qui venit de Edom, » rubor vestium ejus de Bosor? iste formosus in stola, as» cendens violenter cum fortitudine? Ego loquor justitiam » et judicium salutaris. Quare rubra sunt vestimenta tua, » et indumenta tua veluti a torculari calcato, uvæ calcatæ

[1] Esai. LXIII, 5. — [2] Esai. XLII, 6.

» plenus? Torcular unus ipse et solus calcavi, et de gentibus » non est vir mecum : et conculcavi eos in furore : et con» fregi eos, quasi terram : et deduxi sanguinem eorum in » terram. Dies enim retributionis venit eis, et annus re» demptionis adest. Et aspexi, et non erat auxiliator : et con» sideravi, et nullus præbebat auxilium. Et eruit brachium, » et furor meus advenit : et conculcavi eos in ira mea, et » deduxi in terram sanguinem eorum[1]. »

XXVII. Hic Trypho : Cur quæ placent ex propheticis sermonibus selecta recitas; quæ vero nominatim sabbatum observare jubent, eorum non meministi? Sic enim per Esaiam dictum est : « Si averteris pedem tuum in sabbatis, » ut non facias voluntates tuas in die sancto, et vocaveris » sabbata delicata sancta Dei tui; si non moveris pedem » tuum ad opus, nec loquutus fueris verbum ex ore tuo : et » Domino confides, et perducet te ad bona terræ, et pascet » te hæreditate Jacob patris tui. Os enim Domini hæc lo» quutum est[2]. »

Tum ego : Non quod mihi adversentur ejusmodi prophetiæ, eas, amici, prætermisi; sed quod intellexeritis et intelligatis, etiamsi Deus vobis per omnes Prophetas eadem præcipiat facienda, quæ et per Moysen præcepit, idcirco eadem illum semper clamare, propter duritiam cordis vestri, et ingrati in illum animi vitium; ut hoc saltem modo pœnitentiam aliquando agentes ei placeatis, nec filios vestros dæmoniis immoletis, nec furum participes sitis, diligentes munera, persequentes retributionem, pupillis non judicantes, et judicio viduæ animum non advertentes; denique ut nec manus plenas sanguine habeatis. « Nam et » filiæ Sion extento ingressæ sunt collo, et nutibus oculo» rum colludentes, et tunicas trahentes[3]. Omnes enim de» clinaverunt, clamat Scriptura, omnes certe inutiles facti

[1] Esai. LXII, 10. — [2] Esai. LVIII, 13. — [3] Esai. III, 16.

» sunt : non est qui intelligat, non est usque ad unum.
» Linguis suis dolose egerunt : sepulcrum patens guttur
» eorum, venenum aspidum sub labiis eorum : contritio et
» calamitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt[1]. »
Quemadmodum ergo hæc ab initio propter nequitiam vestram præscripserat ; sic etiam propter vestram in ea perseverantiam, vel potius animi intensionem, per eadem vos Deus ad recordationem sui et cognitionem vocat. Vos autem populus duri cordis et insipiens, et cæcus et claudus, et filii quibus non est fides in ipsis, quemadmodum ipse ait[2], labiis tantum illum honorantes, corde autem longe ab eo remoti[3], propriam vestram, non illius doctrinam docentes. Siquidem, dicite mihi, voluitne Deus pontifices peccare, dum sabbatis munera offerunt; aut eos qui circumciduntur et circumcidunt die sabbati, dum jubet omnino die octavo natos pueros pariter circumcidi, etiamsi dies sabbati fuerit? An non poterat uno ante vel post sabbatum die natos pueros circumcidere, si id nefas esse die sabbati ducebat? Aut qui justi ante Moysen et Abraham appellati sunt, eique accepti extitere, cum nec circumcisi essent præputio, nec sabbata observarent, cur eos hæc facere non docebat?

XXVIII. Ad hæc Trypho : Jam ex te audivimus, cum id proponeres, et animum advertimus; digna enim res est, ut vere dicam, animadversione. Neque idem mihi, quod multis, dicendum videtur, ita illi visum esse; hoc enim semper effugium est iis qui rei quæsitæ respondere non possunt.

Hic ego : Quandoquidem ex Scripturis et ex ipsis rebus demonstrandi et disserendi rationem deduco, aiebam; ne differatis, neve dubitetis mihi, homini incircumciso, credere. Breve enim hoc vobis relinquitur ad nos accedendi tempus. Si Christus venire occupaverit, frustra vos pœni-

[1] Psal. XIII, 4. — [2] Deut. XXXII, 20. — [3] Esai. XXIX, 13.

ebit, frustra plorabitis; neque enim vos exaudiet. « Novate » vobis novalia, clamat populo Jeremias, et nolite serere » super spinas. Circumcidimini Domino, et circumcidite » præputia cordis vestri[1]. » Ne ergo seratis super spinas, et terram non aratam ex qua fructus nobis non est. Cognoscite Christum : et ecce novale pulchrum, pulchrum et pingue in cordibus vestris. « Ecce enim dies veniunt, dicit Domi- » nus, et visitabo super omnes qui circumcisi sunt præputia » sua; super Ægyptum et super Judam, et super Edom, et » super filios Moab. Quia omnes gentes incircumcisæ, et » omnis domus Israel incircumcisa cordibus suis[2]. » Videtis ut Deus hanc circumcisionem in signum datam respuat? Neque enim Ægyptiis prodest, nec filiis Moab, nec filiis Edom. At etiamsi quis Scytha sit aut Persa, modo habeat Dei cognitionem et Christi ejus, ac æterna jura custodiat, circumcisus præclara et utili circumcisione, ac Deo amicus est, ejusque dona et munera Deo grata sunt. Proferam vobis, amici, ipsius etiam Dei verba, cum populum per Malachiam, unum ex duodecim Prophetis, alloquutus est. Sic autem se habent : « Non est voluntas mea in vobis, dicit » Dominus, et sacrificia vestra non suscipio de manibus » vestris : propterea quod ab ortu solis usque ad occasum » nomen meum glorificatum est in gentibus, et in omni loco » sacrificium offertur nomini meo et sacrificium purum : » quia honoratur nomen meum in gentibus, dicit Dominus, » vos autem illud profanatis[3]. » Et per Davidem ait : « Po- » pulus quem non cognovi servivit mihi : in auditu auris » obedivit mihi[4]. »

XXIX. Glorificemus Deum una congregatæ gentes, quod nos quoque inviserit. Glorificemus eum per Regem gloriæ, per Dominum virtutum. Beneplacitum est enim illi etiam super gentes, ac victimas a nobis accipit libentius quam a

[1] Jerem. IV, 3. — [2] Jerem. IX, 25. — [3] Malach. I, 10. — [4] Psal. XVII, 44.

vobis. Quid igitur mihi adhuc opus est circumcisione, qui Dei testimonio comprobatus sum? Quis usus hujus baptismatis, qui Spiritu sancto baptizatus sum? Videor mihi hæc edisserens, iis etiam qui parum intelligentia præditi sunt, persuasurus. Neque enim hæc verba a me composita sunt, aut humana arte exornata; sed ea David psallendo cecinit, Esaias evangelizavit, Zacharias promulgavit, Moyses scripsit. Agnoscis ea, Trypho? Consignata sunt litteris vestris, vel potius non vestris, sed nostris. Nos enim iis adhæremus: vos autem legendo sententiam non perspicitis. Ne sit igitur vobis molestum, nec in probri loco nobis objiciatis corporis præputium, quod Deus ipse formavit : neque etiam quod calidam sabbatis bibamus, grande piaculum existimetis; siquidem Deus mundum perinde hoc etiam die ac cæteris omnibus gubernat: pontifices quoque, ut cæteris diebus, ita etiam isto jussi sunt muneribus offerendis operari : denique tot justi homines, cum nullum ex his legis institutis observassent, ipsius Dei testimonio comprobati fuere.

XXX. Sed nequitiæ vestræ adscribite, quod etiam calumniis Deus appeti possit ab hominibus mente captis, quasi non eamdem semper omnes justitiam docuerit. Hæc enim instituta a ratione aliena nec Deo digna multis visa sunt, qui gratiam intelligendi non acceperunt, populum vestrum improbe agentem, ac animæ morbo laborantem, his *legibus* ad conversionem et pœnitentiam spiritus vocatum fuisse, ac æternam esse illam prophetiam, quæ post Mosis mortem prodiit. Atque id quidem per Psalmum dictum fuit, o viri. Hæc autem (judicia Domini) nobis, quibus sapientiam præstiterunt, dulciora super mel et favum videri ex eo perspicitur, quod ne morte quidem proposita adducamur ut nomen ejus abnegemus. Illud etiam manifestum omnibus est nos, qui in eum credimus, ab eo petere, ut *ab alienis*, id est, a nefariis et fallacibus spiritibus nos custodiat, quem-

admodum prophetiæ sermo ex persona unius eorum qui in illum credunt, figurate declarat. Nam ut a dæmoniis servemur, quæ a Dei cultu aliena sunt, quæque olim adorabamus, Deum semper per Jesum Christum obsecramus, ut postquam per eum ad Deum conversi fuimus, inlaminati simus. Adjutorem enim et redemptorem eum vocamus: cujus quidem vel nominis potentiam dæmonia ipsa perhorrescunt; ac hodie per nomen Jesu Christi, qui sub Pontio Pilato Judææ præside crucifixus fuit, adjurata subjiciuntur. Ex quo omnibus patet tantam ei datam a Patre potestatem, ut nomini ejus et passionis dispensationi etiam dæmonia subjiciantur.

XXXI. Quod si potentiam quæ ejus passionis dispensationem consequuta est et consequitur, tantam esse demonstratur; quanta tandem ea futura est in glorioso ejus adventu! Veniet enim tanquam filius hominis ex altis nubibus, ut Daniel declaravit, angelis cum eo advenientibus. Sunt autem hæc verba Danielis: « Aspiciebam donec throni po- » siti sunt, et antiquus dierum sedit, habens operimentum » veluti candidam nivem, et cæsaries capitis ejus quasi lana » munda: thronus ejus quasi flamma ignis: rotæ ejus ignis » urens. Fluvius ignis volvebatur, profluens a facie ejus. Mille » millia deserviebant ei: et dena millia denum millium assis- » tebant ei. Libri aperti sunt, et judicium sedit. Aspiciebam » super vocem sermonum grandium, quos cornu loqueba- » tur, et distenta est bestia, et interiit corpus ejus, et data » est in combustionem ignis. Et a reliquis etiam bestiis trans- » latus est principatus earum, et tempus vitæ bestiis con- » cessum usque ad certum diem et tempus. Aspiciebam in » visione noctis: et ecce cum nubibus cœli, quasi filius ho- » minis veniens, et usque ad antiquum dierum pervenit. Et » aderat in conspectu ejus; et qui assistebant adduxerunt » eum. Et data ei est potestas et dignitas regia, et gentes

» terræ per genera sua omnes et omnis gloria serviens. Et
» potestas ejus, potestas æterna : quæ non auferetur : et
» regnum ejus non interibit. Et horruit spiritus meus in
» habitu meo, et visiones capitis mei conturbabant me. Et
» accessi ad unum assistentium, et veritatem quærebam ab
» eo de omnibus his. Respondens autem ille dixit, et judi-
» cium sermonum declaravit mihi : Hæ bestiæ magnæ, qua-
» tuor sunt regna, quæ disperibunt a terra, et non susci-
» pient regnum usque in sæculum, et usque in sæculum
» sæculorum. Tunc accurate exquirere volui de quarta bes-
» tia, corrumpente omnia, et terribili admodum, cujus den-
» tes ferrei, et ungues ejus ænei, comedente et comminuente,
» et reliqua pedibus suis conculcante; et de decem corni-
» bus ejus in capite, et de uno quod succrevit, per quod ex
» prioribus tria protrusa sunt. Et cornu illud habebat oculos
» et os loquens grandia : et aspectus ejus excellebat alia. Et
» animadvertebam cornu illud bellum movere in sanctos, et
» fundere eos; donec venit antiquus dierum, et judicium de-
» dit sanctis Excelsi, et tempus advenit, et regnum obtinue-
» runt sancti Altissimi. Et dictum mihi est de quarta bestia:
» Regnum quartum erit in terra, quod longe superabit om-
» nia regna, et devorabit universam terram, et devastabit
» atque delebit eam. Et decem cornua, decem reges consur-
» gent, et alius post eos, atque is malis superabit priores,
» et tres reges humiliabit, et verba in Altissimum loquetur,
» et cæteros sanctos Altissimi evertet, et sumet sibi ut alte-
» ret dies et tempora. Et tradentur in manus ejus usque ad
» tempus et tempora, et dimidium temporis. Et judicium
» sedit, et principatum transferent, ut aboleant et disper-
» dant usque in finem. Et regnum, et potestas, et ampli-
» tudo locorum regnorum quæ sub cælo sunt, data est po-
» pulo sancto Altissimi, ut regnent regno sempiterno : et
» potestates omnes subjicientur et obedient ei. Huc usque

» finis verbi. Ego Daniel extasi circumdabar valde, et sermo » in me immutatus est, et verbum in corde meo servavi[1]. »

XXXII. Hic Trypho, quiescente me : Istæ nos, inquit, et aliæ ejusmodi Scripturæ, gloriosum cogunt et magnum exspectare eum qui regnum æternum ab antiquo dierum, tanquam filius hominis, accipit. Vester autem ille Christus, quem ita vocatis, inhonoratus et inglorius fuit, ita ut etiam in extremam illam, quæ in lege Dei sancitur, exsecrationem incurreret. Est enim in crucem actus.

Tum ego ad illum : Si Scripturæ, quas jam recitavi, non ejus speciem ingloriam fore et genus inenarrabile dicerent, ac pro morte ejus divites morte affectum iri, nosque ejus livore sanatum, ac ipsum tanquam ovem abductum iri; si non exposuissem duplicem illius adventum, alterum in quo punctus est a vobis, alterum in quo agnoscetis in quem pupugistis, et plangent tribus vestræ, tribus ad tribum, mulieres seorsum, et viri seorsum; obscura et incerta dicere viderer. Nunc vero in omni sermone ex sanctis apud vos et propheticis Scripturis omnem demonstrandi rationem instituo, sperans vestrum aliquem ex eo reperiri posse semine, quod per gratiam Domini Sabaoth reliquum ad salutem æternam factum est. Itaque ut et clarius vobis id, quod quærimus, fiat, afferam alia etiam verba a beato illo viro Davide pronuntiata, ex quibus Christum intelligetis a sancto prophetico Spiritu Dominum etiam vocari, et a Patre omnium Domino et terris revocari, et ad ipsius dextram collocari, donec Pater ponat inimicos scabellum pedum ejus. Quod quidem jam inde fit ex quo in cœlum ascendit redivivus ex mortuis Dominus noster Jesus Christus, currentibus ad finem temporibus, jamque eo pro foribus adstante, qui impia et nefanda in Altissimum loquuturus est; quem quidem tempus et tempora et dimidium temporis domi-

[1] Dan. VII, 9.

naturum Daniel declarat. Vos autem ignari quam sit permansurus diu, aliud existimatis. *Tempus* enim centum annos interpretamini. Quod quidem si ita est, hominem iniquitatis trecentos ad minimum et quinquaginta annos regnare oportet, ut id quod a sancto Daniele dictum est, *et tempora*, pro duobus tantum temporibus numeremus. Hæc autem omnia digrediens a proposito vobis dixi, ut tandem aliquando fidem habentes iis quæ in vos a Deo dicuntur[1], nempe vos esse filios insipientes, item his verbis : « Prop» terea apponam ut transferam populum hunc, et transferam » eos : et auferam sapientiam sapientum et intelligentiam » intelligentium ipsorum occultabo[2] : « desinatis et vos ipsos et eos qui vos audiunt in errorem inducere, et a nobis, quibus Christi gratia sapientiam præstitit, ediscatis. Sic autem se habent verba Davidis : « Dixit Dominus Domino meo : » Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabel» lum pedum tuorum. Virgam virtutis emittet tibi Dominus » ex Sion : et tu dominare in medio inimicorum tuorum. » Tecum principatus in die virtutis tuæ in splendoribus » sanctorum tuorum. Ex utero ante luciferum genui te. Ju» ravit Dominus et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in » æternum secundum ordinem Melchisedech. Dominus a » dextris tuis : confregit in die iræ suæ reges. Judicabit in » nationibus, implebit ruinas. De torrente in via *bibet, prop*» terea exaltabit caput[3]. »

XXXIII. Atque hunc quidem psalmum (sic enim pergebam) non ignoro ita a vobis exponi, ut in Ezechiam dictum esse audeatis dicere. Vos autem errore labi, protinus vobis ex verbis ipsis demonstrabo. Dictum est : « Juravit » Dominus et non pœnitebit eum. » Et : « Tu es sacerdos in » æternum secundum ordinem Melchisedech : » et quæ sequuntur, quæque præcedunt. Ezechiam autem nec sacer-

[1] Jerem. IV, 22. — [2] Esai. XXIX, 14. — [3] Psal. CIX, 1.

dotem fuisse, nec æternum Dei sacerdotem esse, ne ipsi quidem contra audebitis dicere : id vero de Jesu nostro dictum esse verba ipsa declarant; sed aures vestræ obturatæ et corda excæcata[1]. His enim verbis, « Juravit Dominus; et non pœnitebit eum; Tu es sacerdos in æternum » secundum ordinem Melchisedech, » jurejurando Deus propter incredulitatem vestram interposito, pontificem illum secundum ordinem Melchisedech esse declaravit : hoc est, quemadmodum Melchisedech sacerdos Altissimi fuisse a Moyse scriptus est, isque eorum qui in præputio sacerdos erat, ac Abrahamo decimas ipsi in circumcisione offerenti benedixit : sic Deus æternum suum Sacerdotem, qui et Dominus a Spiritu sancto vocatus est, eorum qui in præputio sacerdotem futurum, et circumcisos quoque ipsos ad eum accedentes, id est, in eum credentes et benedictionem ab eo quærentes, suscepturum et illis benedicturum declaravit. Primo autem humilem fore hominem, deinde exaltatum iri in extremo psalmo ostenditur : *De torrente* enim *in via bibet;* et simul : *Propterea exaltabit caput.*

XXXIV. Adhuc autem ut vobis persuadeam nihil vos Scripturarum intelligere, alium quoque psalmum Davidi a Spiritu sancto dictatum commemorabo, quem quidem in Salomonem, qui et ipse rex vester fuit, dictum esse contenditis : sed is quoque in Christum nostrum editus est. Vos autem ex æquivocis nominibus fucum vobis ipsi facitis, Ubi enim *lex Domini immaculata*[2] dicitur, legem intelligitis non illam quæ post Mosem futura erat, sed eam quæ per ipsum data est, quamvis Deus clamet se novam legem ac novum testamentum instituturum. Et ubi dicitur, « Deus » judicium tuum Regi da[3]; » quia rex fuit Salomon, psalmum in eum dictum esse vultis, quamvis psalmi verba diserte declarent eum editum fuisse in æternum Regem, id

[1] Esai. VI, 10. — [2] Psal. XVIII, 8. — [3] Psal. LXXI, 2.

21.

est, in Christum. Christus enim Rex et Sacerdos et Deus et Dominus et Angelus et homo et dux exercitus, et lapis et puer natus, ac primo perpessioni obnoxius, deinde in cœlum rediens, et rursus cum gloria veniens, ac regnum habens æternum prædicatus est; quemadmodum ex omnibus Scripturis demonstro. Ut autem id quod dico intelligatis, psalmi verba recitabo, quæ sic se habent : « Deus judicium tuum Regi » da, et justitiam tuam filio Regis : judicare populum tuum » in justitia, et pauperes tuos in judicio. Suscipiant mon- » tes pacem populo, et colles justitiam. Judicabit pauperes » populi, et salvos faciet filios pauperum, et humiliabit ca- » lumniatorem : et permanebit cum sole et ante lunam in » generationes generationum. Descendet sicut pluvia in vel- » lus, et sicut stilla destillans super terram. Orietur in die- » bus ejus justitia, et abundantia pacis, donec auferatur » luna. Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumi- » nibus usque ad terminos orbis terrarum. Coram illo pro- » cident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent. Reges » Tharsis, et insulæ munera offerent : reges Arabum et » Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges ter- » ræ, et omnes gentes servient ei : quia liberavit egenum a » potente et pauperem, cui non erat adjutor. Parcet inopi » et pauperi, et animas pauperum salvas faciet. Ex usura et » iniquitate redimet animas eorum : et honorabile nomen » ejus coram illis. Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ, » et orabunt de ipso semper : tota die benedicent ei. Et erit » firmamentum in terra : super summos montes extolletur : » super Libanum fructus ejus : et florebunt de civitate, si- » cut fœnum terræ. Erit nomen ejus benedictum in sæcula : » ante solem permanebit nomen ejus. Et benedicentur in » ipso omnes tribus terræ : omnes gentes magnificabunt » eum. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabi- » lia solus. Et benedictum nomen gloriæ ejus in æternum

» et in sæculum sæculi : et replebitur gloria ejus omnis » terra : fiat, fiat[1]. » Et in fine hujus, quem retuli, psalmi scriptum est : *Defecerunt hymni Davidis, filii Jessæ*. Ac regem quidem illustrem et magnum fuisse Salomonem, sub quo templum illud, quod vocatur Jerosolymitanum, constructum fuit, haud ignoro : sed nihil ex his quæ in psalmo dicuntur, illi contigisse liquet. Nam nec omnes reges eum adoraverunt, nec usque ad terminos orbis terrarum regnavit, nec inimici ejus, coram illo cadentes, terram linxerunt. Neque etiam dicere verebor, quæ ab eo facta in libris Regnorum scribuntur, nempe illum propter mulierem Sidonia simulacra coluisse. Quod quidem ut committant, minime adducuntur qui ex gentibus per Jesum crucifixum cognoverunt creatorem universorum Deum, sed cruciatum omnem et supplicium ad extremam usque mortem perferunt, ne aut simulacra colant, aut simulacris edant immolata.

XXXV. Tum Trypho : Ex his tamen, inquit, qui Jesum sese confiteri dicunt, et Christiani appellantur, multos esse audio, qui simulacris immolata manducent, seque nihil ex ea re lædi dictitent.

Tum ego sic respondi : Ex eo etiam, quod ejusmodi exstent homines, qui se esse christianos profiteantur, et Jesum, qui crucifixus est, Dominum et Christum confiteri, nec tamen illius doctrinam teneant, sed eam quæ est a spiritibus erroris; nos qui veræ ac puræ Jesu Christi doctrinæ discipuli sumus, firmiores in fide et constantiores fimus in spe ab eo nuntiata. Quæ enim in suo nomine eventura prædixit, ea oculis et effectu ad exitum perducta cernimus. Dixit enim : « Multi venient in nomine meo, extrinsecus » ovium pellibus induti, intus autem sunt lupi rapaces[2]. » Et : « Erunt schismata et hæreses[3]. » Et : « Cavete vobis a » pseudoprophetis, qui venient ad vos, extrinsecus induti

[1] Psal. LXXI, 2. — [2] Matth. VII, 15. — [3] 1 Cor. XI, 18.

» pellibus ovium, intus autem sunt lupi rapaces[1]. » Et : « Exsurgent multi pseudochristi, et pseudoapostoli, et mul- » tos fidelium seducent[2]. » Sunt igitur, amici, et fuerunt permulti, qui impia et nefanda dicere ac facere docerent, in nomine Jesu prodeuntes : suntque a nobis appellati ex eorum nomine a quibus secta quæque et opinio ortum habuit. Alii enim alio modo in Deum universorum, et in eum, quem venturum prædixerat, Christum, et in Deum Abrahæ et Isaac et Jacob blasphemias docent. Cum horum nemine communicamus, cum atheos et impios esse ac injustos et exleges sciamus, ac Jesum minime colere, sed verbis tantum confiteri. Atque illi quidem non secus ac qui in gentibus nomen Dei operibus manu factis inscribunt, ita christianos se esse dicunt, et nefandorum ac impiorum sacrificiorum participes fiunt. Nonnulli vocantur Marciani, alii Valentiniani, alii Basilidiani, alii Satorniliani, alii aliud vocabulum habent ex suæ quisque sectæ principe; quemadmodum, ut initio dixi, unusquisque eorum qui philosophari sibi videntur, acceptum a parente disciplinæ nomen illius philosophiæ quam sequitur, sibi ferendum existimat. Quamobrem cum ex his Jesum etiam eorum quæ post ipsum futura erant, præscium fuisse scimus, tum ex multis aliis quæ credentibus ac profitentibus eum esse Christum eventura prædixit. Nam quæcumque patimur dum a propinquis necamur, omnia nobis eventura prænuntiavit; ita ut facile pateat nullum ejus omnino reprehendi posse nec dictum nec factum. Quapropter et pro vobis et pro aliis omnibus hominibus qui nos oderunt, precamur, ut nobiscum resipiscentes, in eum, quem et opera et quæ etiamnum ejus nominis appellatione fiunt miracula, et doctrinæ sermones, et vaticinia de eo prænuntiata intaminatum ac in omnibus inculpatum declarant, Jesum Chris-

[1] Matth. XVIII, 7. — [2] Marc. XIII, 22; Matth. XXIV, 11.

tum, blasphemias non evomatis; sed in eum credentes, salutem in secundo ejus adventu, qui gloriosus futurus est, consequamini, ac æterno igne ab eo non damnemini.

XXXVI. Tum Trypho: Sint etiam ista ut dicis; fac Christum lapidem vocatum fuisse : fac prædictum esse eum passibilem futurum, et post primum ipsius adventum, in quo passibilem venturum oracula prænuntiaverant, gloriose rediturum ac judicem deinceps omnium, et æternum regem ac sacerdotem futurum. Utrum autem iste sit, de quo hæc prædicta sunt, demonstra.

At ego : Ut placet, Trypho, veniam in tempore et loco ad eas, quas petis, demonstrationes; sed nunc per te mihi liceat prius commemorare quas volo prophetias; ut Christum demonstrem et Deum et Dominum virtutum et Jacob per similitudinem vocari a Spiritu sancto, vestrosque interpretes, ut Deus clamat, insipientes esse[1], qui hæc in Christum dicta non esse contendant, sed in Salomonem, cum tabernaculum testimonii in templum a se ædificatum inferret. Est autem psalmus Davidis iste : « Domini est terra et » plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in » eo. Ipse super maria fundavit eum, et super flumina præ- » paravit eum. Quis ascendet in montem Domini? aut quis » stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo » corde, qui non accepit in vano animam suam, et non jura- » vit in dolo proximo suo. Hic accipiet benedictionem a Do- » mino, et misericordiam a Deo salvatore suo. Hæc est ge- » neratio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei » Jacob. Tollite portas principes vestras, et elevamini portæ » æternales, et introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? » Dominus fortis et potens in prælio. Tollite portas princi- » pes vestras, et elevamini portæ æternales : et introibit rex » gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum, ipse

[1] Jerem. IV, 22.

» est rex gloriæ[1]. » Dominum ergo virtutum Salomon non esse demonstravi; sed cum Christus noster ex mortuis resurrexisset, et in cœlum ascenderet, jubentur in cœlis ordinati a Deo principes aperire portas cœlorum, ut intret iste rex gloriæ, et ascendens sedeat ad dextram Patris, donec ponat inimicos scabellum pedum ejus, quemadmodum ex alio psalmo ostendimus. Nam cum cœli principes informi eum et ingloria et humili specie viderent, nec eum cognoscerent, ita percontabantur : *Quis est iste rex gloriæ?* Et respondet eis Spiritus sanctus aut Patris aut suo ipse nomine : *Dominus virtutum iste ipse est rex gloriæ.* Ac nec de Salomone, cujus adeo gloriosum exstitit regnum, nec de tabernaculo testimonii quemquam eorum qui ad portas templi Jerosolymitani excubabant, ausurum fuisse dicere, *Quis est iste rex gloriæ*, quilibet fatebitur.

XXXVII. In diapsalmate autem psalmi quadragesimi sexti hæc in Christum dicta sunt : « Ascendit Deus in jubilo, Dominus in voce tubæ. Psallite Deo *nostro*, psallite : psallite regi nostro, psallite. Quoniam rex omnis » terræ Deus : psallite intelligenter. Regnavit *Deus super* » gentes : Deus sedet super sedem sanctam suam. *Princi-* » pes populorum congregati sunt cum Deo *Abraham. Quo-* » niam Dei fortes terræ valde elevati sunt[2]. » Et in psalmo nonagesimo octavo exprobrat vobis Spiritus sanctus, et hunc quem non vultis regem esse, regem et dominum et Samuelis et Aaronis et Mosis et aliorum prorsus omnium esse declarat[3]. Sunt vero psalmi verba hæc : « Dominus » regnavit; irascantur populi : qui sedet super Cherubim, » commoveatur terra. Dominus in Sion magnus, *et excel-* » sus est super omnes populos. Confiteantur nomini tuo » magno : quoniam terribile et sanctum est, et *honor re-* » gis judicium diligit. Tu parasti directiones : judicium et

[1] Psal. XXIII, 1. — [2] Psal. XLVI, 6. — [3] Psal. XCVIII.

» justitiam in Jacob tu fecisti. Exaltate Dominum Deum » nostrum : et adorate scabellum pedum ejus, quoniam » sanctus est. Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus : et » Samuel inter eos qui invocant nomen ejus. Invocabant » (ait Scriptura) Dominum : et ipse exaudiebat eos : in » columna nubis loquebatur ad eos. Quia custodiebant tes» timonia ejus, et præceptum quod dedit illis. Domine » Deus noster, tu exaudiebas eos : Deus tu propitius fuisti » eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum. Exaltate » Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto » ejus : quoniam sanctus Dominus Deus noster. »

XXXVIII. Hic Trypho : Præclare faceremus, inquit, si magistris nostris morem gerentes, qui vestrum cuiquam venire in colloquium lege vetuerunt, ne horum quidem sermonum communionem tecum haberemus. Impie enim multa dicis, crucifixum illum persuadere nobis postulans cum Mose et Aarone versatum fuisse, et eos in columna nubis alloquutum; deinde hominem factum ac cruci affixum fuisse, et in cœlum ascendisse, ac rursus in terram venturum, eumdemque adorandum esse.

Tum ego sic respondi : Scio absconditam vobis esse, ut ait divinus sermo, magnam illam creatoris omnium et omnipotentis Dei sapientiam[1]. Quare misericordia in vos commotus, contentione omni allaboro, ut hæc nostra, quæ præter opinionem vestram dicuntur, intelligatis; vel saltem ego crimine vacem in die judicii. Adhuc enim audietis quæ ab opinione vestra magis remota videantur : sed ne turbemini; quin potius alacriores auditores et inquisitores manete, traditionem magistrorum vestrorum contemnentes : eo quippe nomine arguuntur a Spiritu sancto, quod intelligere non possint quæ a Deo docentur, sed sua magis docere studeant[2]. In psalmo igitur quadragesimo quarto hæc in Chris-

[1] Esai. XXIX, 14. — [2] *Ibid.*

tum similiter dicta sunt : « Eructavit cor meum verbum » bonum : dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus » scribæ velociter scribentis. Speciosus forma præ filiis ho» minum : diffusa est gratia in labiis tuis : propterea bene» dixit te Deus in æternum. Accingere gladio tuo super » femur tuum, potentissime. Specie tua, et pulchritudine » tua et intende, et prospere procede, et regna, propter » veritatem, et mansuetudinem et justitiam, et deducet te » mirabiliter dextera tua. Sagittæ tuæ acutæ, potentissime. » populi sub te cadent, in corde inimicorum regis. Sedes » tua Deus in sæculum sæculi : virga directionis, virga re» gni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propter» ea unxit te Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ parti» cipibus tuis. Myrrha et gutta, et casia, a vestimentis tuis, » a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te. Filiæ » regum in honore tuo. Astitit regina a dextris tuis, in ve» stitu deaurato, circumamicta, variegata. Audi filia, et vide, » et inclina aurem tuam : et obliviscere populum tuum et » domum patris tui. Et concupiscet rex decorem tuum : » quia ipse est Dominus tuus : et adorabunt eum. Et filiæ » Tyri in muneribus. Vultum tuum deprecabuntur divites » plebis. Omnis gloria filiæ regis intrinsecus, *in fimbriis* » aureis, circumamicta, variegata. Afferentur regi virgines » post eam : proximæ ejus afferentur tibi. Afferentur in læ» titia, et exsultatione : adducentur in templum regis. Pro » patribus tuis nati sunt tibi filii : constitues eos principes » super omnem terram. Recordabor nominis tui in omni » generatione et generatione : propterea populi confitebun» tur tibi in æternum, et in sæculum sæculi [1]. »

XXXIX. Nec quidquam mirum, aiebam, si nos quoque odistis, qui hæc intelligimus, et cordis vestri semper obdurescentis sententiam arguimus : nam et Elias de vobis cum

[1] Psal. XLIV, 1.

Deo agens hæc ait : « Domine, prophetas tuos occiderunt et » altaria tua subruerunt : et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam[1]. » Et ei respondetur : « Adhuc mihi » supersunt septem millia hominum, qui non flexerunt genu » coram Baal. » Quemadmodum igitur propter illa septem millia suam tum Deus iracundiam non emittebat; ita et nunc judicium nondum intulit, neque infert; quippe cum sciat adhuc quotidie nonnullos in nomen Christi sui institui, et ab erroris via discedere : qui quidem dona accipiunt, ut quisque dignus est, per hujus Christi nomen illuminati. Hic enim accipit spiritum sapientiæ, ille consilii, alius fortitudinis, alius curationis, alius præcognitionis, alius doctrinæ, alius timoris Dei.

Ad hæc Trypho : Volo, inquit, noveris te hæc dicentem desipere.

At ego ad illum : Audi, sodes, nec insanio, nec desipio. Sed prædictum est fore, ut Christus, postquam in cœlum ascendisset, nos ab errore captivos abduceret, ac dona nobis daret. Sunt autem hæc ipsa verba : « Ascendit in altum, » captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus[2]. » Nos igitur donis ab eo, qui in altum ascendit, Christo acceptis, vos « qui in vobis ipsis sapientes estis, et coram vobis » ipsis scientes[3], » ex propheticis sermonibus demonstramus desipere ac solis labiis Deum ejusque Christum colere. Nos autem, qui in omni veritate sumus instituti, et operibus et cognitione et corde ad mortem usque colimus. Forte autem idcirco etiam dubitatis hunc, quemadmodum declarant Scripturæ et quæ in omnium oculis posita sunt, et quæ in ejus nomine fiunt, Christum esse confiteri, ne vos insectentur principes, qui nefarii et fallacis spiritus, sive Serpentis, operatione eos qui nomen Christi confitentur, occidere

[1] 3 Reg. XIX, 14. — [2] Psal. LXVII, 19. — [3] Esai. V, 21.

et insectari non desinent, donec iterum adsit, et omnes destruat, et digna cuique præmia rependat.

Hic Trypho : Jam igitur, inquit, rationem nobis affer, cur iste, quem crucifixum esse dicis et in cœlum ascendisse, Christus sit Dei. Passibilem enim Christum in Scripturis prædicari, ac rursus cum gloria venturum, et æternum omnium gentium imperium, omnibus regnis ei subjectis, accepturum, satis ex Scripturis a te supra recitatis demonstratum est. Hunc autem ipsum esse nobis demonstra.

At ego : Id jam, viri, iis qui aures habent, demonstratum est, vel ex his ipsis quæ a vobis concessa sunt; sed ne me putetis hærere, nec ea etiam, quæ petitis, demonstrare posse; faciam id convenienti loco, ut pollicitus sum : nunc autem seriem institutæ orationis prosequor.

XL. Mysterium igitur agni, quem Pascha immolare præcepit Deus, figura erat Christi, cujus sanguine, pro fidei in eum suæ ratione, domos suas inungunt qui credunt in eum, id est, seipsos : nam illud plasma, quod Deus effinxit, nempe Adamum, domum fuisse afflati a Deo Spiritus, vos quoque omnes intelligere potestis. Hoc autem ipsum etiam præceptum ad tempus datum sic demonstro. Agnum Paschæ Deus alibi immolari non sinit, quam in loco in quo invocatum est nomen ejus; cum sciret venturos post Christi passionem dies, quibus urbs Jerusalem hostibus vestris traderetur, et omnes prorsus oblationes fieri desinerent. Atque hic agnus, quem totum assari præcipitur, supplicii crucis, per quam Christus erat passurus, symbolum erat. Agnus enim qui assatur, ad similitudinem figuræ crucis dispositus assatur; alterum enim veru ab infimis partibus ad caput usque recta transfigitur; alterum vero secundum scapulas, ad quod etiam manus agni suspenduntur. Atque etiam duo illi hirci, quos in jejunio similes offerri præscriptum erat, quorumque alter emissarius erat, alter offerebatur, dupli-

em Christi adventum nuntiabant : alterum, in quo eum el ut emissarium seniores populi vestri et sacerdotes eduxerunt, manusque ei injecerunt, et morte eum mulctarunt; Iterum vero, quia in eodem Jerosolymorum loco agnoscetis eum, quem contumelia affecistis, quique oblatio erat pro omnibus peccatoribus pœnitentiam agere volentibus, ac jejunium illud, quod dicit Esaias, observantibus, colligationes violentorum contractuum dissolvendo, ac cætera similiter tenendo, quæ, ab eo enumerata et a me recitata, ab his qui credunt in Jesum observantur. Hanc autem etiam duorum hircorum oblationem, qui in jejunio jussi erant offerri, similiter alibi quam Jerosolymis fieri, nefas fuisse scitis.

XLI. Similæ quoque oblatio, viri, aiebam, pro iis qui a lepra purgabantur, præscripta, figura erat panis eucharistiæ, quem Dominus noster Jesus Christus in recordationem passionis pro his qui ab omni pravitate purgantur susceptæ fieri præcepit; ut et simul gratias agamus Deo, tum quod mundum et omnia quæ in eo sunt, propter hominem creaverit; tum quod nos a nequitia, in qua fuimus, liberaverit, et principatus et potestates funditus profligaverit per eum qui de ejus voluntate passioni factus est obnoxius. Hinc de sacrificiis quidem quæ tunc a vobis offerebantur, sic Deus, ut jam dixi, per Malachiam unum ex duodecim, loquitur : « Non est voluntas mea in vobis, dicit » Dominus, et sacrificia non suscipiam de manibus vestris, » propterea quod ab ortu solis usque ad occasum nomen » meum glorificatum est in gentibus; et in omni loco offer» tur incensum nomini meo et victima pura : quoniam ma» gnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus. Vos » autem illud profanatis[1]. » De iis autem quæ in omni loco a nobis gentibus offeruntur ei, sacrificiis, hoc est, de pane

[1] Malach. I, 10.

» celsum. Et dixit Achaz : Non petam, neque tentabo Do» minum. Et dixit Esaias: Audite nunc domus David: Num» quid parum vobis est certamen præbere hominibus? et » quomodo Domino præbetis certamen? Propterea dabit » Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo in utero concipiet, » et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Bu» tyrum et mel comedet, antequam sciat aut præeligere » mala et eligere bonum; quoniam antequam cognoscat puer » bonum, vel malum, reprobat mala, eligendo bonum[1]. An» tequam sciat puer vocare patrem, aut matrem, tollet virtu» tem Damasci et spolia Samariæ coram rege Assyriorum[2], » et capietur terra, quam tu duriter feres a facie duorum » regum. Sed adducet Deus super te, et super populum » tuum, et super domum patris tui, dies qui necdum ve» nerunt super te, a die quo abstulit Ephraim a Juda, re» gem Assyriorum[3]. » Neminem sane in Abrahæ secundum carnem genere unquam extitisse, præter hunc Christum nostrum, qui ex virgine natus esset, aut natus diceretur, omnibus manifestum est. Sed quia vos ac magistri vestri asserere audetis non dictum esse in prophetia Esaiæ, « Ecce » virgo in utero habebit, *sed*, Ecce adolescentula in utero » concipiet et pariet filium; » et quia prophetiam ita exponitis, quasi in Ezechiam, qui rex vester fuit, dicta esset; conabor de hoc quoque contra vos pauca disserere; *et in* hunc, quem Christum esse confitemur, dictam demonstrare.

XLIV. Sic enim omnino, quantum ad vos attinet, innocens reperiar, si demonstrationibus adhibendis in id incumbam, ut vobis persuadeam. Sin autem in cordis duritia permanentes, aut animo infirmi ob sancitam in Christianos mortem, veritati nolueritis assentiri; manifestum erit vos mali auctores esse vobismetipsis. Ac vos quidem ipsi decipitis, qui eo quod semen Abrahæ sitis secundum carnem,

[1] Esai. VII, 10, — [2] Esai. VIII, 4. — [3] Esai. VII, 16.

omnino bonorum, de quibus nuntiatum est fore ut a Deo per Christum dentur, hæreditatem accepturos putetis. Nemo enim, ne ex illo quidem semine, quidquam accipere potest, præter eos qui animo assimilati fuerint Abrahæ fidei, et mysteria omnia agnoverint, id est, alia quædam præcepta ad Dei cultum et justitiæ observationem esse data; alia autem præcepta et opera, vel ad Christi mysterium, vel ob duritiam cordis populi vestri similiter esse descripta. Atque ita sese rem habere Deus apud Ezechielem pronuntiat in hæc verba : « Si Noe et Jacob et Daniel depoposcerint vel » filios, vel filias, non dabitur eis[1]. » Et apud Esaiam in hanc ipsam sententiam ita loquitur : « Dixit Dominus Deus : » Et egredientur et videbunt membra prævaricatorum ho» minum. Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non » extinguetur, et erunt in spectaculum omni carni[2]. » Quapropter hanc spem ex animis vestris recidentes elaborare oportet, ut cognoscatis quanam via ad remissionem peccatorum et spem hæreditatis promissorum bonorum perveniatis. Alia autem non est, nisi hæc, ut hunc Christum agnoscentes, ac illo ad peccatorum remissionem baptismo, quem Esaias prædicavit, abluti, sine peccato deinceps vivatis.

XLV. Tum Trypho : Etsi, inquit, ea videor interpellare quæ ad pertractandum necessaria edisseris, urgente tamen ea quæstione, quam volo ponere, fac primum ut me perferas.

Tum ego : Quidquid placuerit interroga, ut in mentem veniet : nam etiam post interrogata et responsa orationem resumere conabor et absolvere.

At ille : Dic mihi igitur, inquit, qui secundum præscripta legis per Mosem institutæ vixerunt, utrum ii necne similiter ac Jacob, Henoch et Noe in resurrectione mortuorum vivent?

Et ego ad illum : Cum ea protuli, Trypho, quæ ab Eze-

[1] Ezech. XIV, 20. — [2] Esai. LXVI, 24.

chiele dicta sunt, « Etiamsi Noe, Daniel et Jacob filios et » filias suas deprecentur, minime eis concessum iri, » sed pro se quemque sua ipsius videlicet justitia salvum fore; eos quoque qui secundum legem Mosis vixerunt, salvos similiter futuros dixi. Nam quæ natura præclara et pia et justa sunt, ea in Mosis lege his qui legi parent facienda præscribuntur : et quæ ad duritiam cordis populi jussa sunt observari, ea similiter præscripta sunt, et ab his qui sub lege erant observata. Siquidem qui ea faciebant quæ universe et natura et perpetuo præclara sunt, ii Deo grati sunt, et per hunc Christum in resurrectione similiter ac ii qui ante eos justi fuere, Noe, Enoch et Jacob, et si qui alii, salutem consequentur una cum iis qui hunc Christum Dei filium agnoscunt, qui et ante luciferum et lunam erat, et ex illa Davidici generis Virgine caro factus nasci sustinuit, ut per hanc dispensationem Serpens ille, qui ab initio improbe egit, et assimilati ei angeli profligentur, ac mors contemnatur, et in secundo ipsius Christi adventu ab his qui in eum credunt, et ita vivunt ut ei placeant, penitus facessat, nec jam ulla sit, cum alii quidem in judicium et condemnationem ignis perpetuo cruciandi mittentur, alii vero perpessionis et corruptionis et doloris expertem statum atque immortalitatem consequentur.

XLVI. Si qui autem nunc etiam vivere velint *Mosis instituta* servando, et credant in hunc Jesum crucifixum, agnoscentes eum esse Christum Dei, eique datum esse omnes omnino judicare, illiusque esse regnum illud quod æternum est; an ii quoque salvi esse possunt? Ita me ille interrogabat.

At ego rursum : Id quoque, inquam, una consideremus, an nunc liceat omnia servare quæ per Mosem præscripta sunt.

Respondit ille : Nequaquam. Agnoscimus enim, quem-

admodum dixisti, nec agnum Paschæ alibi immolari posse, nec hircos in jejunio jussos offerri, nec cæteras omnes omnino oblationes.

Tum ego : Quænam ergo illa sint quæ possint observari, ipse, quæso, edissere. Tibi enim persuasum erit posse aliquem, non observatis nec perfectis æternis justitiæ præceptis, salutem omnino consequi.

At ille : Sabbata peragere, et circumcidi, et menses observare, et ablui si quid a Mose prohibitum attigeris, vel post concubitum.

Tum ego : Abraham, inquam, et Isaac et Jacob et Noe et Job, et si qui alii ante vel post eos justi similiter fuere, Saram dico uxorem Abrahæ et Rebeccam Isaaci, et Rachelem atque Liam Jacobi, et reliquas alias ejusmodi, usque ad Mosis, fidelis illius famuli, matrem, cum nihil horum custodierint, num vobis salutem videntur adepturi?

Respondit Trypho : Non circumcisus est Abraham, et qui post eum fuere?

Ego vero : Scio, inquam, Abraham ejusque posteros circumcisos fuisse. Cur autem data illis circumcisio fuerit, pluribus supra disserui; et si vos ea, quæ dixi, non inflectunt, rem denuo examinabimus. Ex justis autem hominibus neminem prorsus usque ad Mosem quidquam eorum de quibus modo quærebamus, præter eam, quæ ab Abrahamo initium habuit, circumcisionem, observasse aut observandi præceptum accepisse scitis.

Et ille : Scimus, inquit, et eos salvari confitemur.

Ego rursum : Considerate omnia ejusmodi præcepta propter duritiam cordis populi vestri per Mosem vobis a Deo tradita esse ; ut pluribus hisce rebus admoniti, in omni actione Deum semper ante oculos haberetis, nec injuste aut impie agere inciperetis. Nam et coccineum panniculum ut vobis circumponeretis præcepit, cujus ope nulla vos Dei caperet

oblivio [1]; et phylacterium descriptis quibusdam litteris *in* membranis tenuissimis, quæ quidem omnino sancta esse intelligimus, jussit circumdari [2]: his etiam rebus exstimulans vos, ut semper in memoria Deum haberetis, et simul exprobrans, quod nullam illius colendi memoriam teneretis. Vobis tamen ne sic quidem persuasum est, ut simulacra ne coleretis. Eliæ enim tempore eorum numerum recensens qui genu Baali non flexerant, septem millia numero esse dixit: et apud Esaiam vobiscum expostulat, quod vestros etiam filios simulacris immolaveritis. Nos autem ne iis sacra faciamus, quibus olim fecimus, extrema supplicia perferimus, et dum occidimur lætamur, minime dubii quin nos Deus per Christum suum ad vitam revocaturus sit, et incorruptos ac perpessionis expertes et immortales facturus; et quæ ob duritiam cordis populi vestri instituta sunt, ea nihil ad justitiæ observationem et pietatem afferre novimus.

XLVII. Rursus Trypho: Si quis hæc ita se habere sciens, præterquam quod hunc Christum esse agnoscat, eique videlicet credat et obediat, hæc quoque instituta observare voluerit; utrum is salvabitur? Ita ille scisoitabatur.

At ego: Ut mihi quidem videtur, o Trypho, hominem ejusmodi salvum dico futurum; si modo cæteris hominibus, id est, iis qui ex gentibus per Christum ab errore circumcisi sunt, omnino persuadere non conetur *ut eadem* ac ipse observent, salutem eos negans adepturos, nisi hæc custodiant: quale est quod et initio disputationis faciebas, cum pronuntiares salvum me non facturum, nisi hæc observarem.

At ille: Cur igitur dixisti: « Ut mihi quidem videtur, talis » salvus erit, » nisi quia sunt qui tales negent salvos futuros?

Sunt, inquam, o Trypho; quique cum eis nec sermonis nec hospitii communione conjungi audeant: quibus ego

[1] Num. xv, 38. — [2] Deut. vi, 6.

non assentior. Sed si ob animi infirmitatem etiam quæcumque nunc possunt ex iis quæ a Mose propter duritiam cordis populi instituta novimus, cum spe in hunc Christum et æternorum ac naturalium justitiæ et pietatis præceptorum observatione conjungere voluerint; modo cum Christianis et fidelibus vivere non recusent, nec iis, ut jam dixi, suadeant ut similiter ac ipsi circumcidantur, aut sabbata et alia ejusmodi custodiant; eos suscipiendos esse et cum iis omnium rerum communionem, ut cum hominibus eodem modo affectis et fratribus, tenendam esse censeo. Sin autem, Trypho, qui ex vestro genere in hunc Christum sese dicunt credere, eos qui ex gentibus in hunc Christum credunt, omnino secundum legem per Mosem institutam cogant vivere, aut ejusmodi consuetudine cum eis conjungi nolint; non sane hos etiam similiter probaverim. Qui vero ab eis ad legis observationem cum confessione in Christum Dei conjungendam adducti fuerint, eos forsitan etiam salutem adepturos suspicor. At qui postquam confessi fuerint et agnoverint hunc esse Christum, quacumque de causa ad legis observationem traducti negaverint hunc esse Christum, nec pœnitentiam ante mortem egerint, nullam iis salutem fore assevero. Et qui ex semine Abrahæ orti secundum legem vixerint, nec ante vitæ exitum in hunc Christum crediderint, similiter salvos minime facturos esse confirmo (eos præsertim qui in synagogis exsecrati sunt et exsecrantur hunc Christum) : omnino enim salutem assequerentur, et ab ignis supplicio liberarentur. Nam qui pœnitentiam peccatorum agit, eum benignitas et humanitas Dei et immensitas divitiarum ejus, quemadmodum per Ezechielem declarat, perinde ac justum et peccato carentem habet[1]; qui autem a pietate et justitiæ observatione ad injustitiam et impietatem delabitur, eum ut peccatorem et

[1] Ezech. XXXIII, 11, 20.

injustum et impium numerat. Quapropter Dominus noster Jesus Christus dixit : « In quibus vos deprehendero, in his » et judicabo. »

XLVIII. Hic Trypho : Et his de rebus quid sentires, audivimus. Repetens igitur sermonem, in quo desieras, absolve. Nam mirabilis quidam mihi videtur, et qui prorsus demonstrari non possit. Quod enim ais præextitisse Deum ante sæcula hunc Christum, ac deinde etiam nasci hominem factum sustinuisse, nec hominem ex hominibus esse. id non solum ab opinione abhorrens mihi videtur, sed etiam stultum.

Ad hæc ego : Scio, inquam, hanc doctrinam ab opinione abhorrentem videri, præsertim vestri generis hominibus, qui quæ Dei sunt nec intelligere nec facere unquam voluistis, sed quæ magistrorum vestrorum, quemadmodum ipse Deus clamat[1]. Sed tamen, Trypho, nequaquam irritum et infectum erit quod demonstravi, hunc esse Christum Dei, si demonstrare non possim illum etiam præextitisse Filium Creatoris universorum, Deum existentem, et hominem ex Virgine genitum esse. Sed cum omnino demonstratum sit hunc esse Christum Dei, qualiscumque ille sit[2]; si minus demonstravero præextitisse et hominem perpessionibus nostris obnoxium, et carnem habentem nasci, secundum Patris voluntatem sustinuisse; in hoc tantum æquum fuerit me errasse dicere, nequaquam autem negare eum Christum esse, etiamsi homo ex hominibus genitus videatur, nec quidquam amplius demonstretur, nisi eum electione consequutum esse ut Christus esset. Sunt enim quidam, amici, ex genere nostro[3], qui eum Christum esse confitentur, quamvis hominem ex hominibus genitum pronuntient;

[1] Esai. xxix, 13.
[2] Vide paginam quæ Indicem sequitur, ad intelligentiam hujus sententiæ.
[3] Vide paginam quæ Indicem sequitur.

quibus ego non assentior, nec assentirer, etiamsi maxima pars, quæ mecum consentit, idem diceret : neque enim humanis doctrinis jussi sumus ab ipso Christo credere, sed iis quæ a beatis Prophetis prædicata et ab ipso tradita.

XLIX. Et Trypho : Mihi quidem videntur, inquit, qui illum hominem fuisse et electione unctum ac Christum factum esse dicunt, probabilius quam vos, qui ea quæ retulisti tenetis, dicere. Nam et nos omnes Christum hominem ex hominibus exspectamus nasciturum, et ab Elia, quando is venerit, unctum iri. Quod si iste Christus esse videatur, homo ex hominibus omnino existimandus est; sed quia nondum venit Elias, neque hunc Christum esse censeo.

Rursus ergo illum percontatus sum : An non Scriptura per Zachariam dicit Eliam ante magnum illum et terribilem Domini diem esse venturum?

Respondit ille : Maxime.

Si igitur Scriptura confiteri cogit duplicem Christi adventum esse prædictum : alterum in quo perpessionibus obnoxius et inglorius et informis apparebit; alterum in quo circumfluens gloria et omnium judex adveniet, quemadmodum et supra pluribus demonstratum est; an non id a divino verbo prædicatum intelligemus, Eliam terribilis et magni diei, id est, secundi ejus adventus præcursorem futurum?

Maxime, respondit ille.

Atque hoc ipsum, aiebam, Dominus noster inter ea quæ docuit, futurum esse tradidit, cum Eliam quoque dixit esse venturum. Quod quidem nos futurum esse scimus cum e cœlis gloriose Dominus noster Jesus Christus venturus est; cujus quidem primi etiam adventus Spiritus Dei, qui in Elia fuerat, præco præcessit in Joanne vestri generis propheta, post quem nullus alius deinceps propheta apud vos extitit. Is ad omnem Jordanem considens clamabat : « Ego quidem

» baptizo in aqua in pœnitentiam : veniet autem fortior me, » cujus non sum dignus calceamenta portare. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni : cujus ventilabrum in » manu ejus, et permundabit aream suam, et congregabit » triticum in horreum, paleam autem comburet igni inex- » stinguibili[1]. » Atque hunc ipsum prophetam rex vester Herodes conjecerat in carcerem; cumque natalitia celebrarentur, saltante fratris filia delectatus jussit eam petere quidquid vellet. Tum puellam mater submonuit, ut Joannis in vincula conjecti caput peteret; quod cum illa petiisset, misit rex, et caput Joannis in lance jussit afferri. Quapropter et Christus noster, cum adhuc in terris versaretur, his qui oportere asserebant ut Elias ante Christum veniret, hæc dixit : « Elias quidem venturus est et restituet » omnia. Dico autem vobis, quia Elias jam venit, et non co- » gnoverunt eum, sed fecerunt ei quæcumque voluerunt[2]. » Et scriptum est tunc discipulos intellexisse eum de Joanne Baptista id illis dixisse.

Tum Trypho : Videtur id quoque mihi ab opinione abhorrere, quod spiritum propheticum Dei, qui in Elia fuerat, etiam in Joanne dicis fuisse.

Ad hæc ego : Non tibi videtur idem factum fuisse in Jesu filio Nave, qui populi ducendi provinciam post Mosem suscepit; Deo ipso, cum jussus est Moses ut manus Jesu imponeret, dicente : « Et ego transferam de spiritu qui in te » est, in ipsum. »

Tum ille : Maxime.

Quemadmodum igitur, inquam, cum adhuc Moses inter homines versaretur, transtulit Deus in Jesum ex eo spiritu qui erat in Mose; ita ab Elia in Joannem transferre potuit Deus; ut quemadmodum Christus priore adventu inglorius apparuit, ita etiam illius spiritus, qui in Elia purus semper

[1] Matth. III, 11 et 12. — [2] Matth. XVII, 11.

it integer manebat, itidem ut Christi, inglorius primus adventus intelligeretur. Occulta enim manu Dominus debellare Amalechum dicitur; nec Amalechum cecidisse negabitis. Si vero in glorioso tantum Christi adventu debellatum iri Amalechum dicatur; quis fructus erit Scripturæ dicentis : *Occulta manu Deus debellat Amalechum*[1]? Occultam ergo Dei virtutem intelligere potestis in Christo crucifixo fuisse, quem dæmones tremunt ac omnes prorsus principatus et potestates terræ.

L. Hic Trypho : Videris mihi ab assidua cum multis de omnibus rebus controversis conflictatione venisse, ac propterea paratus esse de omnibus quæ ex te quæruntur respondere. Mihi igitur prius responde, quomodo demonstrare possis alium etiam esse Deum præter creatorem universorum; tumque demonstrabis eum etiam nasci ex virgine sustinuisse.

Tum ego : Prius per te mihi liceat nonnulla ex Esaiæ vaticinio verba proferre de illo præcursionis dicta munere, quo ante hunc ipsum Dominum nostrum Jesum Christum Joannes Baptista et propheta perfunctus est.

Per me licet, inquit ille.

Tum ego : Esaias igitur de Joannis præcursione ita prædixit : « Et dixit Ezechias Esaiæ : Bonum verbum Domini, » quod loquutus est : Fiat pax et justitia in diebus meis. Et » consolamini populum; sacerdotes loquimini ad cor Hierusalem, et consolamini eam : quia repleta est humilitas » ejus. Solutum est peccatum illius; quia recepit de manu » Domini duplicia peccata sua. Vox clamantis in deserto : » Parate vias Domini; rectas facite semitas Dei nostri. Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur : et erunt omnia prava in directum, et aspera in vias » planas; et apparebit gloria Domini : et videbit omnis caro

[1] Exod. XVII, 16.

» salutare Dei : quia Dominus loquutus est. Vox dicentis : » Clama; et dixi : Quid clamabo? Omnis caro fœnum; et » omnis gloria hominis, quasi flos fœni. Aruit fœnum, et » flos ejus cecidit : verbum autem Domini manet in sempi» ternum. Super montem excelsum ascende, qui evangeli» zas Sion; exalta in fortitudine vocem tuam, qui evange» lizas Hierusalem. Exaltate, nolite timere : dic civitatibus » Juda : Ecce Deus vester; Dominus ecce cum virtute ve» nit, et brachium cum dominatione venit. Ecce merces » cum eo, et opus in conspectu ejus. Sicut pastor pascet » gregem suum, et brachio congregabit agnos, et prægnan» tem consolabitur. Quis mensus est manu aquam, et cœ» lum palmo et omnem terram pugillo? Quis statuit montes » pondere, et saltus statera? Quis cognovit mentem Domini; » aut quis consiliarius ejus fuit, qui doceat eum? aut cum » quo consilium iniit, et instruxit illum? Vel quis ostendit » ei judicium? vel viam intelligentiæ quis ostendit illi? Om» nes gentes, sicut stilla de situla, et quasi momentum sta» teræ reputatæ sunt, et quasi sputum reputabuntur. Liba» nus autem non sufficit ad comburendum : et quadrupedia » non sufficiunt ad holocaustum, et cunctæ gentes nihilum » et in nihilum reputatæ sunt[1]. »

LI. Desinente me dixit Trypho : Ambigua omnia prophetiæ a te allatæ verba; nec quidquam habent, quo decidatur id quod demonstrare vis.

Tunc ego respondi : Si quidem non evenisset, Trypho, ut desinerent, ac jam omnino nulli essent post hunc Joannem in vestro genere prophetæ; quæ videlicet a me in Jesum Christum proferuntur, ambigue fortasse dicta viderentur. Sed si Joannes quidem præcessit clamans hominibus ut pœnitentiam agerent; eique adhuc ad fluvium Jordanem sedenti superveniens Christus finem attulit vaticinandi et

[1] Esai. XXXIX, 8.

baptizandi; ipse autem Evangelium quoque prædicare cœpit, regnum cœlorum dicens appropinquare, seque multa a Scribis et Pharisæis pati oportere, et crucifigi et tertio die resurgere, ac futurum ut iterum Jerosolymam veniret, tumque una cum discipulis ederet ac biberet, ac interea dum veniret, in ipsius nomine, ut jam dixi, sacerdotes et prophetæ falsi prodirent, quæ quidem ita evenisse liquet; quomodo adhuc dubitare fas sit, cum res ipsæ vobis persuadere possint? Nullum autem deinceps futurum in vestro genere prophetam dixerat, atque ut homines agnoscerent novum illud testamentum, quod olim Deus institutum iri prædicaverat, jam tum adesse, hoc est, seipsum, quippe qui Christus esset, sic eos alloquebatur : « Lex et prophetæ » usque ad Joannem Baptistam : ex quo tempore regnum » cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Et si vultis » recipere, ipse est Elias, qui venturus erat. Qui habet aures » audiendi, audiat[1]. »

LII. Illud etiam a Jacobo patriarcha prædictum est duos Christi adventus futuros, eumque in primo perpessionibus obnoxium fore, ac postquam advenerit, nec prophetam nec regem in vestro genere futurum (ita enim pergebam), gentes autem in Christum passionibus obnoxium credentes, rursus venturum exspectaturas. Atque hac de causa, aiebam, in parabolis et arcane Spiritus sanctus hæc tradidit. Sic autem illum loquutum esse addidi : « Juda, laudaverunt » te fratres tui, manus tuæ super dorsum inimicorum tuo» rum : adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda : » ex germine, fili mi, ascendisti : recumbens dormivit, ut » leo, et quasi catulus. Quis suscitabit eum? Non deficiet » princeps ex Juda, et dux de femoribus ejus donec veniant » quæ reposita sunt ei : et ipse erit exspectatio gentium, » ligans ad vitem pullum suum, et ad helicem pullum asinæ

[1] Matth. XI, 13.

» suæ. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ » amictum suum. Fulvi oculi ejus præ vino, et candidi dentes ejus ut lac[1]. » Porro in genere vestro, ex quo initium accepit, usque ad illud tempus, quo hic Jesus Christus natus ac passus est, prophetam aut principem esse unquam desiisse, nec impudenter dicere audebitis, nec habetis demonstrare. Nam cum Herodem, post quem passus est, Ascalonitam dicitis fuisse, tamen in genere vestro principem sacerdotum fatemini exstitisse : quare cum etiam tum habueritis, qui secundum legem Mosis et dona offerret, et cætera legis instituta servaret, cumque prophetæ secundum successionem usque ad Joannem exstiterint, quemadmodum et tunc exstitere cum populus vester, vastata terra et sacris vasis sublatis, Babylonem abductus est; non defuit apud vos propheta, qui dominus et dux et princeps populi vestri esset. Spiritus enim, qui erat in prophetis, reges vobis ungebat et constituebat. At postquam Jesus Christus noster in vestro genere apparuit et morti traditus est, nequam exstitit aut exstat propheta; sed et proprio rege parere desiistis, ac præterea terra vestra penitus vastata, ac veluti pomorum custodia derelicta. Quod autem Scriptura per Jacobum dicit : *Et ipse erit exspectatio gentium*, arcane duos fore Christi adventus, ac gentes in eum credituras significabat; quod vobis tandem aliquando cernere licet. Nam qui ex omnibus gentibus per Christi fidem Dei cultores et justi facti sumus, rursus eum venturum exspectamus.

LIII. Et illud : « Ligans ad vitem pullum suum et ad » helicem pullum asinæ, » tum rerum in priore adventu ab eo gestarum, tum gentium quæ in eum crediture erant præsignificatio erat. Nam gentes veluti pullus erant nec clitellas nec cervice jugum ferens, donec Christus missis discipulis eas edoceret, ac jugum ejus doctrinæ ferentes,

[1] Gen. XLIX, 8.

dorsum summitterent ad omnia perferenda ob exspectata et ab eo promissa bona. Ac revera Dominus noster Jesus Christus, Jerusalem ingressurus, præcepit discipulis ut asinam quamdam quæ una cum pullo suo in introitu vici Bethphage dicti alligata erat, ad se adducerent, eique insidens Jerusalem ingressus est. Quod, quemadmodum conceptis verbis prædictum fuerat a Christo factum iri, ita ab eo in omnium oculis factum, Christum eum esse aperte declarabat. Et cum hæc omnia contigerint, et ex Scripturis sanctis demonstrentur, adhuc tamen corde obduruistis. Rem ita eventuram Zacharias unus ex duodecim prædixit his verbis : « Lætare vehementer filia Sion : jubila, annun» tia filia Hierusalem : Ecce Rex tuus veniet tibi justus et » salvans ipse, et mitis et pauper, vectus subjugali et pullo » asinæ[1]. » Quod autem Spiritus propheticus cum patriarcha Jacob nominatim asinam quoque jugalem cum ipsius pullo ad usus suos ab eo adhibitam dicit; deinde etiam quod ipse discipulis, ut jam dixi, præcepit, ut utrumque animal adducerent; id præsignificatio erat eorum etiam qui ex synagoga vestra, simul cum iis qui ex gentibus, credituri in eum erant. Quemadmodum enim iis qui ex gentibus, signum erat pullus, nondum oneri assuetus; ita et iis qui ex vestro populo, asina clitellaria. Nam eam, quæ per prophetas promulgata est, impositam legem habetis; sed et a Zacharia propheta prædictum fore ut ipse hic Christus percuteretur, ejusque discipuli dispergerentur : quod et evenit. Postquam enim cruci affixus est, dispersi sunt qui cum eo erant discipuli ejus, quoad resurrexit a mortuis, eisque persuasit prædictum de se esse, fore ut ita pateretur : atque illi hunc in modum ad credendum adducti, et in totum orbem terrarum profecti hæc docuerunt. Hinc et nos in fide et disciplina illius confirmamur : quippe cum

[1] Zach. IX, 9.

et ex prophetis, et ex iis quos in nomen illius crucifixi per orbem terrarum Dei cultores factos videmus, credendi momenta ducamus. Quæ autem a Zacharia dicta sunt, ita se habent : « Framea excitare super pastorem meum, et super » virum populi mei : dicit Dominus exercituum. Percute » pastorem et dispergentur oves ejus[1]. »

LIV. Et quod a Mose litteris mandatum est, et a Jacob patriarcha prædictum : « Lavabit in vino stolam suam, et » in sanguine uvæ amictum suum, » futurum significabat ut sanguine suo eos qui in se credunt ablueret. Stolam enim ejus Spiritus sanctus eos vocavit qui per eum peccatorum remissionem acceperunt, in quibus virtute quidem semper adest, manifeste autem aderit in secundo suo adventu. Quod autem sanguinem uvæ dicit Scriptura, hoc veluti arte declarat sanguinem quidem habere Christum, nequaquam autem ex humano semine, sed ex Dei virtute. Quemadmodum enim uvæ sanguinem non generavit homo, sed Deus : ita et Christi sanguinem non ex humano semine, sed ex Dei virtute futurum prædixit. Hæc autem ipsa prophetia, quam attuli, o viri, Christum demonstrat non esse hominem ex hominibus communi hominum more genitum.

LV. Tum Trypho respondit : Habebimus etiam in memoria tuam illam interpretationem, si et aliis argumentis hanc quoque quæstionem firmaveris. Nunc autem, revocata unde digressa est oratione, demonstra nobis alium Deum a Spiritu prophetico præter creatorem universorum agnosci; cavens tamen ne solem et lunam dicas, quæ scriptum est gentibus concessa a Deo fuisse, ut ea tanquam deos colerent. Atque hoc loquendi genere quodammodo utentes prophetæ sæpe dicunt : « Deus tuus Deus deorum est, et » Dominus dominorum[2]; » sæpe addentes, « magnus et fortis » et terribilis. » Neque enim hæc eo dicuntur, quod isti

[1] Zach. XIII, 7. — [2] Deut. X, 17.

int dii; sed quod Scriptura nos doceat ex his qui existimantur dii et domini, verum illum Deum, qui omnia creavit, solum esse Dominum. Quod quidem ut evinceret Spiritus sanctus, per Davidem dixit: « Dii gentium (qui existiman» tur dii) simulacra dæmoniorum sunt, non dii: » Quinetiam dira detestatione eos prosequitur qui hæc faciunt et colunt.

Tum ego: Non eram, inquam, allaturus, Trypho, has demonstrationes, quibus eos condemnari scio qui hæc et similia colunt; sed eas quas contra nemo dicere poterit. Novæ autem tibi videbuntur, quamvis quotidie a vobis legantur, ut vel ex hoc perspectum habeamus vobis, ob vestram nequitiam, a Deo potestatem sapientiæ, quæ illius verbis inest, intelligendæ absconditam fuisse, nonnullis exceptis, quibus secundum summæ suæ misericordiæ gratiam, ut ait Esaias[1], semen ad salutem reliquit, ne ut Sodomitarum et Gomorrhæroum, ita et genus vestrum periret. Animum igitur ad ea advertite, quæ ex Scripturis sanctis commemoraturus sum, quas quidem explicari minime opus erit, sed tantum audiri.

LVI. Moses igitur, beatus ille et fidelis Dei famulus, Deum esse declarat eum qui Abrahæ ad quercum Mambre visus est cum duobus angelis, quos simul cum eo ad judicium Sodomorum misit alius in supercœlestibus semper manens, ac nemini unquam visus, aut per se quemquam alloquutus, quem creatorem universorum et parentem intelligimus. Sic enim loquitur: « Apparuit autem ei Deus ad quercum Mam» bre, cum ille sederet in ostio tabernaculi in meridie. Sed » respiciens oculis, vidit: et ecce tres viri stabant supra » eum: et videns occurrit obviam illis ab ostio tabernaculi » sui: et adoravit super terram, et dixit[2]; » et cætera usque ad: « Mane autem surgens Abraham, diluculo ivit ad locum

[1] Esai. I, 9. — [2] Gen. XVIII, 1.

» in quo steterat coram Domino; et inspexit in faciem So-
» morum et Gomorrhæ, et in faciem terræ circumjacent-
» et vidit : et ecce, ascendebat flamma de terra, quasi v-
» por fornacis. » Cum referendæ Scripturæ finem fecisse-
quærebam ex eis an dicta intellexissent.

Illi autem intellexisse se responderunt, sed allata ve-
nihil habere quod alium quemdam Deum aut Domin-
esse, aut a Spiritu sancto dictum esse demonstret præ-
creatorem universorum.

Tum ego rursum : Enitar vobis, inquam, quandoquide-
Scripturas intelligitis, ea quæ dico persuadere, nimiru-
alium esse et dici sub creatore universorum, Deum et D-
minum, qui et Angelus vocatur, quia nuntiat hominib-
quæcumque illis nuntiare vult universorum creator, sup-
quem alius non est Deus. Cumque verba jam allata iter-
referrem, Tryphonem interrogabam : Num Deum existim-
sub quercu Mambre Abrahæ, ut dicit Scriptura, visu-
esse?

Profecto, inquit ille.

Num unus, inquam, ex tribus illis erat, quos propheticus
Spiritus viros appellat, et Abrahæ visos esse narrat?

Nequaquam, inquit ille; sed visus est ei Deus, antequam tres apparerent. Tres autem illi, quos Scriptura viros appellat, angeli erant, duo quidem missi ad excidium Sodomorum; unus autem Saræ nuntians futurum ei filium, cujus rei causa missus fuerat, ac abiens discessit.

Quomodo igitur, inquam, unum illum ex tribus qui in tabernaculo dixerat, « In horas revertar ad te, et Saræ filius » nascetur[1], » reversum esse apparet post natum Saræ filium; eumque Deum esse hoc etiam in loco propheticus sermo declarat? Sed ut id quod dico perspicuum vobis et manifestum sit, audite quæ conceptis verbis a Mose dicta

[1] Gen. XVIII, 10.

sunt : sic autem habent : « Cum vidisset autem Sara filium » Agar, ancillæ Ægyptiæ, qui genitus fuerat Abrahæ, ludentem cum Isaac filio suo, dixit Abrahæ : Ejice ancillam » hanc et filium ejus : non enim hæres filius ancillæ hujus » cum filio meo Isaac. Durum autem visum est verbum valde » coram Abraham de filio suo. Dixit autem Deus ad Abra- » ham : Ne sit durum coram te de puero et de ancilla : » omnia quæcumque dixerit tibi Sara, audi vocem ejus : » quoniam in Isaac vocabitur tibi semen[1]. » Num igitur intellexistis eum qui tum sub quercu dixerat se reversurum, prout necessarium esse prænoscebat ea Abrahæ suadere quæ ab ipso Sara contendebat, reversum esse, ut scriptum est, et Deum esse, ut hæc verba declarant : « Dixit autem » Deus Abrahæ : Ne durum sit coram te super puero et su- » per ancilla[2]? » Ita eos interrogabam.

Respondit Trypho : Maxime; verum ex his minime demonstrasti alium esse Deum præter hunc, qui Abrahæ cæterisque patriarchis et prophetis visus est, sed nos probasti minus recte existimasse tres illos, qui in tabernaculo apud Abraham fuerunt, angelos omnes fuisse.

Rursum ego : Siquidem ex Scripturis ipsis demonstrare non possem, unum ex tribus illis et Deum esse, et ideo, ut jam dixi, angelum vocari, quod nuntium iis perferat quibus mandata sua perferri vult universorum creator Deus; merito sane de ipso illo qui in terris in viri specie, non secus ac duo comites angeli, visus est Abrahæ, quique ante mundum conditum Deus erat, idem sentiretis quod tota gens vestra sentit.

Omnino, inquit ille; ita enim hactenus tenuimus.

Tum ego rursum : Ad Scripturas, inquam, me referens persuadere vobis conabor hunc ipsum, qui Abrahæ et Jacob et Mosi visus esse dicitur, ac Deus a Scriptura vocatur,

[1] Gen. XXI, 9. — [2] *Ibid.*

alium esse ab eo qui omnia creavit Deo, alium, inquam, numero, non sententia. Nihil enim eum unquam fecisse affirmo, nisi quod eum mundi creator, supra quem alius non est Deus, facere voluit et dicere.

Tum Trypho : Fac igitur hunc esse demonstres, ut nos quoque tibi assentiamur. Neque enim id te dicere suspicamur, aliquid eum præter sententiam creatoris universorum aut fecisse aut loquutum esse.

Ego autem : Scriptura, inquam, a me jam allata id vobis ante oculos ponet. Sic autem se habet : « Sol egressus est » super terram, et Loth ingressus est Segor; et Dominus » pluit super Sodomam sulphur et ignem a Domino de » cœlo, et subvertit civitates has, et omnem circa regio» nem[1]. »

Hic qui cum Tryphone quartus remanserat : Qui igitur, inquit, ex duobus angelis Sodoma petentibus solus a Scriptura per Mosem etiam Dominus appellatur, præter eum ipse etiam Deus, qui Abrahæ apparuit, necessario dicendus est.

Non hanc tantum ob causam, inquam, id quod res est, omnino confiteri oportebat alium quemdam, præter eum quem creatorem universorum agnoscimus, a Spiritu sancto Dominum appellari. Neque id solum per Mosem, sed etiam per Davidem. Nam et per eum dictum est : « Dixit Dominus » Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos » tuos scabellum pedum tuorum[2], » ut jam recitavi. Et rursus alio in loco : « Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi » Virga directionis virga regni tui. Dilexisti justitiam et » odisti iniquitatem: propterea unxit te, Deus, Deus tuus » oleo exsultationis præ consortibus tuis[3]. » Utrum igitur alium quemdam a Spiritu sancto, præter creatorem universorum et Christum ejus, Deum et Dominum vocari dicatis, respondete mihi; nam vobis recipio demonstraturum

[1] Gen. XIX, 23. — [2] Psal. CIX, 1. — [3] Psal. XLIV, 7.

me ex ipsis Scripturis non alterum duorum angelorum, qui Sodoma petebant, a Scriptura Dominum appellari, sed eum qui cum illis erat, quique Deus Abrahæ visus dicitur.

Tum Trypho : Demonstra, inquit; nam ut vides, dies procedit, nec ad responsiones ita periculosas parati sumus; propterea quod neminem unquam ista investigantem, aut quærentem, aut demonstrantem audivimus. Neque te disserentem tulissemus, nisi ad Scripturas omnia referres; ex iis enim demonstrandi rationem deducere studes, nec alium, supra universorum Deum, esse pronuntias.

Tum ego : Scitis igitur, inquam, Scripturam dicere : « Et » dixit Dominus ad Abraham : Quid, quod risit Sara, dicens : » Num utique vere pariam ? Ego autem senui : Numquid apud » Deum impossibile est verbum ? In tempore hoc revertar ad » te in horas : et erit Saræ filius [1]. » Et paulo post : « Exsur» gentes autem inde viri conspexerunt in faciem Sodomorum » et Gomorrhæ : Abraham autem simul ambulabat cum eis » comitans eos. Dominus autem dixit : Non abscondam ego » ab Abraham, puero meo, quæ ego facio [2]. » Et rursum post pauca sic ait : « Dixit Dominus : Clamor Sodomorum et » Gomorrhæ multiplicatus, et peccata eorum magna valde. » Descendens ergo videbo, si secundum clamorem ipsorum » venientem ad me consummantur : sin autem non, ut sciam. » Et recedentes inde viri venerunt in Sodoma. Abraham au» tem erat stans in conspectu Domini, et appropinquans » Abraham dixit : Numquid simul perdes justum cum im» pio [3] ? » Et quæ sequuntur : non enim eadem rursus videntur scribenda, cum omnia prius scripserim; sed ea ex quibus demonstrationem Tryphoni et sociis ejus confeci, necesse est dicere. Tum ergo veni ad ea quæ sequuntur : » Abiit autem Dominus, postquam cessavit loquens ad Abra» ham. Et ipse reversus est in locum suum [4]. Venerunt au-

[1] Gen. XVIII, 13. — [2] Gen. XVIII, 16. — [3] Gen. XVIII, 20. — [4] Gen. XVIII, 33.

Tum ille : Fac, inquit, ut tibi videtur; mihi enim rem optatam facies.

LVIII. Et ego dixi : Scripturas vobis referam, nec apparatum verborum ad solam artem ostentare volo; neque enim mihi est ejusmodi facultas, sed tantum gratia mihi a Deo concessa, ut ejus Scripturas intelligam; cujus gratiæ omnes adhortor ut gratis et copiose participes fiant, ne vel hac de causa condemner in judicio quod creator universorum Deus per Dominum meum Jesum Christum facturus est.

Hic Trypho : Digne quidem religione hoc etiam facis : sed mihi dissimulatione uti videris, cum te orationis artificio distinctæ facultatem assequutum negas.

Rursus ego : Quoniam, inquam, hæc ita se habere tibi videntur, ita sane habeant; mihi autem persuasum est verum esse quod dixeram. Sed ut jam reliquas potius demonstrationes persequar, animum adverte.

Loquere, inquit, ille.

Tum ego : Rursus a Mose, inquam, fratres, scriptum est ipsum illum, qui visus Patriarchis Deus dicitur, Angelum et Dominum vocari, ut ex his etiam cognoscatis eum parenti universorum ministrare; quemadmodum jam assensi estis, et constanter pluribus argumentis persuasum habere pergetis. Referens igitur per Mosem divinus sermo ea quæ Jacobum Abrahæ nepotem spectant, ita loquitur : « Et factum est, quando concipiebant oves in utero accipientes; » et vidi eas oculis in somnis. Et ecce hirci et arietes ascendentes super oves et capras, subalbi, et varii, et cineritii sparsi. Et dixit mihi angelus Dei per somnum : Jacob, » Jacob. Ego autem dixi : Quid est, Domine? et dixit : Respice oculis tuis, et vide hircos et arietes ascendentes super » oves et capras, subalbos, et varios, et cineritios sparsos. » Vidi enim quæcumque tibi Laban facit. Ego sum Deus, » qui apparui tibi in loco Dei : ubi unxisti mihi ibi titulum,

et vovisti ibi votum. Nunc igitur exi, et consurge de terra hac, et abi in terram generationis tuæ : et ero tecum[1]. » Atque iterum alio loco de Jacobo loquens, ita dicit : « Surgens autem nocte illa accepit duas uxores, et duas ancillas, et undecim parvulos suos : et transivit transitum Jacob, et accepit eos, et transivit torrentem, et traduxit omnia sua. Remansit autem Jacob solus : et luctabatur angelus cum eo usque mane. Vidit autem, quia non valet erga eum : et tetigit latitudinem femoris ejus, et obtorpuit latitudo femoris Jacob, dum luctatur ipse cum eo. Et dixit ei : Dimitte me : ascendit enim diluculum. At ille dixit : Non te dimittam, nisi me benedixeris. Dixit » autem ei : Quod est nomen tuum? At ille dixit : Jacob. » Et dixit ei : Non vocabitur ultra nomen tuum Jacob, » sed Israel erit nomen tuum : quia invaluisti cum Deo, » et cum hominibus potens eris. Jacob autem interroga» vit, et dixit : Annuntia mihi nomen tuum. Et dixit : » Ut quid hoc interrogas tu nomen meum? Et benedixit » eum ibi. Et vocavit Jacob nomen loci illius, Visio Dei. » Vidi enim Deum facie ad faciem : et gavisa est anima » mea[2]. » Et item alibi de eodem Jacob verba faciens, hæc dicit : « Venit autem Jacob in Luza, quæ est in terra Cha» naan, quæ est Bethel, et ipse, et omnis populus qui erat » cum eo : et ædificavit ibi aram : et vocavit nomen loci » Bethel; illic enim apparuit ei Deus, cum ipse fugeret a » facie Esau fratris sui. Mortua est autem Deborra, nutrix » Rebeccæ, et sepulta est infra Bethel sub quercu : et voca» vit Jacob nomen ejus, quercum Luctus. Apparuit autem » Deus ipsi Jacob adhuc in Luza, quando advenit de Mesopo» tamia Syriæ. Et benedixit eum : et dixit ei Deus : Nomen » tuum jam non vocabitur Jacob : sed Israel erit nomen » tuum[3]. » Deus vocatur et Deus est et erit : et cum capite

[1] Gen. xxxi, 10. — [2] Gen. xxxii, 22. — [3] Gen. xxxv, 6.

omnes annuissent, dixi ego : Illa etiam Scripturæ testimonia, in quibus narratur quomodo ei fratrem Esau fugienti apparuerit ille et angelus et Deus et Dominus, qui et in specie viri Abrahæ visus et in specie hominis cum Jacob luctatus, necesse esse vobis referre arbitror : sunt autem ejusmodi : « Et exiit Jacob a puteo Juramenti : et profectus » est in Charran : et venit ad quemdam locum, et dormi» vit ibi; occiderat enim sol : et sumpsit ex lapidibus loci, » et posuit ad caput suum : et dormivit in loco illo, et som» niavit. Et ecce scala stabilita super terram, cujus caput » pertingebat ad cœlum, et angeli Dei ascendebant et des» cendebant in ea. Et Dominus incumbebat super eam; et » dixit : Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui et » Isaac : noli timere : terra, super quam dormis super eam, » tibi dabo illam, et semini tuo : et erit semen tuum sicut » arena terræ, et dilatabitur ad mare, et Notum, et Aqui» lonem, et ad Orientem : et benedicentur in te omnes tri» bus terræ, et in semine tuo. Et ecce ego sum tecum, cus» todiens te in omni via, quacumque ibis, et reducam te » in terram hanc : quia te non derelinquam, donec faciam » omnia quæ loquutus sum tibi. Et surrexit Jacob de somno » suo, et dixit : Quia Dominus est in loco hoc : ego autem » nesciebam. Et timuit, et dixit : Quam terribilis est locus » hic! non est hic, nisi domus Dei, et hæc porta cœli. Et sur» rexit Jacob mane, et sumpsit lapidem quem supposuerat » ibi ad caput suum, et statuit illum titulum, et superfudit » oleum in cacumen ejus : et appellavit Jacob nomen loci, » Domus Dei : et Ulammaus erat nomen civitatis antea[1]. »

LIX. Hæc cum dixissem, Sustinete me, aiebam, ex libro quoque Exodi vobis demonstrantem, quomodo ipse ille et angelus et Deus et Dominus et vir et homo, qui Abrahæ et Isaac visus est, in igne flammæ ex rubo apparuerit et collo-

[1] Gen. XXVIII, 10.

quutus sit cum Mose. His autem libenter et citra molestiam et alacriter audire se asserentibus, Exstant hæc, inquam, in eo libro qui inscribitur Exodus : « Sed enim post dies » multos illos mortuus est rex Ægypti, et ingemuerunt filii » Israel ab operibus[1]; » et reliqua usque ad illud : « Vadens » congrega senatum Israelis, et dices ad eos : Dominus Deus » patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, et Deus » Isaac, et Deus Jacob, dicens : Visitatione visito vos, et » quæcumque accidere vobis in Ægypto[2]. » Ad hæc adjeci : Intelligitis, o viri, quem angelum Moses secum in igne flammæ colloquutum dicit, eum ipsum, cum Deus sit, declarare Mosi, Deum se esse Abraham et Isaac et Jacob ?

LX. Et Trypho : Non hoc, inquit, intelligimus ex verbis a te recitatis, sed angelum quidem fuisse eum qui visus est in igne flammæ, Deum autem cum Mose colloquutum; ita ut duo simul, angelus et Deus, in hac tum visione exstiterint.

Tum ego rursus respondi : Etiamsi, inquam, id tum, amici, factum esset ut angelus et Deus simul in visione Mosi oblata essent; profecto qui dixit Mosi se Deum esse Abrahæ, et Deum Isaac, et Deum Jacob, is, ut vobis ex verbis jam descriptis demonstratum est, non creator universorum Deus erit, sed idem ac ille quem Abrahæ et Jacob apparuisse, ac creatoris universorum voluntati ministrare, ejusque consilio pariter in Sodomorum judicio ministrasse demonstratum vobis est; ita ut etiamsi, ut dicitis, duo fuerint et angelus et Deus, nemo tamen non omnino mente captus Auctorem universorum et parentem relictis omnibus supercœlestibus in parva terræ particula visum dicere audeat.

At Trypho : Quandoquidem demonstratum est eum qui visus Abrahæ Deus ac Dominus vocatur, ab eo qui in cœlis est, Domino accepisse quæ terræ Sodomorum inflixit; nunc, etiam si angelus adfuisset cum Deo qui Mosi appa-

[1] Exod. II, 23. — [2] Exod. III, 16.

ruit, Deum, qui ex rubo colloquutus est cum Mose, neque creatorem universorum Deum intelligemus fuisse, sed eum quem et Abrahæ et Isaac et Jacob apparuisse demonstratum est, qui etiam universorum creatoris Dei angelus vocatur et esse intelligitur, eo quod a Patre et creatore universorum mandata ad homines perferat.

Tum ego rursum : Jam demonstrabo, inquam, o Trypho, in Mosis visione ipsum illum qui et angelus vocatur, Deus est, solum apparuisse Mosi, et cum eo colloquutum esse. Sic enim ait Scriptura : « Apparuit autem ei angelus » Domini in igne flammæ ex rubo : et videbat, quod rubus » arderet igne et non combureretur. Dixit autem Moses : » Vadens videbo visionem hanc magnam, quia non combu- » ritur rubus. Cernens autem Dominus quod accederet ad » videndum, vocavit eum ex rubo[1]. » Quemadmodum igitur Scriptura eum qui Jacobo in somnis apparuit, angelum appellat; deinde ipsum illum qui in somnis apparuit, angelum ipsi dixisse narrat : « Ego sum Deus, qui apparui tibi » cum fugeres a facie Esau fratris tui[2]; » et sub Abraham in judicio Sodomorum Dominum a Domino *in cælis* judicium intulisse dixit : ita et hoc loco angelum Domini Mosi apparuisse referens, ac postea Dominum *illum* et Deum esse declarans, non alium designat, quam quem pluribus testimoniis jam allatis Deo supermundano, supra quem alius non est, ministrare significat.

LXI. Alio etiam vobis ex Scripturis testimonio, amici, demonstrabo Deum ante omnes res creatas, initium genuisse ex seipso virtutem quamdam rationalem, quæ et Gloria Domini a Spiritu sancto vocatur, ac nunc Filius, *nunc* Sapientia, nunc Angelus, nunc Deus, nunc Dominus et Verbum : interdum etiam Archiducem se ipse *appellat*, Jesu filio Navæ in forma hominis apparens. (Habet enim hæc

[1] Exod. III, 2. — [2] Gen. XXXV, 7.

omnes appellationes, ex eo quod Patris voluntati ministret, et voluntate de Patre genitus sit.) Quale est quod in nobis fieri videmus; aliquem enim sermonem proferentes, sermonem gignimus, nec tamen cum abscissione, ita ut sermo ille, qui in nobis est, dum eum proferimus imminuatur. Quale est etiam quod videmus ex igne alium ignem nasci, non imminuto eo ex quo iste accensus est; et qui ex eo accensus est exstat ipse et apparet, nec eum imminuit ex quo accensus est. Testis mihi erit Verbum Sapientiæ, ipse ille Deus ex Patre universorum genitus, qui et Verbum et Sapientia, et Virtus et Gloria est genitoris, per Salomonem hæc loquuti: « Cum annuntiavero vobis quæ quotidie fiunt, » quæ a sæculo sunt memorans recensebo. Dominus con- » didit me initium viam suam ad opera sua. Ante sæculum » fundavit me in principio, priusquam terram faceret, et » priusquam abyssos crearet, priusquam fontes aquarum » erumperent, priusquam montes stabilirentur: ante omnes » colles generat me. Deus fecit regionem et solitudinem, et » summa loca quæ incoluntur sub cœlo. Cum pararet cœ- » lum, eram cum eo; et cum designaret thronum suum su- » per ventis: cum firmas faceret summas nubes, et stabiles » efficeret fontes abyssi; cum stabilia faceret fundamenta » terræ; eram apud eum componens. Ego eram quacum » gaudebat: quotidie autem lætabar in conspectu ejus quo- » vis tempore: quoniam delectabatur orbe habitabili con- » summato, et delectabatur in filiis hominum. Nunc igitur, » fili, audi me. Beatus vir qui exaudiet me, et homo qui » vias meas custodiet, vigilans ad fores meas quotidie, ser- » vans postes introitus mei. Exitus enim mei, exitus vitæ. » Et præparata est voluntas a Domino. Qui vero in me de- » linquunt, impii sunt in suas ipsorum animas: et qui ode- » runt me diligunt mortem[1]. »

[1] Prov. VIII, 21.

LXII. Hoc ipsum, amici, per Mosem quoque divino sermo prædicavit, indicans nobis ad eum, quem demonstrat, hæc a Deo in eamdem prorsus sententiam dici in hominis creatione. « Faciamus hominem ad imaginem nostram » ad similitudinem. Et habeant principatum piscium ma- » et volatilium cœli, et pecorum, et omnis terræ, et om- » nium reptilium repentium super terram. Et fecit Deus » hominem : ad imaginem Dei fecit eum : masculum et fe- » minam fecit eos. Et benedixit eos Deus, dicens : Crescite » et multiplicamini, et replete terram et dominamini ei[1]. » Ac ne allata a me verba immutantes, idem dicatis ac magistri vestri, vel secum dixisse Deum, *Faciamus*, quemadmodum et nos aliquid facturi sæpe dicimus, *Faciamus*; vel elementis, id est, terræ et cæteris similiter, ex quibus hominem factum intelligimus, Deum dixisse, *Faciamus*; ejusdem Mosis dicta rursus afferam ex quibus dubitatione omni præclusa eum cum aliquo, qui et numero alter sit, et rationalis, colloquutum cognoscere possumus. Sic autem habent hæc verba : « Et dixit Deus : Ecce Adam factus est » quasi unus ex nobis, ut sciat bonum et malum[2]. » Cum ergo dicit, *quasi unus ex nobis* et numerum eorum qui inter se conjuncti sint, et saltem duos declaravit. Neque enim quod illa, quæ apud vos dicitur, hæresis decernit, id ego verum esse existimaverim, aut ejus magistri id demonstrare possint, nempe angelos eum alloquutum, aut angelorum opus esse corpus humanum. Sed hæc ipsa vere ex Patre prolata Progenies, ante res omnes creatas una erat cum Patre, et cum ea Pater colloquebatur : quemadmodum Scriptura per Salomonem declaravit, hanc ipsam, *quæ Sapientia* a Salomone dicitur, et principium ante omnia opera et progeniem, a Deo genitam esse, qui idem etiam docet per revelationem Josuæ filio Navæ factam. Ut autem ex

[1] Gen. I, 26. — [2] Gen. III, 2.

his quoque perspicuum vobis fiat id quod a me asseritur, audite et hæc verba ex libro Josue deprompta : « Et factum est, cum esset Jesus in Hiericho, respiciens oculis videt hominem stantem contra se. Et accedens Jesus dixit ei : Noster es, an adversariorum? At ille dixit ei : Ego sum princeps militiæ virtutis Domini : nunc adveni. Et Jesus cecidit in faciem super terram, et dixit ei : Domine, quid præcipis tuo famulo? Et ait princeps militiæ Domini ad Jesum : Solve calceamenta de pedibus tuis : locus enim in quo stas, terra sancta est. Et Hiericho clausa erat ac munita : et nemo prodibat ex illa. Et dixit Dominus ad Jesum : Ecce ego trado tibi subjugatam Hiericho, et regem ejus, qui est in ea, et potentes, viros fortitudine[1]. »

LXIII. Tum Trypho : Prævalide, inquit, ac pluribus id a te demonstratum est. Quod igitur superest, eum ex virgine hominem de Patris sui voluntate nasci et crucifigi et mori non refugisse, ac postea videlicet resurrexisse et in cœlum ascendisse, fac ut demonstres.

Sic ego respondi : Id jam a me effectum est, o viri, ex Prophetarum verbis, quæ jam recitata iterum vestra causa referens et explicans, persuadere vobis conabor ut in hoc quoque mihi assentiamini. Quod igitur dicit Esaias : « Generationem ejus quis enarrabit? quia tollitur a terra vita ejus[2], » an non tibi eo dictum videtur, quod qui ob iniquitates populi in mortem a Deo traditus dicitur, is genus ex hominibus non habeat : cujus et de sanguine Moses, ut jam dixi, cum arcane loqueretur, sanguine uvæ suam illum stolam lavaturum esse dixit; quippe cum ejus sanguis non ex semine humano generatus sit, sed ex voluntate Dei. Et quæ a Davide dicta sunt : « In splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te. Juravit Dominus et non

[1] Josue v, 13. — [2] Esai. LIII, 8.

» pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundum » ordinem Melchisedech[1], » nonne vobis significant antiquitus futurum fuisse ut eum etiam ex humano utero Deus et Pater universorum gigneret : qui quidem et alio in testimonio, quod et ipsum jam recitatum, dicit : « Sedes tua » Deus in sæculum sæculi : virga directionis, virga regni » tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea » unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ partici» pibus tuis. Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis; a » domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te. Filiæ re» gum in honore tuo. Astitit regina a dextris tuis, in vestitu » deaurato, circumamicta, variegata. Audi filia, et vide, et » inclina aurem tuam : et obliviscere populum tuum et do» mum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum : quia » ipse est Dominus tuus, et adorabis eum[2]. » Igitur eum et adorandum esse, et Deum, et Christum illius, qui hæc perfecit, testimonio declaratum, manifeste ex his etiam verbis perspicitur. Qui autem in illum credunt, cum una sint anima et una synagoga ac una ecclesia, idcirco Ecclesiam, quæ ex illius nomine constituta est, illiusque nominis particeps est (omnes enim Christiani vocamur), veluti filiam a divina Scriptura compellari, similiter hæc verba manifeste demonstrant; quibus illud etiam edocemur, ut antiqua patrum nostrorum instituta oblivioni tradamus. Sic autem habent : « Audi filia et vide, et inclina aurem tuam, » et obliviscere populum tuum et domum Patris tui, et con» cupiscet rex decorum tuum : Quoniam ipse est Dominus » tuus, et adorabis eum. »

LXIV. Hic Trypho : Sit sane vester, qui ex gentibus estis, ille Dominus et Christus ac Deus agnitus, quemadmodum Scripturæ significant, qui etiam ex ejus nomine

[1] Psal. cix, 4. — [2] Psal. xliv, 7.

abuistis omnes ut Christiani diceremini. Nobis autem, qui ei, a quo etiam hic ipse factus est, cultores sumus, nihil pus est ut eum confiteamur aut adoremus.

Ad hæc ego : Si vobis, inquam, Trypho, studio contenionis et levitate similis essem, non jam adhuc perseveraem vobiscum communicare sermones; quippe qui non ad a quæ dicuntur intelligenda vos paretis, sed tantum ad liquid dicendum exacuatis. Nunc autem quia judicium Dei ormido, de nullo ex vestro genere præjudico, utrum is non it ex eorum numero qui secundum gratiam Domini Saaoth salvari possunt. Quapropter quamvis non probe agais, pergam tamen quidquid a vobis propositum aut contra uerit dictum, ad id respondere; quod idem etiam adversus mnes omnino ex omni hominum genere, qui his de rebus ut mecum commentari aut ex me sciscitari voluerint, faio. Si igitur animum ad ea quæ ex Scripturis attuli advertissetis, eos etiam qui ex vestro genere salvantur, per hunc salvari, atque in ejus parte esse intellexissetis profecto, nec me videlicet ea de re essetis percontati. Iterum igitur referam quæ ex Davide antea protuli; ac vos oro ut ad intelligendum, non autem ad improbe agendum et contra tantummodo dicendum vos incitetis. Davidis autem dicta sic habent : « Dominus regnavit; irascantur populi : qui sedet » super Cherubim; moveatur terra. Dominus in Sion ma» gnus, et excelsus super omnes populos. Confiteantur no» mini tuo magno : quoniam terribile et sanctum est : et » honor regis judicium diligit. Tu parasti directiones. Ju» dicium et justitiam in Jacob tu fecisti. Exaltate Dominum » Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quo» niam sanctus est. Moses et Aaron in sacerdotibus ejus, et » Samuel inter eos qui invocant nomen ejus. Invocabant » Dominum, et ipse exaudiebat eos : in columna nubis lo» quebatur ad eos; quoniam custodiebant testimonia ejus

» et præcepta ejus quæ dedit illis[1]. » Sunt etiam alia verba, quæ a Davide pronuntiata et a me jam allata in Salomonem dicta esse, propterea quod in Salomonem inscripta sunt, insipienter contenditis : sed ex illis demonstratur cum in Salomonem dicta non fuisse, tum etiam hunc ipsum ante solem esse, eosque ex vestro populo qui salvantur, per eum salvatum iri. Sic autem habent : « Deus judicium tuum » regi da, et justitiam tuam filio regis. Judicabit populum » tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio. Suscipiant » montes pacem populo et colles justitiam. Judicabit pau- » peres populi, et salvos faciet filios pauperum : et humilia- » bit calumniatorem : et permanebit cum sole, et ante lu- » nam in generationes generationum[2], » et reliqua usque ad : « Ante solem permanet nomen ejus, et benedicentur in » ipso omnes tribus terræ : omnes gentes magnificabunt » eum. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia » solus. Et benedictum nomen gloriæ ejus in sæculum sæ- » culi. Et replebitur gloria ejus omnis terra. Fiat, fiat. » Aliis etiam ex verbis pariter a Davide, ut supra dixi, pronuntiatis, futurum fuisse ut e summo cœlo progrederetur, ejusque in eadem loca indicari reditum recordamini; ut illum et Deum e cœlo prodiisse et hominem inter homines factum esse agnoscatis, ac rursus adventurum, quem quidem videbunt et plangent qui illum pupugerunt. Ejusmodi sunt hæc verba : « Cœli enarrant gloriam Dei, et opus ma- » nuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat ver- » bum, et nox nocti annuntiat scientiam. Non sunt loquelæ, » neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In » omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ » verba eorum. In sole posuit tabernaculum suum : et ipse » tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exsultabit ut » gigas ad currendam viam : a summo cœlo egressio ejus.

[1] Psal. XCVIII, 1. — [2] Psal. LXXI, 1.

t occursus ejus usque ad summum cœli : nec est qui se bscondat a calore ejus[1]. »

LXV. Hic Trypho : Tot Scripturarum, inquit, auctorie permotus, incertus sum animi quid de illa Scriptura cam, qua Deus apud Esaiam nulli alii gloriam suam darum se esse declarat his verbis : « Ego Dominus Deus ; ioc nomen meum : et gloriam meam alteri non dabo, ieque virtutes meas[2]. »

At ego : Si simpliciter, inquam, ac citra malignitatem s verbis recitatis conticuisti, Trypho, nec ea præfatus quæ æcedunt, nec quæ consequuntur subjungens; tibi ignosci otest. Sin autem ob eam causam, quod te existimaveris sputationem in eas angustias conjicere posse, ut Scriptuis inter se dicerem pugnare; errasti. Id enim nunquam idebo nec cogitare nec dicere; sed si quæ proponatur criptura quæ ejusmodi esse videatur, et prætextum, quasi sset alteri contraria, præbeat; cum persuasum habeam ullam Scripturam alteri contrariam esse, fatebor potius ie non intelligere quæ dicuntur, et iis qui Scripturas iner se pugnare suspicantur, ut idem potius ac ego sentiant, ersuadere conabor. Quo autem animo hanc quæstionem osueris, novit Deus. Ego autem Scripturam vobis, ita ut xpressa est, in memoriam redigam, ut etiam ex hac co;noscatis Deum soli Christo suo gloriam dare. Resumam iutem pauca quædam verba, o viri, ex quibus ea quæ proulit Trypho, nexa et continuata sunt; deinde ea similiter juæ consecutione conjuncta sunt. Neque enim alio ex loco iroferam, sed ita ut se habent, in unum nexa et cohærenia. Ac vos mihi animum advertite. Sunt autem ejusmodi : « Sic dicit Dominus Deus, qui fecit cœlum et defixit illud, » qui firmavit terram et quæ in ea, et qui dat spirationem » populo qui super eam, et spiritum calcantibus eam. Ego

[1] Psal. XVIII, 1. — [2] Esai. XLII, 8.

» Dominus Deus vocavi te in justitia, et tenebo dexter
» tuam, et confortabo te : et dedi te in testamentum gener
» in lucem gentium, ad aperiendum oculos cæcorum,
» educendum de vinculis vinctos, et de domo carceris,
» dentes in tenebris. Ego Dominus Deus : hoc nomen meu
» gloriam meam alteri non dabo, neque virtutes meas sc
» tilibus. Quæ ab initio, ecce veniunt; nova, quæ ego
» nuntio : et antequam annuntientur, manifestata sunt v
» Canite Domino canticum novum : principatus ejus a su
» mo terræ. Descendentes in mare, et navigantes semp
» insulæ, et habitatores earum. Lætare desertum, et
» eorum, et villæ; et habitatores Cedar lætabuntur, et q
» habitant in petra de summitate montium clamabunt : d
» bunt Deo gloriam : virtutes ejus in insulis nuntiab
» Dominus Deus virtutum egredietur, conteret bellum, e
» citabit zelum, et clamabit super inimicos cum fortitu
» dine[1]. » His recitatis ita eos compellavi : Intellexisti
amici, Deum declarare sese ei quem constituit in lucem
gentium, nec ulli alii gloriam daturum; nequaquam au
tem sibi ipsi, ut dixit Trypho, gloriam Deum retinere?

Tum Trypho : Id quoque, inquit, intelleximus. Absolv
igitur quæ dicenda supererant.

LXVI. Tum ego revocato sermone quem initio inter
seram, cum eum ex virgine genitum esse, atque hanc e
virgine generationem per Esaiam prædictam fuisse demon
trarem, ipsum vaticinium denuo recitavi in hæc verba :
« Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens : Pete t
» ipsi signum a Domino Deo tuo in profundum, sive in e
» celsum. Et dixit Achaz : Non petam, neque tentabo D
» minum. Et dixit Esaias : Audite nunc domus David : Num
» quid parum vobis est certamen præbere hominibus? e
» quomodo Domino præbetis certamen? Propterea dab

[1] Esai. XLII, 5.

Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel: butyrum et mel comedet; antequam sciat, aut præeligat mala, eliget bonum. Quoniam antequam cognoscat puer malum aut bonum, reprobat malitiam, eligendo bonum[1]. Quia, antequam sciat puer vocare patrem, aut matrem, tollet virtutem Damasci, et spolia Samariæ coram rege Assyriorum, et capietur terra, quam tu duriter feres, a facie duorum regum. Sed adducet Deus super te, et super populum tuum, et super domum patris tui, dies qui necdum venerunt ab eo die quo abstulit Ephraim a Juda, regem Assyriorum[2]. » Deinde hæc adjeci: Neminem quidem in Abrahæ secundum carnem genere extitisse, præter hunc Christum nostrum, qui ex virgine natus esset aut natus diceretur, omnibus perspicuum est.

LXVII. Tum Trypho respondit: Scriptura non habet: « Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium, » sed: « Ecce adolescentula in utero concipiet et pariet filium, » et quæ ordine sequuntur, ut a te recitata sunt. Tota autem prophetia in Ezechiam dicta est, in quem etiam evenisse demonstrantur quæ hoc oraculo continentur. Perhibetur autem in eorum qui Græci dicuntur, fabulis, Perseum ex Danae virgine, cum in auri forma influxisset in eam is qui apud illos dicitur Jupiter, genitum esse; ac vos sane pudere deberet eadem illis dicere; satiusque esset hominem ex hominibus genitum fateri hunc Jesum, ac si ipsum Christum esse ex Scripturis demonstretis, ob consentaneam legi et perfectam vitam id honoris consequutum dicere, ut in Christum eligeretur. Sed monstra et portenta audacter effutire non debetis, ne pariter ac Græci desipere arguamini.

Ad hæc ego: Persuasum tibi, inquam, Trypho, et omni-

[1] Esai. VII, 10. — [2] Esai. VIII, 4.

bus omnino hominibus esse volo, etiamsi jocando et ca chinnando adhuc pejora dicatis, non tamen futurum ut me a proposito dimoveatis : sed quibus ex verbis aut rebus ex peditam vobis esse refellendi rationem putatis, ex his demonstrationes eorum quæ a me dicuntur, cum testimonii Scripturarum semper deducam. Cæterum nec recte fac... nec ut veri amatorem decet, qui ea etiam de quibus semper inter nos convenerat, nempe præcepta quædam vobis a Mose ob duritiem cordis populi vestri posita fuisse, dissolvere coneris. Dixisti enim, eo quod convenienter legi vi veret, electum eum esse et factum Christum, si tamen eum demonstretur esse Christum.

Hic Trypho : Ipse enim nobis, inquit, confessus es et circumcisum eum esse, et cæteras leges per Mosem insti tutas servasse.

Tum ego : Confessus sum, inquam, et confiteor; sed non idcirco omnia eum sustinuisse confessus sum, quod per ea justificaretur, sed ut dispensationem perficeret, quam Pater ipsius, et universorum creator ac Dominus et Deus volebat. Nam et eum confiteor cruci affixum mori non refugisse, et hominem fieri et ea pati quæcumque in eum vestri generis homines ausi sunt. Sed quia rursus, Trypho, ab iis discedis quibus modo assentiebaris, responde mihi : Qui ante Mosem justi et patriarchæ extitere, cum nihil eorum observaverint quæcumque Scriptura demonstrat initium institutionis a Mose accepisse; salutem ii assequentur necne in beatorum hæreditate?

At Trypho : Cogunt me, inquit, Scripturæ confiteri.

Iterum te, inquam, similiter interrogo : Dona et victimas Deus ob penuriam patribus vestris imperavit, an propter duritiam cordis illorum et animum ad simulacra colenda proclivem?

Id quoque, inquit, cogunt nos Scripturæ pariter confiteri.

Deinde vero, inquam, Deum promisisse novum testamentum a se institutum iri præter illud quod in monte Oreb editum est, an non similiter Scripturæ prædixerunt?

Id quoque prædictum fuisse respondit.

Tum ergo rursum : Vetus Testamentum, inquam, nonne patribus vestris cum metu et tremore sancitum est, ita ut Deum ne audire quidem possent?

Confessus est ille.

Cur igitur, inquam, aliud testamentum Deus futurum promisit; nec ut istud institutum fuerat, sed sine metu et tremore et fulguribus institutum iri dixit, et tale ut demonstret quodnam præceptum, sive opus æternum et omni generi conveniens judicet Deus; quodnam autem accommodate ad duritiam cordis populi vestri, quemadmodum per Prophetas clamat, mandaverit?

Id quoque assentiri, inquit, omnino necesse est quotquot veritatis amatores, non contentionis cupidi fuerint.

Hic ego : Non video, inquam, quomodo nonnullos contentionis cupidos appellans, ipse idem sæpe visus sis committere; quippe qui sæpe contra ea dixeris quæ assensus fueras.

LXVIII. Tum Trypho : Rem enim incredibilem ac impossibilem propemodum demonstrare conaris, Deum nasci et hominem fieri non dedignatum esse.

Atque id quidem, inquam, si humanis doctrinis et argumentis aggrederer demonstrare; non æquum esset ut me ferretis. Si vero Scripturas, easque tam multas in hanc dictas sententiam, ac sæpe easdem referens, rogo ut eas intelligatis; corde ad cognoscendam Dei sententiam ac voluntatem obduruistis. Quod si semper iidem permanere vultis, equidem inde nihil lædar, sed eadem semper habens ac antequam vobiscum congrederer, a vobis discedam.

Hic Trypho : Vide, inquit, amice, non sine multo labore

et sudore tibi contigisse ut hæc acquireres : quare nos quoque oportet omnia quæ occurrunt diligenter explorare, ac tum demum iis assensum præbere quibus Scripturæ cogunt assentiri.

Ad hæc ego : Non id, inquam, a vobis peto, ut ne omni animi contentione quæ in quæstionem veniunt exploretis; sed ne nihil habentes quod dicatis, rursum contra ea veniatis quibus vos dixistis assentiri.

Ita facere, inquit Trypho, conabimur.

Rursum ego : Præter ea, inquam, quæ etiam nunc ex vobis sciscitatus sum, iterum vos interrogare volo. His enim interrogationibus etiam breviter disputationem absolvere conabor.

Interroga, inquit Trypho.

Num quem alium, inquam, adorandum et Dominum et Deum in Scripturis dici existimatis præter Creatorem hujus universi et Christum, quem vobis tot ex Scripturis hominem factum esse demonstravi?

Et Trypho : Quomodo id possimus confiteri, cum de eo etiam, an præter solum Patrem aliquis alius sit, tantam quæstionem moverimus?

Rursum ego : Necesse est id quoque ex vobis sciscitér, ut sciam numquid aliud sentiatis præter id quod modo confessi estis?

Nihil omnino, inquit ille.

Tum ego : Cum igitur his vere assentiamini, cumque Scriptura dicat, *Generationem ejus quis enarrabit*[1]*?* an non tandem intelligere debetis eum non esse humani generis semen?

At Trypho : Quomodo igitur Scriptura dicit Davidi, fore ut ex ejus lumbis filium sibi Deus assumat, et regnum ei tradat, ac in sede gloriæ suæ collocet?

[1] Esai. LIII, 8.

Si quidem, inquam, Trypho, vaticinium illud Esaias, *Ecce virgo in utero concipiet*[1], non ad Davidis, sed ad aliam ex duodecim tribubus domum edidisset; haberet forte res aliquid dubitationis. Sed cum ipsa prophetia ad domum Davidis edita sit; quæ ad Davidem in mysterio dixit Deus, ea Esaias, ut erant eventura, ita exposuit. Nisi forte illud amici, inquam, ignoratis, multa arcane aut in parabolis dicta, aut mysteriis et actionum quarumdam signis adumbrata, a Prophetis post eos, qui hæc dixere aut egere, exortis fuisse explicata.

Maxime, inquit Trypho.

Si ergo hanc Esaiæ prophetiam in nostrum hunc Christum, minime vero in Ezechiam, ut vobis placet, dictam esse demonstravero; an non id quoque a vobis impetrabo, ut ne fidem magistris vestris habeatis, qui interpretationem a septuaginta vestris senioribus apud Ptolemæum Ægyptiorum regem adornatam quibusdam in rebus veram non esse audent pronuntiare? Nam quæ diserte in Scripturis insipientem eorum et sui amantem sententiam arguere manifestum est, ea negare audent ita esse scripta. Quæ vero trahere et ad humanas actiones accommodare posse sibi videntur, ea asserunt non in nostrum hunc Jesum Christum esse dicta, sed in quem ipsis interpretari placet. Sic Scripturam illam, de qua nunc agimus, docuerunt vos in Ezechiam esse dictam, in quo quidem, ut promisi, mentiri eos demonstrabo. Quando autem eis Scripturas illas objicimus, quæ supra a me recitatæ Christum conceptis verbis passibilem et adorandum et Deum demonstrant; assentiuntur illi quidem necessitate adducti in Christum dictas esse; sed hunc negare audent Christum esse, venturum autem et passurum et regnaturum et adorandum Deum fore confitentur; quod quidem ridiculum et stultum esse pariter

[1] Esai. VII, 4.

demonstrabo. Sed quia festinatione urgeor, ut iis prius respondeam quæ per ridiculum a te dicta sunt, his quidem respondebo, ac postea ad ea quæ supersunt demonstranda progrediar.

LXIX. Probe igitur scias, Trypho (sic enim pergebam), quæ corrupit et adulteravit is qui dicitur Diabolus, atque ut apud Græcos narrarentur perfecit, quemadmodum et per magos in Ægypto, et per falsos, Eliæ tempore, prophetas operatus est, his meam in Scripturis intelligentiam et fidem confirmari. Nam cum Bacchum ex Jovis cum Semele consuetudine genitum dicunt, eumque inventorem vitis fuisse, et discerptum ac mortuum resurrexisse, ac in cœlum ascendisse perhibent, et vinum in ejus mysteria inducunt; nonne prædictum illud Jacobi oraculum, quod Moses litteris mandavit, a diabolo imitatione expressum intelligo? Cum autem Herculem fortem fuisse et totum orbem terrarum peragrasse dicunt, eumdemque Jovi ex Alcmene genitum, et post mortem in cœlum ascendisse; nonne Scripturam illam quæ de Christo dicit, « Fortis ut gigas ad *currendum* » *viam suam*[1], » similiter eum imitatum intelligo? Cum autem Æsculapium mortuos excitantem et alios morbos curantem inducit; nonne edita de Christo vaticinia in hoc quoque similiter imitatum dixerim? Sed quia nullam vobis ejusmodi Scripturam attuli, quæ Christum hæc facturum demonstraret; necessario aliquam unam commemorabo, ex qua intelligere poteritis, quomodo etiam hominibus instar deserti, quantum ad Dei cognitionem attinet, sese habentibus (gentes intelligo), qui oculos habentes non videbant, et cor habentes non intelligebant, simulacra ex materia fabrefacta adorantes; quomodo, inquam, his Scriptura prænuntiet fore ut simulacris nuntium remittant, et in hunc Christum sperent. Sic autem expressa est : « Lætare deser-

[1] Psal. xviii, 6.

» tum sitiens : exsultet solitudo, et floreat quasi lilium : et » efflorescent et èxsultabunt deserta Jordanis : et gloria Li- » bani data est ei, et honor Carmeli. Et populus meus vi- » debit altitudinem Domini et gloriam Dei. Confortamini » manus remissæ, et genua dissoluta. Consolamini vos, pu- » sillanimes corde, confortamini, nolite timere. Ecce Deus » noster judicium retribuit, et retribuet : ipse veniet, et » salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures » surdorum audient. Tunc saliet sicut cervus claudus, et » expedita erit lingua balborum : quia scissa est in deserto » aqua, et torrens in terra sitienti : et erit inaquosa in pa- » ludes : et in sitiente terra fons aquæ erit[1]. » Fons aquæ vivæ a Deo in terra, quantum ad cognitionem Dei spectat, deserta, gentium videlicet, scaturivit hic Christus, qui et in vestra gente apparuit, ac homines ab ipso ortu et secundum carnem cæcos et surdos et claudos sanavit, verbo suo efficiens ut alius quidem exsiliret, alius audiret, alius videret. Quinetiam mortuos exsuscitans et vitæ restituens, etiam ex operibus homines illius ætatis excitabat ut eum agnoscerent. Isti autem cum hæc etiam fieri viderent, magicas esse præstigias dicebant ; eum enim magum et populi deceptorem dicere audebant. Hæc autem ipse eo quoque consilio faciebat, ut et crediturις sibi hominibus persuaderet, etiamsi quis aliquo corporis vitio laboret, modo tradita a se præcepta custodiat, integrum illum a se in secundo suo adventu, ac præterea immortalem, et corruptionis et doloris expertem excitatum iri.

LXX. Cum autem ii qui Mithræ tradunt mysteria, eum ex petra genitum dicunt, et speluncam vocant locum illum ubi ab eo initiari perhibent eos qui ipsi credunt ; nonne hic illos imitatos scio id quod a Daniele dictum est, » lapidem abscissum esse sine manibus ex magno monte, et quod ab

[1] Esai. xxxv, 1.

Esaia similiter, cujus omnia etiam verba imitari conati sunt. Machinati enim sunt, ut sermones etiam apud istos de justitiæ observatione haberentur. Necesse est autem Esaiæ verba vobis referam, ut ex illis perspiciatis ita sese rem habere. Sunt autem ejusmodi : « Audite, qui longe estis, » quæ feci : scient, qui appropinquant fortitudinem meam. » Recesserunt qui erant in Sion iniqui : apprehendet tremor » impios. Quis annuntiabit vobis locum æternum? Qui ambulat in justitia, qui loquitur rectam viam, odit iniquitatem, » et injustitiam, et manus puras habet a muneribus; qui » obturat aures, ut non audiat judicium sanguinis injus- » tum, claudit oculos, ne videat iniquitatem : iste habitabit in excelsa spelunca petræ fortissimæ. Panis ei dabitur, » et aqua ejus fidelis. Regem cum gloria videbitis : oculi » vestri videbunt de longe : anima vestra meditabitur timorem Domini. Ubi est litteratus? Ubi sunt consiliatores? » Ubi est qui numerat eos qui nutriuntur? parvum et magnum populum? Quocum consilia non agitarunt, neque » profunditatem vocum sciverunt, ita ut non audirent. Populus vitiosus, et non est audienti intelligentia[1]. » Liquet igitur in hac quoque prophetia et de pane illo prædici, quem nobis Christus noster facere præcepit in memoriam corporis a se propter eos qui in ipsum credunt assumpti, propter quos et passibilis factus est; et de calice, quem in memoriam sanguinis sui cum gratiarum actione fieri præcepit. Atque hunc ipsum Regem gloria circumfluentem nos visuros eadem prophetia declarat : ac futurum etiam ut populus qui in eum prænoscebatur crediturus, timorem Dei meditaretur, id præcognitum fuisse, ipsa prophetiæ verba clamant : denique eos qui litteras Scripturarum scire sibi videntur, prophetiarum intelligentiam, etiam cum eas audiunt, non habere, similiter hæ Scripturæ vociferantur.

[1] Esai. XXXIII, 13.

Quando autem ex virgine genitum audio Perseum, id quoque, Trypho, fraudulentum Serpentem imitatum intelligo.

LXXI. Sed minime mihi probantur magistri vestri, qui septuaginta illos senes apud Ptolemæum Ægyptiorum regem recte interpretatos esse assentiri nolunt, sed ipsi interpretari aggrediuntur. Neque illud etiam vobis ignoratum velim, permultas Scripturas, ex quibus perspicue hunc ipsum, qui cruci affixus fuit, et Deum, et hominem, et crucifixum, et morientem prædicatum esse demonstratur, omnino ab eis ex illa interpretatione quam senes apud Ptolemæum adornarunt, deletas fuisse. Quas quia scio ab omnibus vestri generis hominibus negari, in ejusmodi quæstiones non delabor, sed in eas quæ sunt ex illo genere quod adhuc a vobis ratum habetur, investigationem dirigere aggredior. Nam quascumque vobis attuli, eas agnoscitis; nisi quod de illa voce, *Ecce virgo in utero concipiet*[1], litem movistis, ita dictum esse asserentes, « Ecce adolescentula » in utero concipiet. » Atque equidem promisi demonstraturum me hanc prophetiam non in Ezechiam, ut didicistis, sed in meum hunc Christum dictam esse; quæ quidem demonstratio jam mihi instituenda.

Hic Trypho : Rogamus te, inquit, ut prius ex Scripturis, quas penitus deletas fuisse dicis, nonnullas saltem in medium proferas.

LXXII. Tum ego : Ut vobis placet, ita faciam, inquam. Ex his igitur, quæ Esdras in legem de Paschate sancitam disseruit, hæc reciderunt : « Et dixit Esdras populo : Hoc » Pascha salvator noster est et perfugum nostrum. Ac si » intellexeritis et ascenderit in cor vestrum : quia futurum » est ut eum humiliemus in signo; si saltem postea speremus in eum, non desolabitur locus iste in omne tempus : » dicit Deus virtutum. Sin autem non credideritis ei, neque

[1] Esai. VII, 14.

» audieritis prædicationem ejus; ludibrium eritis gentibus. » Et ex Jeremiæ verbis hæc reciderunt : « Ego ut agnus qui » portatur ad immolandum. Super me cogitaverunt cogita» tionem dicentes : Venite mittamus lignum in panem ejus, » et tollamus eum e terra viventium, et nomen ejus non me» moretur amplius[1]. » Quoniam autem hunc ex Jeremiæ locum adhuc nonnulla ex his quæ apud Judæorum synagogas asservantur, exemplaria scriptum retinent (non enim diu est quod hæc reciderunt); si quando ex his etiam verbis demonstretur consilium a Judæis initum fuisse ut Christum crucifigentes occiderent, ipsumque ostendatur, quemadmodum et ab Esaia prænuntiatur velut ovis ad necem abductus, ita etiam hoc loco velut agnum minime malum describi; his rebus in angustias conjecti ad blasphemias se convertunt. Hæc etiam ex Jeremiæ dictis similiter reciderunt : « Recordatus est Dominus Deus mortuorum suorum » ex Israele, qui obdormierunt in terra aggeris; et descen» dit ad eos, ut evangelizaret eis salutare suum. »

LXXIII. Et ex psalmo Davidis nonagesimo quinto perpauca hæc abstulerunt, *a ligno*. Nam cum ita dictum fuisset, *Dicite in gentibus : Dominus regnavit a ligno*, reliquerunt, *Dicite in gentibus : Dominus regnavit*. Nemo autem unquam ex vestro genere extitit, de quo tanquam de Deo et Domino diceretur, eum in gentibus regnasse, præter hunc solum crucifixum, quem et resurgentem ex mortuis liberatum esse Spiritus sanctus in eodem psalmo asserit; eumque diis gentium similem non esse declarat. illos enim esse simulacra dæmoniorum. Sed ut quid dicatur intelligatis, totum vobis psalmum recitabo. Sic autem habet : « Cantate Domino canticum novum : cantate Domino » omnis terra. Cantate Domino, et benedicite nomen ejus : » bene nuntiate de die in diem salutare ejus. Annuntiate in

[1] Jerem. XI, 19.

gentibus gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus. Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis; terribilis est super omnes deos. Quoniam omnes dii gentium, dæ- » monia : Dominus autem cœlos fecit. Confessio et pulchri- » tudo in conspectu ejus : sanctitas et magnificentia in sanc- » tificatione ejus. Afferte Domino, patriæ gentium; afferte » Domino gloriam et honorem : afferte Domino gloriam in » nomine ejus. Tollite hostias, et introite in atria ejus : ado- » rate Dominum in atrio sancto ejus. Commoveatur a facie » ejus universa terra : dicite in gentibus, Dominus regnavit. » Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur : » judicabit populos in æquitate. Lætentur cœli, et exsultet » terra : commoveatur mare, et plenitudo ejus. Gaudebunt » campi, et omnia quæ in eis sunt. Exsultabunt omnia ligna » silvæ a facie Domini, quoniam venit; quoniam venit ju- » dicare terram. Judicabit orbem terræ in æquitate, et po- » pulos in veritate sua[1]. »

Hic Trypho : Utrum ex Scripturis, inquit, aliquid, ut asseris, principes populi deleverint, Deus scire potest. Cæterum videtur id incredibile.

Sane, inquam, incredibile videtur. Est enim horribilius quidpiam, quam quod ab eis commissum est cum vitulum, manna in terris expleti, conflarunt, aut cum filios immolarunt dæmoniis, aut cum ipsos prophetas occiderunt. Sed mihi, aiebam, existimate nihil vos audiisse de Scripturis quas furto ab iis sublatas dixi. Satis enim superque sufficiunt ad demonstrationem eorum quæ in quæstionem veniunt, tot jam antea allatæ Scripturæ, præter eas quæ apud vos servatæ deinceps proferentur.

LXXIV. Tum Trypho : Scimus, inquit, rogatu nostro eas a te recitatas esse. At psalmus ille, quem postremum ex Davidis oraculis recitasti, non mihi videtur in alium dic-

[1] Psal. xcv, 1.

tus esse, quam in Patrem, qui cœlum et terram creavit. Tu vero dictum esse contendis in istum perpessionibus obnoxium, quem et Christum esse conaris demonstrare.

Ad hæc ego : Loquutionem a Spiritu sancto in hoc psalmo pronuntiatam adhibenti mihi, animum, quæso, advertite : ac videbitis nec me improbe dicere, nec nos prorsus lactatos fuisse; sic enim et multa alia ex Spiritus sancti dictis per vos ipsi, cum a me discesseritis, intelligere poteritis. « Cantate Domino canticum novum : cantate Domino » omnis terra. Cantate Domino, et benedicite nomini ejus. » Annuntiate de die in diem salutare ejus, in omnibus po- » pulis mirabilia ejus. » Hortatur ut qui ex toto terrarum orbe salutare illud mysterium, id est passionem Christi, per quam a Deo sunt salvati, cognoscunt, ii Deo et Patri universorum indesinenter canant et psallant; agnoscentes laudabilem et terribilem et conditorem cœli et terræ eum esse, a quo hæc salus humano generi facta est, ille videlicet qui postquam cruci affixus et mortuus est, regno totius orbis terrarum ab eo donatus est. « Et exsurgens hic popu- » lus fornicabitur post deos alienos terræ in quam hic in- » greditur, ut habitet in ea : et derelinquent me; et dissi- » pabunt testamentum meum, quod testatus sum eis in die » illa : et derelinquam eos, et avertam faciem meam ab eis; » et erit esca, et invenient eum mala multa et tribulationes : » et dicet in die illa : Quoniam non est Dominus meus in » nobis, invenerunt me mala hæc. Ego autem avertendo » avertam faciem meam ab eis in die illa, propter om- » nia mala quæ fecerunt : quoniam abierunt ad deos alie- » nos[1]. »

LXXV. In libro autem Exodi nomen ipsius Dei, quod nec Abrahæ nec Jacobo declaratum dicit, etiam Jesum fuisse, Moses arcane similiter pronuntiat, nosque intellexi-

[1] Deut. XXXI, 16.

ius. Sic autem dictum est : « Et dixit Dominus Mosæ : Dic populo isti : Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, ut custodiat te in via, et introducat te in terram quam paravi tibi. Observa eum et audi eum : non rebella ei, non enim dimittet te. Nomen namque meum est in eo[1]. » Quis igitur patres vestros in terram introuxerit tandem aliquando considerate; ille nimirum, qui oc nomine cognominatus est Jesus, cum Auses antea vocaretur. Nam si id consideraveritis, illud quoque intelliges, nomen illius qui dixit Mosi, *Nomen namque meum est i eo*, Jesum fuisse. Nam et Israel ipse vocabatur, et hoc acobo cognomen imposuit. Angelos autem et Apostolos ici vocari prophetas illos, qui ad nuntianda ejus mandata nittuntur, apud Esaiam declaratur. Ibi enim dicit Esaias : *Iitte me*[2]. Fortem autem et magnum Prophetam fuisse um qui Jesu cognomen accepit, omnibus perspicuum est. gitur si tot in formis Deum Abrahæ et Jacob et Mosi vium esse scimus; cur hæremus incerti, nec credere voluius eum secundum voluntatem Patris universorum etiam ominem ex virgine nasci potuisse; cum præsertim tot haeamus Scripturas, ex quibus aperte intelligere liceat id uoque de Patris voluntate factum esse?

LXXVI. Nam Daniel, cum *tanquam filium hominis* apellat eum qui regnum æternum accipit, nonne id ipsum nnuit? Quod enim *tanquam filium hominis* dicit, homiiem quidem visum et factum esse significat, ex semine auem humano constitutum non fuisse declarat. Et cum eum apidem sine manibus abscissum vocat, idem clamat arcane. Nam quod eum sine manibus abscissum fuisse dicit, idem valet ac eum non esse hominum opus, sed voluntatis illius, qui eum produxit, Patris universorum Dei. Et quod Esaias licit : *Generationem ejus quis enarrabit*[3]? genus eum non

[1] Exod. XXIII, 20. — [2] Esai. LXVIII. — [3] Esai. LIII, 8.

enarrabile habere demonstrat. Nemo enim est qui, cum homo ex hominibus sit, genus habeat non enarrabile. Et quod Moses dixit suam illum stolam in sanguine uvæ lavaturum, nonne id ipsum est quod sæpe vos monui arcane ab eo prænuntiatum; ita ut sanguinem quidem ei inesse significaverit, sed nequaquam ex hominibus; quemadmodum uvæ sanguinem non homo generavit, sed Deus? Et quod eum Esaias magni consilii Angelum vocat, nonne eorum quæ adveniens edocuit, magistrum illum et doctorem futurum prænuntiabat? Magna enim Patris consilia tum in omnes qui ipsi placuerant et placituri erant homines, tum in desciscentes ab ejus voluntate homines pariter et angelos, solus hic aperte edocuit, cum ita diceret: « Venient ab » Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham, et » Isaac, et Jacob in regno cœlorum : filii autem regni eji- » cientur in tenebras exteriores[1]. » Et : « Multi dicent mihi » in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo edi- » mus et bibimus et prophetavimus et dæmonia ejecimus? » Et dicam eis : discedite a me[2]. » Et aliis verbis, quibus indignos qui salventur condemnaturus est, dicturum se declaravit : « Abite in tenebras exteriores, quas paravit Pater » Satanæ et angelis ejus; » et rursus aliis verbis ait : « Do » vobis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones » et scolopendras, et super omnem virtutem inimici[3]. » Et nunc qui in crucifixum sub Pontio Pilato Jesum Dominum nostrum credimus, dæmonia omnia et malos spiritus adjurando potestati nostræ subjicimus. Quamvis enim tecte per Prophetas prædicatum fuisset Christum esse passurum, ac postea omnibus imperaturum, id tamen a nemine intelligi poterat, donec ipse discipulis persuasit hæc in Scripturis nominatim esse prædicata. Clamabat enim antequam in crucem ageretur : « Oportet Filium hominis multa pati

[1] Matth. VIII, 11. — [2] Matth. VII, 22. — [3] Luc. X, 19.

et rejici a Scribis et Pharisæis, et crucifigi, et tertia die resurgere[1]. » Et David futurum fuisse ante solem et lunam ·ædicavit, ut ex utero secundum Patris voluntatem nas- ɔretur, eumque, cum Christus sit, Deum fortem et ado- ındum esse declaravit.

LXXVII. At Trypho : Equidem tibi assentior satis inesse ›t ac tantis rationibus ad persuadendum momenti; sed ɔias velim me a te Scripturam illam, quam sæpe demons- ·aturum pollicitus es, reposcere. Fac igitur eam nobis ex- edias, ut videamus quonam pacto in vestrum illum Chris- ım dictam esse demonstres. Nos enim in Ezechiam præ- untiatam fuisse dicimus.

Tum ego : Ut vobis, inquam, videtur, ita faciam. Sed ıihi prius demonstra de Ezechia dictum esse, eum, ante- uam patrem aut matrem vocare nosset, virtutem Damasci t spolia Samariæ coram rege Assyriorum cepisse. Neque nim vobis concedetur, ut vestro arbitratu hanc interpre- ıtionem afferatis, Ezechiam adversus Damascum et in iamaria coram rege Assyriorum bellum gessisse. Nam, « priusquam puer norit vocare patrem aut matrem[2], » in- [uit propheticus sermo, « capiet virtutem Damasci et spolia Samariæ coram rege Assyriorum. » Nam si propheticus piritus cum additamento non dixisset, « Antequam norit puer vocare patrem aut matrem, accipiet virtutem Da- masci et spolia Samariæ; » sed tantum, « et pariet filium et capiet virtutem Damasci et spolia Samariæ; » dicere ›oteratis : Quia futurum prænoscebat Deus ut hæc caperet Ezechias, idcirco prædixit. Nunc autem cum hoc addita- nento dicit prophetia : « Antequam norit puer appellare patrem aut matrem, capiet virtutem Damasci et spolia Samariæ. » Ac vos quidem, cui id unquam apud Judæos ɔontigerit, demonstrare neminem potestis : nos autem in

[1] Luc. IX, 22. — [2] Esai. VIII, 4.

Christo nostro factum demonstrare possumus. Statim enim atque natus est, Magi ex Arabia profecti eum adoraverunt, cum prius se ad Herodem in terra vestra tunc regnantem contulissent : quem quidem Scriptura regem Assyriorum vocat ob impium et improbum ejus animum. Scitis enim sæpe a Spiritu sancto res ejusmodi in parabolis et similitudinibus dici ; quale est quod et in omnem Jerosolymorum populum usurpavit, sæpe illos ita compellans : « Pater tuus » Amorrhæus et mater tua Chettæa[1]. »

LXXVIII. Nam Herodes ille rex, cum ad eum tunc Magi ex Arabia venissent ac dicerent : Ex stella quæ in cœlo apparuit, cognovimus natum esse regem in terra vestra, eumque adoratum venimus, edoctus est a senioribus populi vestri, qui, in urbe Bethleem, responderunt, eo quod ita scriptum sit a Propheta : « Et tu Bethleem terra Juda ne» quaquam minima es in principibus Juda. Ex te enim ex» ibit dux, qui pascet populum meum[2]. » Illi igitur ex Arabia Magi, cum Bethleem venissent, ac puerum adorassent, eique munera, aurum, thus et myrrham obtulissent, *divinitus* admoniti sunt, adorato Bethleem puero, ne ad Herodem redirent. Ac Joseph quidem Mariæ sponsus, cum prius vellet sponsam suam ejicere, arbitratus ex viri consuetudine, id est ex stupro, gravidam esse, viso ipsi oblato jussus est uxorem suam non ejicere, asserente angelo, qui ei apparebat, ex Spiritu sancto esse quod illa in utero habebat. Metu igitur perculsus eam non ejecit. Sed cum census in Judæa tum primum haberetur sub Cyrenio, ex oppido Nazareth, in quo degebat, Bethleem, unde oriundus erat, profectus est, ut ceuseretur ; nam ex tribu Juda hanc terram incolente genus ducebat. Ac ipse una cum Maria jubetur in Ægyptum discedere, ibique cum puero commorari, donec divinitus admoneantur, ut in Judæam redeant. Nato autem Bethleem

[1] Ezech. XVI, 3. — [2] Mich. V, 2.

puero, cum Joseph in hoc vico non haberet quo diverteret, in specum quemdam vico proximum concessit. Cumque ibi essent, peperit Christum Maria, ac eum in præsepi posuit, ubi a Magis ex Arabia venientibus repertus est. Vobis equidem jam demonstravi Esaiam de signo hunc specum adumbrante vaticinatum esse; sed propter eos qui hodie nobiscum venerunt, locum repetam : tumque locum illum recitavi jam a me ex Esaia descriptum, adjiciens Mithræ mysteriorum antistites propter hæc verba a diabolo impulsos esse, ut in loco qui apud eos spelunca dicitur, suos initiari ab ipso Mithra dicerent. Herodes igitur, cum illi ex Arabia Magi ad eum non rediissent, quod tamen ut facerent eos rogaverat, sed alio itinere, ut jussi fuerant, regionem suam repetiissent; cumque Josephus una cum Maria et puero, prout divinitus admoniti fuerant, jam in Ægyptum profecti essent; Herodes, inquam, puerum illum, quem Magi adoratum venerant, non cognoscens, omnes omnino pueros in Bethleem jussit occidi. Atque id eventurum Jeremias prædixerat, sic per eum loquente Spiritu sancto : « Vox in Rama audita est, » ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos, et » noluit consolationem accipere quia non sunt[1]. » Igitur propter vocem quæ ex Rama exaudienda erat, id est, ex Arabia (est enim etiam hactenus in Arabia locus qui Rama dicitur), locum illum ubi Rachel Jacobi sancti illius patriarchæ, qui Israel cognominatus est, uxor sepulta est, id est, Bethleem fletus impleturus erat, plorantibus proprios filios interfectos mulieribus, atque insolabiliter hunc casum lugentibus. Nam et quod dicit Esaias, « Accipiet virtutem Da» masci et spolia Samariæ[2], » significabat nefarii dæmonis, qui Damasci habitabat, potestatem a Christo, statim atque natus esset, victum iri; quod quidem factum esse demonstratur. Magi enim, qui ut spolia rapti fuerant ad malas quas-

[1] Jerem. xxxi, 15. — [2] Esai. viii, 4.

que actiones, ad quas eos ille dæmon impellebat, ubi Christum adoratum venerunt, defecere, ut manifestum est, ab ea, quæ illos ut spolia rapuerat, potestate, quam nobis arcane Scriptura Damasci habitare indicat. Illam autem potestatem, cum peccatrix et iniqua sit, præclare Samariam per similitudinem appellat. Damascum autem Arabicæ regionis esse et fuisse, quamvis nunc ei quæ Syrophœnice dicitur, accenseatur, ne vestrum quidem quisquam negare possit. Quamobrem præclarum fuerit, o viri, quæ minus intelligitis, ea ex his qui gratiam a Deo acceperunt, id est, ex nobis christianis discere; nequaquam autem in omnibus dimicare et contendere, ut doctrinam vestram divina contempta stabiliatis. Quare etiam in nos translata est hæc gratia, ut ait Esaias his verbis : « Appropinquat mihi populus » iste : labiis suis honorant me, cor autem eorum longe est » a me : sed frustra me colunt, præcepta hominum ac doc» trinas docentes. Propterea ecce ego adjiciam ut transfe» ram populum istum; et transferam eos. Et auferam sa» pientiam sapientium ipsorum, et prudentiam prudentum » abolebo[1]. »

LXXIX. Hic Trypho subirascens quidem, sed tamen Scripturas reveritus, ut ex ejus vultu patebat, ita dixit ad me : Sancta quidem eloquia Dei; sed vestræ interpretationes, ut vel ex his quæ a te exposita sunt apparet, arte compositæ, vel potius impiæ. Angelos enim improbe se gessisse, et a Deo defecisse dicis.

Tum ego remissiori voce, ut eum ad me audiendum præpararem, ita respondi : Admiror, Trypho, tuam illam religionem, teque eodem animo affici precor in eum, cui scriptum est angelos ministrare; quemadmodum ait Daniel, eum tanquam filium hominis ad antiquum dierum adduci, eique regnum omne dari in sæculum sæculi. Atque ut perspectum

[1] E . xxix, 13.

habeas, Trypho, nequaquam propria nos audacia adductos esse, ut eam, de qua quereris, interpretationem adhiberemus; testimonium tibi ex ipso Esaia proferam, qui Tanaim quoque in regione Ægypti malos angelos habitasse ait et habitare. Sunt autem hæc verba : « Væ filii desertores! hæc » dicit Dominus. Fecistis consilium, non per me, et pacta » non per spiritum meum, ut adderetis peccata peccatis; » maligne agentes, ut descenderetis in Ægyptum (me autem non interrogaverunt); ut acciperent auxilium a Pharaone, et tegerentur umbraculo Ægyptiorum. Erit enim » vobis protectio Pharaonis in confusionem, et his qui confidunt in Ægyptiis opprobrium. Sunt enim in Tani principes, angeli maligni. Frustra laborabunt ad populum, » qui eis non proderit ad auxilium, sed ad confusionem et » opprobrium[1]. » Sed et Zacharias dicit, quemadmodum ipse commemorasti, « diabolum stetisse a dextris Jesu sacerdotis ut adversaretur ei, et Dominum dixisse : Increpet » te Dominus, qui suscepit Hierusalem[2]. » Ac rursum in libro Job scriptum est, ut et ipse dixisti, « angelos venisse » ut assisterent coram Domino; et diabolum una cum illis » affuisse[3]. » Et a Mose in principio Genesis scriptum habemus Evam a serpente deceptam fuisse, eumque diris devotum. Et in Ægypto magos scimus conatos esse imitari virtutem illam, quam per fidelem famulum Deus operabatur. Nec vos latet dixisse Davidem : *Dii gentium dæmonia.*

LXXX. Ad hæc Trypho : Jam tibi, inquit, dixi, id a te in omnibus provideri, ut Scripturis implicatus in tuto verseris. Sed age dic mihi : vere hunc vos Jerosolymorum locum instauratum iri fatemini, ac populum vestrum congregatum iri, et cum Christo beate victurum exspectatis una

[1] Esai. xxx, 1. — [2] Zach. III, 1. — [3] Job. 1, 6.

cum Patriarchis et Prophetis, iisque qui ex nostro ge-
fuerunt, vel etiam nobis se adjunxerunt antequam Chri-
vester veniret; an, ut nos videaris abunde in controv-
superare, eo confugisti ut hæc fatereris?

Tum ego : Non ita miser sum, inquam, Trypho, ut a-
dicam, aliud sentiam. Tibi igitur et antea confessus
me et multos alios hæc sentire, ita ut omnino perspec-
habeamus sic futurum : at multos rursus, eosque ex
christianorum genere quod piam et puram sequitur s-
tentiam, id non agnoscere tibi significavi. Nam quod
tat ad eos qui christiani quidem dicuntur, sed athei et im-
pii sunt hæretici, blasphema illos in omnibus et impia
insana docere tibi demonstravi. Atque ut sciatis me
apud vos solos hæc prædicare, librum pro viribus co-
nam omnium sermonum quos inter nos habuimus, in q-
bus quod apud vos profiteor, idem me profitentem des-
bam. Neque enim hominibus potius aut humanis doctr-
adhærendum mihi esse statuo, sed Deo et iis quæ ab
tradita sunt. Nam si etiam incidistis in nonnullos qui ch-
tiani quidem vocantur, hæc autem minime tenent, sed et
Deum Abrahæ et Deum Isaac et Deum Jacob blasphem-
appetere audent, ac nullam esse mortuorum resurrectio-
nem, sed statim atque moriantur animas suas in cœlu-
suscipi dicunt; cavete ne eos existimetis christianos : que-
admodum nec Judæos, si quis recte perpendat, esse fate-
tur Saducæos et similes sectas Genistarum, Meristaru-
Galilæorum, Hellenistarum, Pharisæorum et Baptista-
(ne vobis ingratum sit quidquid sentiam eloquentem a-
dire), sed nomine tenus Judæos et filios Abrahæ, ac lab-
Deum colentes, quemadmodum ipse Deus clamat, cord-
autem longe ab eo remotos. Ego autem et si qui recte i-
omnibus sentiunt christiani, et carnis resurrectionem fu-
turam scimus, et mille annos in urbe Jerusalem ædifica-

ornata et amplificata[1]; quemadmodum Ezechiel et Esaias cæteri Prophetæ promittunt.

LXXXI. Sic enim Esaias de hoc mille annorum spatio loquutus est: « Erit enim cœlum novum, et terra nova : et non recordabuntur priorum : et non venient super cor eorum; sed gaudium et exsultationem invenient in ipsa, quæ ego creo. Quia ecce ego facio exsultationem Jerusalem, et populum meum lætitiam : et exsultabo super Jerusalem, et lætabor super populo meo. Et non ultra audietur in ea vox fletus neque vox clamoris. Et non erit amplius ibi immatura aliquis ætate, et senex, qui non impleat tempus suum. Erit enim adolescens filius centum annorum : moriens vero peccator filius centum annorum, etiam maledictus erit. Et ædificabunt domos, et ipsi inhabitabunt : » et plantabunt vineas, et ipsi comedent genimina earum, » et vinum bibent : non ædificabunt, et alii inhabitabunt : » et non plantabunt, alii vero comedent. Etenim secundum » dies ligni vitæ erunt dies populi mei : opera laborum eorum » multiplicabuntur. Electi mei non laborabunt in vanum : » neque filios generabunt in maledictionem : quia semen » justum et benedictum a Domino erunt, et nepotes eorum » cum eis. Et erit, antequam ipsi clament ego exaudiam : » adhuc loquentibus illis, dicam, Quid est? Tum lupi et » agni pascentur simul, et leo, quasi bos, comedet paleas, » et serpens terram, quasi panem. Non nocebunt, neque » corrumpent in monte sancto, dicit Dominus. » Quod igitur his in verbis dicitur : « Nam secundum dies ligni, dies » populi mei erunt : opera laborum eorum multiplicabuntur, » mille annos arcane designari intelligimus. Cum enim Adæ dictum fuisset, quo die de ligno edisset, eo moriturum; mille illum annos non implevisse scimus. Illud etiam, *dies Domini tanquam mille anni*[2], eodem pertinere in-

[1] Vide post Indicem tertiam adnotationem. — [2] Psal. LXXXIX, 4.

telligimus. Huc accedit quod vir apud nos nomine Joannes, unus ex Christi Apostolis, in revelatione ipsi facta, mille annos Jerosolymis traducturos prædixit eos qui Christo nostro crediderint, ac postea generalem, et, ut verbo dicam, æternam unanimiter simul omnium resurrectionem et judicium futurum. Quod quidem et Dominus noster pronuntiavit : « Neque nubent, neque nubentur, sed æquales » angelis erunt, cum sint filii Dei resurrectionis[1]. »

LXXXII. Apud nos enim etiam nunc dona exstant prophetica; ex quo et ipsi intelligere debetis, quæ apud vos olim fuere, ea in nos esse translata. Quemadmodum autem apud vos, cum sancti essent prophetæ, falsi quoque exstiterunt; ita et nunc ejusmodi homines ac falsi doctores apud nos versantur : quos ut caveremus, præmonuit nos Dominus noster; ita ut nihil imparatis nobis eveniat, quippe cum præscium eum sciamus fuisse eorum quæ post ipsius resurrectionem ex mortuis et ascensum in cœlum eventura nobis erant. Futurum enim esse dixit, ut occideremur et odio haberemur propter nomen ejus, ac falsi prophetæ et falsi Christi in nomine ejus multi prodirent et plurimos seducerent; quod quidem et evenit. Multi enim impia et blasphema et iniqua in ejus nomine adulterantes tradiderunt, et quæ ab impuro spiritu diabolo sunt, ea mentibus suis injecta docuerunt et etiam nunc docent. Quibus idem quod vobis persuadere conamur, ut ab errore discedant; quippe cum perspectum habeamus quicumque verum possit dicere, nec dicat, eum a Deo judicatum iri, quemadmodum Deus per Ezechielem testatus est his verbis : « Speculatorem posui » te domui Juda. Si peccaverit peccator, et non testificatus » ei fueris, ipse quidem peccato suo peribit, a te autem san» guinem ejus requiram. Sin testificatus ei fueris, innocens » eris[2]. » Et nos igitur metu adducti, sermones secundum

[1] Luc. xx, 35, 36. — [2] Ezech. III, 17, 18, 19.

Scripturas conferre studemus, minime autem pecuniæ aut gloriæ cupiditate, aut amore voluptatis. Nullum enim ex his est vitiis, cujus nos quisquam arguere possit. Neque enim similiter ac principes populi vestri vivere volumus, quibus Deus hoc probrum objicit : « Principes vestri socii » furum, diligentes dona, persequentes retributionem[1]. » Quod si quos etiam inter nos tales noveritis, ne Scripturas idcirco et Christum blasphemiis appetatis, aut prave interpretari studeatis.

LXXXIII. Illud enim, « Dixit Dominus Domino meo : » Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabel» lum pedum tuorum[2], » ita interpretari ausi sunt magistri vestri, ut in Ezechiam dictum esse contenderent, quasi is jussus sit in dextra parte templi sedere cum ad eum misit rex Assyriorum minitans, eique per Esaiam significatum est ne hunc timeret. Atque Esaiæ quidem dicta sic evenisse ut dicta fuerant, et regem Assyriorum aversum fuisse quominus Jerusalem in diebus Ezechiæ oppugnaret, atque ab angelo Domini occisa in castris Assyriorum ad centum octoginta quinque hominum millia, et novimus et confitemur. Psalmum autem in eum dictum non fuisse perspicuum est : sic enim habet : « Dixit Dominus Domino meo : » Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabel» lum pedum tuorum. Virgam virtutis emittet super Jeru» salem, et dominabitur in medio inimicorum suorum. In » splendore sanctorum ex utero ante Luciferum genui te. » Juravit Dominus et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos » in æternum secundum ordinem Melchisedech[3]. » Ezechiam igitur non esse sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech, quis non fateatur? Nec eum esse Jerusalem liberatorem, quis nescit? Nec eum in urbem Jerosolymorum virgam virtutis emisisse, quæ dominata sit in

[1] Esai. I, 23. — [2] Psal. CIX, 1. — [3] *Ibid.*

medio inimicorum suorum, sed Deum esse, qui ab eo flente et plorante hostes avertit, quis non noverit? Noster autem Jesus, nondum gloriose adveniens, virgam virtutis emisit in urbem Jerusalem, verbum vocationis et pœnitentiæ ad omnes gentes, ubi dæmonia suo eas imperio tenebant, quemadmodum ait David : « Dii gentium dæmonia[1]; » ac præpotens illius verbum multis persuasit ut dæmonia, quibus serviebant, relinquerent, et per eum in Deum omnipotentem crederent, ac deos gentium esse dæmonia persuasum haberent. Illud autem « in splendoribus sanctorum ex utero » ante Luciferum genui te[2], » Christo dictum est, ut jam monuimus.

LXXXIV. Atque illud etiam : « Ecce virgo in utero concipiet et pariet filium[3], » in eum prædictum fuerat. Nam si ille de quo loquebatur Esaias, non erat ex virgine nasciturus; quis tandem ille est de quo Spiritus sanctus clamabat : « Ecce Dominus ipse nobis dabit signum : Ecce virgo » in utero concipiet et pariet filium? » Nam si hic quoque, perinde ac alii omnes primogeniti, ex concubitu oriturus erat, cur Deus ipse signum, quod minime omnibus primogenitis commune esset, daturum se dicebat? Sed quod vere signum est, quodque certum humano generi futurum erat, nempe ex virginali utero Primogenitum omnium rerum conditarum, carnem factum, vere puerum nasci, id præoccupans per Spiritum sanctum aliis atque aliis modis, ut vobis exposui, prænuntiavit, ut cum factum esset, potestate et voluntate Creatoris universorum factum esse agnosceretur : quemadmodum ex una Adæ costa Eva genita est, ac cætera omnia animantia verbo Dei initio generata sunt. Vos autem in his quoque interpretationes quas seniores vestri edidere, cum apud Ptolomæum Ægyptiorum regem essent, pervertere audetis, Scripturam asserentes non ha-

[1] Psal. xcv, 5. — [2] Psal. cix, 3. — [3] Esai. vii, 14.

bere ut illi exposuerunt, sed, « Ecce adolescentula in utero » habebit. » Quasi vero res magnæ significarentur, si mulier ex concubitu paritura esset; quod juniores omnes mulieres faciunt, exceptis sterilibus; quamquam ut istæ etiam pariant potest Deus efficere, si velit. Samuelis enim mater cum non pareret, Dei voluntate peperit : sic etiam uxor Abrahæ, sancti illius patriarchæ, et Elizabeth, quæ Joannem Baptistam genuit, et quædam aliæ similiter. Quapropter nihil omnino suspicari debetis, quod non possit Deus facere, si velit. Imprimis vero cum prædictum sit ita eventurum, ne prophetias adulterare aut prava interpretatione detorquere audeatis; si quidem vobis injuriam solis facietis, Deum autem nihil lædetis.

LXXXV. Atque hoc etiam vaticinium, « Tollite portas » principes vestras, et elevamini portæ æternales, ut ingre- » diatur rex gloriæ [1], » quidam ex vobis ad Ezechiam interpretando detorquere audent; alii ad Salomonem; cum nec in hunc nec in illum, nec in ullum omnino alium ex vestris regibus dictum esse demonstrari possit, sed tantum in nostrum hunc Christum, qui informis et inglorius apparuit, ut Esaias et David et Scripturæ omnes testantur; qui Dominus est virtutum per voluntatem Patris hoc ei dantis; qui ex mortuis etiam resurrexit et ascendit in cœlum, quemadmodum et Psalmus et cæteræ Scripturæ demonstrabant, eumque Dominum virtutum prædicabant : id quod vobis etiam nunc facile est, ex his quæ in omnium oculis geruntur, perspicere, si velitis. Nam per nomen ipsius illius filii Dei, et omnis creaturæ Primogeniti, qui ex virgine natus est, et homo perpessionibus obnoxius factus, et sub Pontio Pilato a populo vestro crucifixus, et mortuus est, ac resurrexit ex mortuis et ascendit in cœlum, dæmonium quodlibet adjuratum vincitur et subjicitur. Si vero per nomen quod-

[1] Psal. XXIII, 7.

libet eorum qui apud vos fuerunt, regum aut justorum, aut Prophetarum, aut Patriarcharum a vobis adjurentur, nullum subjicietur dæmonium. Si quis tamen vestrum per Deum Abrahæ et Deum Isaac et Deum Jacob adjuret, fortasse subjicietur. Jam vero exorcistas vestros dixi arte adhibita, perinde atque gentes adjurare, et suffitibus ac amuletis uti. Angelos autem et virtutes esse, quos Davidica prophetiæ sermo portas jubet attollere, ut introeat ille redivivus ex mortuis, Dominus virtutum secundum voluntatem Patris, Jesus Christus, verba Davidis similiter demonstrant. Quæ quidem iterum commemorabo propter eos qui heri nobiscum non erant, quorum etiam causa multa hesterno die dicta summatim refero. Ac nunc quidem [illegible] vobis dixero, etsi sæpe eadem inculcavi, nihil tamen absurdi dicturum esse confido. Ridiculum enim fuerit, solem et lunam videre ac cæteras stellas eamdem semper viam insistere, easdemque tempestatum vices reducere; rationum computatorem, si rogetur bis duo quot faciant, etsi sæpe dixerit quatuor, non tamen idcirco desinere quatuor dicere; et alia ejusmodi, quæcumque certo asseverantur, eodem semper modo dici et asseverari : eum autem qui ex Scripturis propheticis disserendi rationem depromat, missas Scripturas facere, nec easdem semper referre, sed melius aliquid Scriptura pariturum se existimare. Verba autem quibus Deum declarare dixi angelos et virtutes in cœlo esse, ita se habent : « Laudate Dominum de cœlis, laudate » eum in excelsis. Laudate eum omnes angeli ejus : laudate » eum omnes virtutes ejus [1]. »

Hic unus ex his qui postridie cum eis venerant, Mnaseas nomine, nobis, inquit, pergratum facis, quod eadem nostri causa referre instituas.

At ego : Audite, inquam, amici, quæ me Scriptura ut

[1] Psal. CXLVIII, 1.

ita facerem induxerit. Præcepit Jesus ut etiam inimicos diligamus : quod idem et ab Esaia prædicatum fuerat pluribus verbis, in quibus etiam nostræ regenerationis mysterium continetur, ac omnium omnino qui Christum Jerosolymis visum iri exspectant, eique operibus placere student. Verba Esaiæ hujusmodi sunt : « Audite verbum Domini, qui tre- » mitis sermonem ejus : dicite fratres nostri iis qui oderunt » vos, et abominantur, ut nomen Domini glorificetur. Visus » est in lætitia eorum, et illi confundentur. Vox clamoris » de civitate, vox de templo, vox Domini retribuentis retri- » butionem superbis. Antequam parturiens pariat, et ante- » quam veniat labor parturiginum; peperit masculum. Quis » audivit tale, et quis vidit sic : si parturivit terra in die » una; si vero et peperit gentem nixu uno; quia parturivit, » et peperit Sion parvulos suos? Ego autem dedi exspecta- » tionem hanc, et non parienti, dixit Dominus. Ecce ego pa- » rientem et sterilem feci, dicit Dominus. Lætare Jerusa- » lem, et conventus agite omnes qui diligitis eam. Gaudete » omnes quicumque lugetis super eam, ut sugatis, et im- » pleamini ab ubere consolationis ejus : ut postquam suxe- » ritis, deliciis affluatis ab introitu gloriæ ejus [1]. »

LXXXVI. His recitatis adjeci : Quem autem Scripturæ rursum gloriose, postquam crucifixus fuisset, venturum demonstrant, illius symbolum fuisse tum lignum vitæ, quod dictum fuerat in Paradiso plantatum fuisse, tum ea quæ omnibus justis eventura erant, audite. Moses cum virga missus est ad populum liberandum, eamque manibus gestans cum populum antecederet, mare dissecuit. Per eam ex petra aquam scaturientem vidit; ac ligno in aquam Merra injecto dulcem ex amara effecit. Virgis Jacob in canales aquarum injectis consequutus est, ut materni avunculi oves fœtæ fierent, quo fœtus earum ipse possideret. In virga sua

[1] Esai. LXVI, 5.

transmisisse se fluvium idem Jacob gloriatur : scalam quoque a se visam esse dixit, eique Deum innixum fuisse Scriptura demonstrat. Porro Patrem non fuisse ex Scripturis demonstravimus : et cum Jacob lapidi oleum infudisset in eodem loco, testimonium accepit ab ipso illo, qui ei apparuerat, Deo, quod cippum Deo sibi viso inunxisset. Christum autem lapidis nomine in testimoniis multis Scripturæ arcane designari, et quodcumque unguentum sive olei, sive stactæ, sive aliarum ex unguenti compositione unctionum, ipsius fuisse similiter demonstravimus, Scriptura dicente : « Propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis supra consortes tuos[1]. » Nam reges et christi omnes ab eo habuerunt, ut et reges et christi vocarentur : quemadmodum et ipse a Patre accepit, ut Rex et Christus esset et Sacerdos et Angelus, et quæcumque habet aut habuit. Aaronis virga cum fruticata esset, pontificem eum declaravit. Virgam e radice Jesse nasciturum esse Christum Esaias prædixit. Et David « tanquam, lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium ejus non defluet, ait esse justum[2]. » Dictum etiam illud est, fore ut justus ut palma floreat. Ex ligno visus est Abrahæ Deus, quemadmodum scriptum est, ad quercum Mambre. Septuaginta salices et duodecim fontes invenit populus transmisso Jordane : in virga et baculo David consolationem se a Deo accepisse dicit. Ligno Elisæus in fluvium Jordanem misso, ferrum securis revocavit, quacum profecti fuerant filii Prophetarum, ut ligna cæderent ad ædificandam domum, in qua legem et mandata Dei prædicare et meditari volebant : quemadmodum et nos peccatis gravissimis quæ admisimus, demersos Christus noster tum per lignum, in quo crucifixus est, tum per aquam, qua expiamur, liberavit ac domum precationis et adorationis effecit. Virga etiam

[1] Psal. XLIV, 8. — [2] Psal. I, 3.

rat, quæ Judam eorum patrem esse demonstravit, quos ex Thamar non sine magno mysterio genuerat.

LXXXVII. Hic Trypho, cum hæc dixissem : Ne me, inquit, deinceps existimes evertere tentantem quæ a te dicuntur, percontari quidquid percontatus fuero, sed de his ipsis quæ percontabor, velle perdiscere. Dic igitur mihi : cum Scriptura per Esaiam dicat : « Egredietur virga de radice » Jesse, et flos ascendet de radice Jesse, et requiescet super » eum spiritus Dei, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus » consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et re» plebit eum spiritus timoris Domini[1]; » (hæc autem mihi, aiebat, in Christum dicta esse confessus, eum tamen Deum præextitisse dicis, et carnem factum secundum voluntatem Dei, ex virgine hominem genitum esse); quomodo præextitisse demonstrari potest, qui per virtutes Spiritus sancti, quas per Esaiam enumerat Scriptura, completur, perinde ac illis indigeat.

Tum ego : Acutissime, inquam, et prudentissime interrogasti : vere enim videtur esse ambigendi locus : sed ut horum quoque rationem perspicias, audi quæ dicturus sum. Has Spiritus virtutes, quæ supra enumeratæ sunt, non ideo Scriptura in eum delapsas dicit, quod illis indigeret, sed quod in eo requieturæ essent, id est, finem in eo habituræ, ita ut nulli deinceps in vestro genere prophetæ veteri more exstarent : quod vobis licet vel ipsis oculis cernere. Post eum enim nullus apud vos extitit propheta. Atque ut vobis pateat Prophetas, cum unam quisque aut alteram virtutem a Deo accepissent, ea fecisse et dixisse quæ nos quoque ex Scripturis didicimus, his etiam quæ a me dicuntur animum advertite. Sapientiæ enim spiritum Salomon habebat, intelligentiæ et consilii Daniel, fortitudinis et pietatis Moses, timoris Elias, scientiæ Esaias; atque alii similiter aut sin-

[1] Esai. XI, 1.

gulas quisque virtutes, aut vicissim cum alia quapiam conjunctas habuere; velut Jeremias et duodecim et David, et cæteri omnino quicumque apud vos extiterunt Prophetæ. Requievit igitur, id est, desiit spiritus, postquam ille advenit cujus susceptæ inter homines dispensationis temporibus finem apud vos habere oportebat, et in eo requiescentia, rursus, ut prædictum fuerat, effundi dona illa, quæ ex gratia virtutis Spiritus sui largitur his qui in ipsum credunt, prout quemque dignum judicat. Quod quidem eum postquam in cœlum ascendisset ita facturum, jam dixi prænuntiatum fuisse, iterumque dico. Dictum est igitur : « Ascendit » in altum : captivam duxit captivitatem, dedit dona filiis » hominum[1]. » Et rursus in alio vaticinio : « Et erit postea, » effundam spiritum meum super omnem carnem et super » servos meos et super servas meas, et prophetabunt[2]. »

LXXXVIII. Atque apud nos videre est et mulieres et viros qui dona a Spiritu Dei habent. Quare non quod virtutis esset indiguus, prædictum est venturas in eum virtutes ab Esaia enumeratas, sed quod ultra futuræ non essent. Atque illud etiam vobis testimonio sit, quod vobis dixi ab Arabiæ Magis factum, qui, cum statim ac Puer natus est venissent, adoraverunt eum. Nam, ut in lucem editus est, suam virtutem habuit, ac crescens communi aliorum omnium hominum more, congruisque rebus utens, suum cuique incremento tribuebat, cibis omnibus ali solitus, sicque annos plus minus tringinta permanens, donec Joannes illius adventus præco prodiret, ac viam baptismo, ut supra demonstravi, præpararet. Cumque tum Jesus ad Jordanem fluvium venisset, ubi Joannes baptizabat, descendente Jesu in aquam etiam ignis accensus est in Jordane, eique ex aqua prodeunti Spiritum sanctum instar columbæ involasse scripserunt hujus ipsius Christi nostri Apostoli. Nec tamen quod

[1] Psal. LXVII, 19. — [2] Joel, II, 28.

baptismo egeret, aut delabente in columbæ specie Spiritu, idcirco eum ad fluvium venisse novimus; quemadmodum nec nasci nec crucifigi ideo sustinuit, quod his rebus indigeret, sed pro humano genere, quod ab Adamo in mortem et Serpentis fraudem inciderat, uno quoque sua culpa improbe agente. Nam cum vellet Deus angelos et homines libera eligendi potestate præditos ac sui juris, ea agere quæcumque ipsis agendi facultatem dedisset, tales eos fecit, ut si ipsi placentia eligerent, corruptionis et pœnæ expertes servaret; sin autem improbe agerent, suo arbitratu in unumquemque animadverteret. Nam neque quod asino insidens Jerosolymam ingressus est, ut prædictum esse demonstravimus, id virtutem ei præstabat ut Christus esset, sed hominibus indicium faciebat eum esse Christum : quemadmodum etiam Joanne baptizante indicia hominibus dari oportebat, ut quinam esset Christus, dignoscerent. Nam cum sederet ad Jordanem Joannes et baptisma pœnitentiæ prædicaret, ac tantummodo zonam pelliceam et vestem tantum ex cameli pilis contextam gestaret, nec quidquam præter locustas et mel agreste ederet; suspicabantur homines eum esse Christum. Ad quos ipse clamabat : « Non ego sum » Christus, sed vox clamantis. Veniet enim fortior me; cujus » non sum dignus ut calceamenta portem[1]. » Et cum venisset Jesus ad Jordanem et Josephi fabri filius crederetur, ac informis, ut prædicabant Scripturæ, videretur, faberque ipse existimaretur (hæc enim fabrilia opera faciebat, cum inter homines versaretur, aratra et juga, his rebus etiam justitiæ insignia et vitam actuosam docens), Spiritus sanctus propter homines, ut jam dixi, in specie columbæ in eum involavit, ac vox e cœlo venit, quæ per Davidem dicta fuerat, tanquam ex Christi persona proferentem, quod ei Pater erat dicturus : *Filius meus es tu; ego hodie genui te*[2] :

[1] Joan. I, 21. — [2] Psal. II, 7.

tum demum eum nasci hominibus et oriri asserens, c eis innotesceret.

LXXXIX. Hic Trypho: Probe scias, inquit, et Christ a nostro omni genere exspectari; et Scripturas omnes q attulisti, nos in illum dictas confiteri. Illud etiam fateor: Jesu nomine, quo filius Navæ cognominatus fuit, com tum fuisse, ut ad manus huic quoque rei dandas inclinarer: Utrum autem tam inhoneste Christum crucifixum iri p dictum sit, id nobis dubium videtur. Maledictus enim in dicitur, qui crucifigitur; quare admodum difficile mihi persuadere. Passurus quidem Christus manifeste Scripturis prædicatur; utrum autem maledictum illud lege supplicii genus passurus, discere volumus, si quid h bes ad eam quoque rem demonstrandam.

Si quidem passurus, inquam, Christus non fuisset, Prophetæ prædixissent fore, ut a peccatis populi ad mortem abduceretur, afficeretur ignominia, flagellis cæderetur, inter improbos numeraretur, cujus genus a nemine enarr posse asserit Propheta; haud abs re esset mirari. Si autem hæc propria eum nota distinguit et omnibus manifestam fe cit; quomodo non et nos fidenter in eum credidissemus quicumque Prophetas intelligunt, hunc esse, non alium tantum audiant crucifixum esse, non asserent?

XC. Nos igitur, inquit, ex Scripturis edoce, ut ipsi q que tibi assentiamur. Passurum enim et tanquam ovem ductum iri scimus; sed utrum etiam crucifigendus, et ignominiose tamque inhoneste mortem in lege maledictam obiturus, fac nobis demonstres. Id enim nos ne cogitare quidem possumus.

Nosti, inquam, Prophetas quæcumque fecerunt aut di runt, ea signis et imaginibus, ut inter nos convenit, inv visse, ut non facile pleraque ab omnibus intelligerentur. veritatem his dictis et factis insitam abscondisse, ut ei

am invenire et discere studerent, non sine labore id asse- ierentur.

Illi autem dixerunt : De hoc sane inter nos convenit.

Audi igitur, inquam, quid sequatur. Moses enim apparen- m illam crucis detestationem primus, signis quæ ab eo cpressa sunt, declaravit.

Quænam ista? inquit ille.

Cum populus, inquam, cum Amalec bellum gereret, ac avæ filius, qui Jesus cognominatus est, primus esset in cie, Moses ipse Deum orabat; manibus utrimque extensis : r autem et Aaron eas toto die sustinebant, ne eo lassato emitterentur. Si quid enim de hoc signo crucem imitante emiserat, populus vincebatur, ut in Mosis libris scriptum st[1] : si vero in hoc situ permanebat, tamdiu vincebatur .malec; et qui viribus præstabat, per crucem præstabat. leque enim propterea populus vincebat, quod Moses ita recaretur, sed quia cum nomen Jesu esset in prima acie, sse crucis signum exhibebat. Quis enim vestrum ignorat a maxime prece Deum placari, quæ cum ejulatu et lacry- is, ac prono corpore aut flexis genibus funditur? Ad hunc utem modum in lapide sedens nec ipse postea, nec alius uisquam oravit. Habet etiam lapis significationem, ut os- endi, Christo convenientem.

XCI. Atque etiam alia Deus ratione per Mosem vim mys- erii crucis indicans, dicit in benedictione qua Josepho be- iedicit : « A benedictione Domini terra ejus; ab horis cœli, » et rore, et ab abysso fontium deorsum et aquarum pura- » rum : germina solis conversionis : et a coitionibus men- » sium, et a vertice montium, et a vertice collium, et flu- » minum perennium, et fructuum terræ plenitudinis : et » accepta ei qui visus est in rubo, veniant super caput Jo- » seph et verticem. Gloria evectus inter fratres : primoge-

[1] Exod. xxvii.

» nitus tauri pulchritudo ejus; cornua unicornis cornua
» ejus : in ipsis gentes ventilabit simul inde usque ab extre-
» mo terræ[1]. » Unicornis enim cornua nemo dicere aut de-
monstrare possit in alia re aut figura inveniri, nisi in ea quæ
crucem exhibet. Rectum enim unum lignum est, a quo
summa pars in cornu attollitur, cum adaptatum fuerit aliud
lignum, et utrinque extrema, veluti cornua uni adjuncta
cornu, apparuerint. Et illud quod in medio figitur, ut ei
insideant qui crucifiguntur, ipsum etiam veluti quoddam
cornu eminet, et cornu speciem exhibet cum aliis cornibus
conformatum et fixum. Illud autem : « His cornibus gentes
» petet inde usque ab extremo terræ, » id quod hodie in
omnibus gentibus factum videmus, demonstrat. Cornu
enim petiti, id est, compuncti per hoc mysterium homi-
nes ex omnibus gentibus ab inanibus simulacris et dæmo-
nibus ad Dei cultum conversi sunt. Incredulis autem idem
signum in excidium et condemnationem ostenditur : quem-
admodum in populo qui ex Ægypto discesserat, per illam
manuum Mosis extensarum speciem, et per nomen *Jesu*
filio Navæ impositum Amalec quidem vincebatur, Israel
autem vincebat. Atque illam etiam figuram, illudque si-
gnum, quod adversus serpentium morsus Israeli institutum
est, ad eorum salutem erectum esse liquet, qui jam tum
prænuntiatam fuisse credunt et mortem Serpenti per eum
qui crucifigendus erat, futuram, et salutem iis qui Serpentis
morsibus læsi ad eum a quo crucifixus ille Filius in mun-
dum missus est, confugiunt. Neque enim nos in serpentem
credere spiritus propheticus per Mosem docebat, quippe
cum eum ab initio diris a Deo devotum esse demonstret, et
apud Esaiam magno gladio (is autem Christus) tanquam
hostem necatum iri significet[2].

XCII. Si quis igitur magnam hanc a Deo gratiam non ac-

[1] Deut. XXXIII, 13. — [2] Esai. XXVII, 1.

ceperit, ut Prophetarum dicta et facta intelligat, nihil ei proderit verba et gesta, quorum rationem reddere non possit, eloqui videri. Sed an non etiam contemptu digna multis videbuntur, si ab his qui non intelligunt proferantur? Nam si quis quærere ex vobis velit cur, cum Enoch et Noe cum filiis, et si qui alii ejusmodi, sine circumcisione et sabbatis placuerint Deo, per alios duces et legis institutionem tot elapsis ætatibus Deus justificari voluerit, eos quidem qui ab Abrahamo ad Mosem fuerunt, per circumcisionem, eos autem qui post Mosem, tum per circumcisionem, tum per alia præcepta, id est, sabbatum, victimas, cineres et dona : calumniis appetetur Deus, nisi, ut jam dixi, id causæ demonstretis fuisse, quod populum vestrum præscius omnium Deus meriturum cognoverit, ut Jerosolymis pelleretur, nec cuiquam eo ingredi liceret. Nulla enim re alia dignoscimini, ut jam dixi, nisi ista carnis circumcisione. Neque enim Abrahamum Deus justum per circumcisionem fuisse testatus est, sed per fidem. Ante enim quam circumcisus esset, ita de eo dictum legimus : « Credidit Abraham » Deo, et reputatum est ei ad justitiam [1]. » Et nos igitur, qui in præputio carnis nostræ credimus Deo per Christum, ac circumcisionem eam habemus quæ nobis eam adeptis prodest, id est, cordis circumcisionem, futurum speramus ut justi et Deo grati reperiamur; si quidem jam etiam ab eo testimonium per propheticos sermones accepimus. Quod autem sabbata servare et munera offerre jussi estis, quodque locum de suo nomine Dominus vocari passus est, nisi id propterea factum demonstretis, ne, ut diximus, ad simulacrorum cultum delapsi ac Dei immemores, impii et athei essetis, quales semper vos fuisse patet : (atque hanc fuisse causam, cur Deus de sabbatis et donis leges sanciret, a me supra demonstratum est, sed propter eos qui ho-

[1] Gen. xv, 6.

die venerunt, eadem pene omnia repetere volo:) nisi, inquam, ita sit, calumniis appetetur Deus, quasi nec futurorum præscius sit, nec eamdem omnes justitiam noscere et observare docuerit (multas enim generationes hominum ante Mosem fuisse liquet), nec vera sit Scriptura quæ dicit Deum esse verum et justum, et omnes vias ejus judicia, nec esse iniquitatem in eo. Sed quia vera est Scriptura, etiam Deus tales vos semper esse non vult, insipientes et vestri amantes, ut cum Christo, qui placuit Deo, et ab eo, ut ex sanctorum Prophetarum sermonibus demonstravi, testimonium accepit, salutem assequamini.

XCIII. Nam quæ semper et ubique justa sunt, ac totam justitiam in omni hominum genere exhibet: nec ullum est genus quod ignoret adulterium esse malum et fornicationem et homicidium et quæcumque alia similia. Quæ quidem etiamsi omnes faciant, non tamen assequuntur ut, cum ea faciunt, inique a se fieri ignorent, iis exceptis quicumque impuro spiritu pleni, vel prava institutione, et malis moribus, ac nefariis legibus corrupti naturales notiones amiserunt, vel potius exstinxerunt, aut inhibitas tenent. Videre enim est etiam ejusmodi homines eadem pati nolle quæ ipsi aliis faciunt, ac sibi invicem inimica conscientia exprobrare quæ perpetrant. Unde mihi præclare a Domino nostro et Salvatore Jesu Christo dictum videtur, duobus præceptis justitiam omnem et pietatem adimpleri: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex totis viribus tuis, et proximum tuum sicut teipsum[1]. » Nam qui ex toto corde et ex totis viribus diligit Deum, is cum piæ sententiæ plenus sit, nullum alium Deum colet; sed tamen Angelum etiam illum Deo jubente colet, quem ipse Dominus et Deus diligit. Et qui proximum diligit tanquam seipsum, eadem illi bona ac ipse sibi optabit. Nemo autem

[1] Matth. XXII, 37.

sibi mala evenire vult. Igitur qui proximum diligit, eadem illi ac ipse sibi precabitur ac navabit. Proximus autem hominis non alius est, quam illud similibus perpessionibus obnoxium et ratione præditum animal, homo. Bifariam igitur distributa omni justitia, in Deum et homines, quicumque, ait Scriptura, diligit Dominum Deum ex toto corde et ex totis viribus, et proximum ut seipsum, is vere justus fuerit. Vos autem neque in Deum, neque in Prophetas, neque in vosmetipsos amorem unquam aut charitatem declarastis, sed semper, ut manifestum est, et simulacrorum cultores et justorum interfectores vos præbuistis; ita ut ipsi etiam Christo manus intuleritis, atque hactenus in vestra permaneatis nequitia, diris etiam eos agentes qui eum quem crucifixistis, Christum esse demonstrant. Ad hæc etiam illum, ut Dei inimicum et maledictum, in crucem actum esse conamini demonstrare; quod sane alieni a ratione animi vestri opus est. Nam cum ex signis a Mose factis intelligendi copiam habeatis eum esse Christum, non modo non vultis, sed etiam in angustias nos conjici posse existimantes, quæstiones ponitis quæcumque in mentem veniunt, nec tamen ipsi habetis quod dicatis, si quem firmiorem Christianum offenderitis.

XCIV. Dicite enim mihi : Nonne Deus est, qui per Mosem præcepit, ne qua imago aut simulacrum, sive eorum quæ in cœlo sursum, sive eorum quæ in terris sunt deorsum, omnino effingeretur; et tamen ipse in solitudine per Mosem effecit, ut serpens æneus fieret, eumque signo imposuit, quo signo servabantur qui a serpentibus morsi fuerant; nec ullam injustitiæ culpam sustinet. Per hanc enim rem mysterium illud prædicabat, quo Serpentis quidem illius cujus opera prævaricatio etiam sub Adamo inducta, potestatem sese dissoluturum prædicabat; credentibus autem in eum qui per hoc signum, id est, per crucem

passurus erat, salutem ex morsibus serpentis, qui nihil aliud sunt quam pravæ actiones, simulacrorum cultus et alia injusta facta, nuntiabat. Nisi enim ita res intelligatur, rationem date cur Moses serpentem æneum signo imposuerit, ac jusserit ut eum intuerentur qui morsibus petiti fuerant, ex quo etiam illi sanabantur; idque cum ipse sanxisset, ne ullius omnino rei simulacrum fieret.

Hic alius ex illis qui postridie venerant, Vera, inquit, dixisti : rationem afferre non possumus. Nam et ego sæpe ea de re magistros nostros interrogavi, nec quisquam mihi rationem reddidit. Quapropter perge quod dicere instituisti : tibi enim mysterium recludenti attendimus, qua de causa etiam Prophetarum oracula calumniis pateant.

Tum ego : Quemadmodum Deus signum per serpentem æneum fieri jussit, nec tamen in culpa est; sic in lege maledictio posita est in homines crucifixos, nequaquam autem in Christum Dei, per quem omnes qui res maledictione dignas gesserunt, a Deo salvantur.

XCV. Nam omne humanum genus maledictioni obnoxium reperietur. Maledictus enim secundum legem Mosis dictus est, quisquis « non permanet in eis quæ scripta » sunt in libro legis, ut faciat ea[1]. » Nemo certe omnia accurate observavit (neque id vos negare audebitis), sed alii aliis plus aut minus præcepta observarunt. Quod si eos qui sub hac lege sunt, sub maledictione esse patet, quod non omnia observaverint; an non multo magis patebit gentes omnes, quæ simulacra colunt, pueris stupra inferunt, et alia nefarie faciunt, sub maledictione esse. Igitur si pro hominibus ex omni genere suum etiam Christum Parens universorum maledictiones omnium in se suscipere voluit, cum futurum sciret ut eum crucifixum et mortuum excitaret ad vitam; cur de eo, qui secundum Patris volunta-

[1] Deut. XXVII, 26.

tem hæc pati non refugit, quasi is maledictus fuisset, ita loquimini, ac non potius vosmetipsos lugetis? Etsi enim ab ipso etiam illius Patre perfectum est, ut hæc pro humano genere pateretur, nequaquam vos id fecistis ut Dei consilio inserviretis : neque enim Prophetis occidendis pietatem coluistis. Nec quisquam ex vobis dicat : Si voluit Pater hæc eum pati, ut ejus livore genus humanum sanaretur, nihil nos iniqui fecimus. Quod si hæc ita dicetis ut vos eorum quæ peccastis pœniteat, atque hunc Christum esse agnoscatis, ejusque mandata servetis; jam dixi futuram vobis peccatorum remissionem. Sed si et ipsum illum et eos qui in illum credunt, diris agatis, et cum facultas aderit occidatis; quomodo non etiam ob illatas ei manus pœnæ a vobis, ut ab injustis et peccatoribus et corde omnino obduratis et insipientibus, repetentur?

XCVI. Nam quod in lege dictum est, « Maledictus omnis » qui pendet in ligno [1], » non quod Deus maledicat huic crucifixo, spem nostram ex hoc Christo crucifixo suspensam confirmat, sed quod prædicat Deus id quod vos omnes, et qui vestri similes sunt, hunc esse qui ante omnia est, et æternus Dei sacerdos et rex et Christus est, ignorantes, facturi eratis. Quod quidem licet vel ipsis oculis factum videatis. Vos enim in synagogis vestris maledicitis omnibus qui ab eo facti sunt christiani : idemque faciunt cæteræ gentes, quæ ipsam maledictionem in rem conferunt, necem inferentes, si quis tantum fateatur se esse christianum. Quibus omnibus dicimus : Fratres nostri estis : quin potius Dei veritatem cognoscite. Cum autem nec vos nec illos flectamus, sed utrique a nobis dimicatione contendatis ut nomen Christi negemus, mortem potius eligimus et perferimus, minime dubii quin Deus quæcumque bona per Christum promisit, ea nobis præstiturus sit. Ad hæc omnia pro

[1] Gal. III, 13.

vobis oramus, ut Christus vestri misereatur. Is enim etiam pro inimicis precari docuit his verbis : « Diligite inimicos » vestros : estote benigni et misericordes, sicut et Pater » vester cœlestis[1]. » Omnipotentem enim Deum videmus benignum esse et misericordem, solem suum super ingratos pariter et justos oriri facientem, ac super sanctos et improbos pluentem, quos omnes judicaturum quoque esse docuit.

XCVII. Neque etiam illud temere factum est, ut propheta Moses, sustinentibus ejus manus Or et Aaron, in hoc statu ad vesperam usque permaneret. Nam et Dominus fere usque ad vesperam in ligno mansit, et ad vesperam sepelierunt eum, deinde resurrexit tertia die. Quod ipsum Davidis voce ita prædicatum fuerat : « Voce mea ad Dominum » clamavi et exaudivit me de monte sancto suo. *Ego dormivi* et soporatus sum : exsurrexi quia Dominus suscepit » me[2]. » Ac per Esaiam similiter quo mortis genere obiturus esset, ita prænuntiatum : « Expandi manus meas ad populum incredulum et contradicentem, ambulantes *in via* » non bona[3]. » Eum autem resurrecturum idem Esaias ait : « Sepultura ejus sublata est e medio, et dabo divites pro » morte ipsius[4]. » Rursus alibi David de passione et cruce sic per arcanam similitudinem loquutus est : « Foderunt » manus meas et pedes meos : dinumeraverunt omnia ossa » mea. Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me : diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem *meam* miserunt sortem[5]. » Nam cum eum crucifixerunt, fixis clavis manus ejus et pedes foderunt; et qui eum *crucifixerant*, diviserunt sibi vestimenta ejus, et alea jacta, quod quisque eligere voluerat, id sorti subjecerunt. Atque hunc ipsum psalmum in Christum negatis esse dictum, in omnibus cæ

[1] Luc. VI, 35. — [2] Psal. III, 5. — [3] Esai. LXV, 2. — [4] Esai. LVII, 1; LIII, 9. — [5] Psal. XXI, 17.

cutientes, nec intelligentes nullum unquam in vestro genere regem aut christum appellatum fuisse, qui pedes et manus vivus perfoderetur, et per hoc mysterium moreretur, id est, crucifigeretur, præter hunc solum Jesum.

XCVIII. Ac totum quidem psalmum proferam, ut et illius in Patrem pietatem audiatis, et quomodo omnia ad eum referat, seque per eum etiam ab hac morte servari petat : simul in psalmo declarans quales essent qui in eum insurrexere, seque vere hominem factum fuisse, perpessiones sentientem, demonstrans. Sic autem se habet psalmus : « Deus, Deus meus, respice in me : quare dereliquisti me? » Longe a salute mea verba delictorum meorum. Deus meus, » clamabo ad te per diem, et non exaudies et nocte, et non » ad ignorantiam mihi. Tu autem in sancto habitas, laus » Israel. In te speraverunt patres nostri : speraverunt, et » liberasti eos. Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt : in » te speraverunt, et non sunt confusi. Ego autem sum ver- » mis et non homo; opprobrium hominum, et abjectio po- » puli. Omnes qui conspiciebant me, subsannaverunt me, » et loquuti sunt labiis, moverunt caput : Speravit in Domi- » num; eruat eum : salvum faciat eum quoniam vult eum. » Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre, spes mea ab » uberibus matris meæ : in te projectus sum ex utero. De » ventre matris meæ Deus meus es tu : ne discedas a me. » Quoniam tribulatio proxima est : quoniam non est qui » me adjuvet. Circumdederunt me vituli multi : tauri pin- » gues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum sicut » leo rapiens et rugiens. Sicut aqua effusa sunt et dispersa » sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum sicut cera » liquescens, in medio ventris mei. Exaruit velut testa, vir- » tus mea : et lingua mea adhæsit faucibus meis, et in pul- » verem mortis deduxisti me. Quoniam circumdederunt me » canes multi : consilium malignantium obsedit me. Fodc-

» runt manus meas et pedes meos : dinumeraverunt omnia
» ossa mea. Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me :
» diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam
» miserunt sortem. Tu autem, Domine, ne elongaveris auxi-
» lium tuum a me : in defensionem meam respice. Erue a
» framea animam meam, et de manu canis unicam meam.
» Salvum me fac de ore leonis : et a cornibus unicornium
» humilitatem meam. Narrabo nomen tuum fratribus meis :
» in medio ecclesiæ cantabo te. Qui timetis Dominum, lau-
» date eum : universum semen Jacob, glorificate eum. Ti-
» meat eum omne semen Israel[1]. »

XCIX. His recitatis intuli : Totum ergo psalmum in Chris-
tum ita esse dictum, ex iis demonstrabo quæ rursus illum
enarrans edisseram. Quod igitur statim dicit : « Deus, Deus
» meus respice in me, quare me dereliquisti ? » his verbis
antiquitus prædicabatur id quod Christi tempore dicendum
erat. Cruci enim affixus dicebat : « Deus, Deus meus, quare
» me dereliquisti ? » Et quæ sequuntur : « Longe a salute
» mea verba delictorum meorum : Deus meus clamabo per
» diem et non exaudies et nocte, et non ad ignorantiam
» mihi ; » hæc quemadmodum et ea quæ Christus erat fac-
turus, ita dicta sunt. Quo enim die crucifigendus erat, cum
tres ex discipulis in montem qui dicitur Olivarum, quique
templo Jerosolymitano ex adverso situs est, secum per-
duxisset, ita precabatur : « Pater, si fieri potest, transeat a me
» calix iste. » Deinde hanc precem addidit : « Non sicut ego
» volo, sed sicut tu vis. » Quibus verbis declarat se vere per-
pessioni obnoxium hominem factum esse. Sed ne quis dicat
Ignorabat igitur se esse passurum ; statim addit in psalmo :
Et non ad ignorantiam mihi. Quemadmodum enim Deo
ad ignorantiam non fuit, quod Adamum interrogavit ubi-
nam esset, et Cainum ubinam Abel, sed ut unumquemque

[1] Psal. XXI, 1.

argueret qualis esset, et omnium cognitio ad nos scripto consignata perveniret; ita et Christus declarat non ad suam esse, sed ad eorum ignorantiam qui eum Christum non esse, sed se necem ei illaturos, eumque, ut communem hominem, in inferis mansurum existimabant.

C. Quod autem sequitur : « Tu autem in sancto habitas, » laus Israel, » declarabat eum rem laude dignam et admiratione facturum, ut qui tertio die post crucis supplicium resurrecturus esset ex mortuis; id quod a Patre acceptum habet : Jacob enim et Israel probavi Christum vocari; ejusque res non in sola Josephi et Judæ benedictione arcane prædicatas esse demonstravi, sed etiam in Evangelio dixisse scribitur : « Omnia mihi tradita sunt a Patre : et nemo » novit Patrem nisi Filius; neque Filium, nisi Pater et cui » Filius revelaverit[1]. » Nobis igitur revelavit omnia quæcumque etiam ex Scripturis per ejus gratiam intelleximus, eum agnoscentes primogenitum Dei esse, et ante res omnes creatas, et Patriarcharum filium, ut qui ex virgine ab eis orta caro factus, informis homo et inglorius et perpessionibus obnoxius fieri voluerit. Hinc in sermonibus suis dicebat, cum de futura sua passione dissereret : « Oportet » Filium hominis multa pati, et reprobari a Pharisæis et » Scribis, et crucifigi, et tertia die resurgere[2]. » Filium igitur hominis seipsum dicebat, vel quia natus erat ex virgine, quæ, ut jam dixi, ex Davidis et Jacobi et Isaaci et Abrahami genere orta erat; vel quia ipsius pater exstitit Abraham et eorum quos recensui, ex quibus genus ducit Maria. Nam qui fœminas genuere, eos liberorum quos filiæ suscipiunt, patres esse scimus. Nam et unum ex discipulis suis, qui eum revelante ipsius Patre Filium Dei Christum esse agnoverat, Petrum appellavit, cum prius Simon vocaretur. Et cum eum Filium Dei esse in commentariis Apostolorum

[1] Matth. XI, 27. — [2] Matth. XVI, 21.

» lius et semen hujus[1]? » An non poterat statim multitudinem hominum creare? Sed, ut præclarum esse judicabat, liberos ad justitiæ observationem angelos et homines creavit, ac tempora definivit quoad bonum esse judicaret eos libero uti arbitrio : et quia pariter præclarum esse judicabat, et generalia et particularia judicia fecit, manente utique libero arbitrio. Unde Scriptura in turris exstructione et linguarum multiplici divisione ac mutatione hæc dicit : « Et » dixit Dominus : Ecce genus unum, et labium unum omnium : Et hoc facere cœperunt, et nunc non deficient ab » eis quæcumque tentaverint facere[2]. » Illud autem : « Exaruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis[3], » similiter eorum quæ secundum voluntatem Patris facturus erat, prænuntiatio fuit. Potentis enim illius verbi vis, per quam semper Pharisæos et Scribas, qui cum eo disputabant, ac omnes prorsus in genere vestro magistros arguebat, suspensa constitit instar exuberantis et validi fontis cujus aqua aversa est, cum sileret ipse, ac nemini quidquam coram Pilato respondere vellet, quemadmodum in commentariis Apostolorum ejus demonstratum est, ut et illius Esaiæ dicti fructus efficax exstaret : « Dominus dat » mihi linguam, ut norim quando me oporteat verbum pro» loqui[4]. » Quod autem dicit : « Deus meus es tu ; ne discedas a me[5], » simul docet in Deum, qui omnia creavit, sperare omnes debere, et ab eo solo salutem et auxilium quærere ; nec cæterorum hominum more salutem propter genus, aut robur, aut divitias, aut sapientiam, assequi se posse opinari. Quale est quod ipsi quoque semper fecistis, qui aliquando quidem vitulum conflastis, semper autem ingratos et justorum interfectores, et arrogantia ob genus vestrum inflatos vos exhibuistis. Nam si Filius Dei, nec

[1] Gen. III, 15. — [2] Gen. XI, 6. — [3] Psal. XXI, 16. — [4] Esai. L, 4. — [5] Psal. XXI, 11.

quia Filius est; nec quia fortis, nec quia sapiens, servari se posse dicit; sed ut esset impeccabilis, quemadmodum ait Esaias eum nec voce tenus peccasse[1] (iniquitatem enim non fecit, nec dolum ore commisit), sine Deo servari se non posse declarat; quomodo vos et alii, qui sine illa spe salutem exspectatis, non a vobismetipsis vos decipi cogitatis?

CIII. Quæ deinde in psalmo dicuntur: « Quoniam tri» bulatio proxima est, quia non est qui adjuvet me. Cir» cumdederunt me vituli multi : tauri pingues obsederunt » me. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et » rugiens. Velut aqua effusa sunt et dissipata omnia ossa » mea[2], » similiter eorum quæ illi evenerunt, vaticinium fuit. Qua enim nocte ex monte Olivarum in eum irruerunt, quos ex populo vestro Pharisæi et Scribæ pro sua in docendo auctoritate summiserunt, circumdederunt eum illi, ut appellat Scriptura, vituli cornupetæ et præmature exitiosi. Illud autem, *Tauri pingues obsederunt me,* eos ipsos prænuntiabat qui eadem ac vituli fecerunt, cum ad magistros vestros adductus est : quos quidem ut tauros Scriptura designat, quia tauros in causa esse scimus cur existant vituli. Quemadmodum ergo tauri vitulorum patres sunt, sic magistri vestri filiis suis auctores fuerunt, ut in montem Olivarum egressi eum comprehenderent et ad se adducerent. Illud etiam, *Quia non est qui adjuvet,* id quod factum est demonstrat. Nam ne unus quidem ex omnibus hominibus opem illi ut innocenti tulit. Et illud : *Aperuerunt super me os suum sicut leo rugiens,* eum designat qui tum Judæorum rex erat, Herodes et ipse dictus, successor illius Herodis qui, cum Jesus natus est, omnes infantes circa illud tempus Bethleemi natos sustulit, quod suspicaretur eum in hoc numero prorsus esse, de quo ex

[1] Esai. LIII, 9. — [2] Psal. XXI, 12.

Magis ab Arabia venientibus audierat. At consilium illius qui omnibus fortior est, ignorabat; quomodo Josepho et Mariæ præcepisset ut in Ægyptum assumpto puero abirent, ibique manerent donec eis iterum revelaretur ut in patriam suam redirent. Ibi commorati sunt donec moreretur Herodes qui pueros circa Bethleem occidit, eique succederet Archelaüs. Is autem ante mortuus est quam Christus susceptam ex Patris voluntate dispensationem in cruce adimpleret. Cum autem Herodes qui Archelao successit, potestatem quæ ipsi attributa fuerat accepisset, Pilatus ut gratum illi faceret, vinctum Jesum ad eum misit; quod etiam futurum prænoscens Deus sic prædixerit: *Et abducent ipsum ad Assyrium hospitale munus regi.* Aut etiam leonem rugientem super eum dicebat diabolum, qui a Mose Serpens, apud Job et Zachariam diabolus, a Jesu Satanas appellatus est, compositum nomen illi ab actione quam perpetravit, indictum declarante. Nam *Sata* Judæorum et Syrorum lingua idem ac desertor et apostata; illud autem *nas*, nomen est ex quo serpens dictus est per interpretationem, id est, si Hebræorum vocem interpreteris; quibus ex utrisque vocibus fit unum nomen Satanas. Statim enim atque Jesus ascendit e fluvio Jordane, ubi vox in eum edita est : « Filius meus es tu; Ego » hodie genui te [1], » scriptum est in commentariis Apostolorum diabolum illum ad eum accessisse, et tentasse, usque adeo ut ei diceret, « Adora me; » eique respondisse Christum : « Vade retro a me Satana : Dominum Deum tuum » adorabis, et illi soli servies [2]. » Quemadmodum enim Adamum decepit, sperabat se in hunc quoque aliquid moliri posse. Et illud : « Sicut aqua effusa sunt et dispersa omnia » ossa mea : factum est cor meum tanquam cera liquescens » in medio ventris mei [3], » prænuntiabat quod ei illa nocte

[1] Psal. II, 7. — [2] Matth. IV, 9. — [3] Psal. XXI, 15.

contigit, cum adversus eum in montem Olivarum venerunt, ut eum comprehenderent. Nam in commentariis, quos ab ejus Apostolis eorumque discipulis scriptos dico, proditum est sudorem, veluti guttas sanguinis, ex eo defluxisse, cum precaretur ac diceret : *Si fieri potest, transeat calix iste*[1] : contremiscente videlicet illius corde et ossibus similiter contremiscentibus, ac corde speciem habente liquescentis in ventrem ceræ; ut certo sciremus voluisse Patrem in ejusmódi etiam perpessionibus Filium suum vere propter nos versari, nec diceremus eum, cum Filius Dei esset, non sensisse quæ ei inflicta sunt, quæque ei acciderunt. Illud autem, « Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis[2], » silentium illud, de quo jam dixi, prænuntiabat, cum is qui vestros omnes insipientes magistros arguere solebat, nullum omnino verbum respondit.

CIV. Et illud : « In pulverem mortis deduxisti me. Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas et pedes meos. Dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi consideraverunt et inspexerunt me. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem[3]; » hæc verba, ut jam dixi, prænuntiabant quo mortis genere illum condemnatura esset improborum Synagoga, quos quidem et canes appellat et venatores, indicans ipsos canum ductores etiam congregatos fuisse, qui nihil non moliti sunt ut eum condemnarent. Quod quidem factum fuisse in ejus Apostolorum commentariis perhibetur. Ejus autem vestimenta, postquam crucifixus est, inter se divisisse eos qui illum crucifixerunt, demonstravi.

CV. Quæ sequuntur in psalmo : « Tu autem, Domine, » ne elongaveris auxilium tuum a me. Ad defensionem » meam conspice. Libera a gladio animam meam et de

[1] Matth. xxvi, 39. — [2] Psal. xxi, 16. — [3] *Ibid.*

» manu canis unigenitam meam. Salva me ex ore leonis, » et a cornibus unicornium humilitatem meam, » similiter eorum quæ illi insunt et eorum quæ illi eventura erant documentum et prænuntiato fuit. Unigenitum enim illum Patri universorum esse, proprie verbum et virtutem ex eo genitum, atque postea hominem natum ex virgine, ut ex commentariis didicimus, jam antea demonstravi. Quod autem crucifixus mortem oppetiit, id similiter prædictum. Illud enim, « Erue a gladio animam meam, et de manu ca- » nis unicam meam : salva me ex ore leonis et a cornibus » unicornium humilitatem meam, » similiter denuntiatio est quo supplicii genere moriturus esset, id est, cruce: illud enim, *a cornibus unicornium*, solius crucis formam exhibere, vobis antea exposui. Quod autem precatur animam suam a gladio et ex ore leonis et de manu canis liberari, precatio erat, ut ne quis ipsius animæ dominaretur: ut cum nos ad exitum vitæ venimus, idem a Deo poscamus, qui impudentem omnem et malum angelum avertere potest, ne animam nostram capiat. Atque animas *quidem* manere, ex eo demonstravi, quod etiam Samuelis anima a ventriloqua Pythonissa, ut petierat Saül, evocata sit[1]. Apparet autem omnes animas ejusmodi justorum et Prophetarum, sub potestatem talium virtutum cecidisse, qualem virtutem et in ventriloqua illa fuisse rebus ipsis declaratur. Unde et nos etiam per Filium suum, propter quos hæc fieri patet, edocet Deus ut omnino contendamùs, ac in exitu vitæ precemur, ne animæ nostræ sub aliquam ejusmodi potestatem cadant. Nam cum spiritum in cruce redderet, dixit : « Pater, in manus tuas commendo spiritum » meum[2], » ut ex Apostolorum commentariis id quoque didici. Et cum hortaretur discipulos suos, ut Pharisæorum vivendi genus superarent; sin minus, salvos se non futuros

[1] Vide quartam observationem ad calcem operis. — [2] Luc. XXIII, 46.

scirent, hæc dixisse in commentariis narratur : « Nisi abun-
» daverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæo-
» rum, non intrabitis in regnum cœlorum[1]. »

CVI. Quod autem sciebat Patrem suum sibi omnia precanti traditurum, seque ab eo ex mortuis excitatum iri; quodque omnes Deum timentes hortatus est ut Deum laudent, quia etiam per hoc mysterium hujus crucifixi misertus est omnis credentium hominum generis; quodque in medio fratrum suorum Apostolorum stetit (qui quidem postquam resurrexit a mortuis, eisque persuasit, id quod etiam ante passionem illis dixerat, oportuisse hæc eum pati, eaque a Prophetis fuisse prænuntiata, pœnitentiam egerunt, quod ab eo defecissent cum crucifigeretur) et cum una cum eis versaretur, Deum laudavit, ut in commentariis Apostolorum declaratum est, hæc ex reliquo psalmo manifesta fiunt. Sic autem habet : « Narrabo no-
» men tuum fratribus meis : in medio ecclesiæ laudabo te.
» Qui timetis Dominum, laudate eum; universum semen
» Jacob glorificate eum. Metuant eum omne semen Israel. »
Quod autem unum ex Apostolis mutato nomine Petrum appellasse dicitur, atque in Apostolicis commentariis id quoque refertur; quodque præterea duos alios fratres, Zebedæi filios, Boanerges, id est, tonitrui filios cognominavit, id argumento erat ipsum illum esse a quo Jacobus Israelis, Auses Jesu nomine cognominatus est, per quod nomen etiam in terram Patriarchis promissam introductus est populus ex his qui ex Ægypto profecti sunt, superstes. Eum autem tanquam astrum ex genere Abrahæ oriturum Moses his verbis declaravit : « Orietur stella ex Jacob et dux ex
» Israel[2]. » Et alia Scriptura : « Ecce vir; Oriens nomen
» ejus[3]. » Cum igitur exorta esset in cœlo, statim atque natus est, stella, quemadmodum scriptum est in commen-

[1] Matth. v, 20. — [2] Num. xxiv, 17. — [3] Zach. vi, 12.

tariis Apostolorum ejus; ex Arabia Magi, re ex hoc signo cognita, advenerunt, eumque adoraverunt.

CVII. Quod autem tertio die postquam crucifixus fuisset resurrecturus erat, scriptum est in iisdem commentariis homines vestri generis, cum disputarent cum eo, dixisse: « Ostende nobis signum; » eumque respondisse: « Generatio » prava et adultera signum quærit, et signum non dabitur » eis nisi signum Jonæ[1]. » Quæ cum ab eo dicerentur arcane, intelligere erat audientibus, eum, postquam crucifixus fuisset, tertio die resurrecturum. Ac vestram quidem generationem nequiorem et magis adulteram civitate Ninivitarum demonstrabat, qui cum eis Jonas e ventre magni piscis tertio die ejectus prædicasset fore, ut post (quadraginta) tres dies universi perirent, jejunium omnium prorsus animalium, hominum scilicet et pecudum, cum saccis et vehementi ejulatu, et vera ex cordibus conversione et ab improbitate discessione promulgarunt, certo tenentes Deum misericordem et benignum esse in eos omnes qui a nequitia discedunt; ita ut ipse etiam rex civitatis illius ac magnates similiter saccis induti in jejunio et supplicatione permanerent, ac ne urbs ipsorum everteretur impetrarent. Quin etiam cum mœreret Jonas, quod die (quadragesimo) tertio, ut prædicaverat, urbs eversa non fuisset; prudenti consilio Deus hedera illi e terra proferenda, sub qua sedens ab æstu obumbrabatur (erat autem hedera, repentina cucurbita, nec plantata a Jona, nec irrigata, sed subito ad umbram ei ministrandam exorta), eaque rursus alio præcepto exsiccanda; qua ex re angebatur Jonas; inique eum mœrere arguit Deus, quod civitas Ninivitarum eversa non fuisset. « Tu pepercisti, inquit, hederæ, in qua nihil fecisti operæ, » neque nutrivisti eam, quæ sub noctem suam prodiit, et » sub noctem suam periit: et ego non parcam super Ninive

[1] Matth. XII, 39.

« civitate magna, in qua habitant plures quam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram suam et sinistram suam, et jumenta multa[1]! »

CVIII. Atque hæc quidem cum scirent omnes vestri generis homines a Jona facta esse, cumque Christus apud vos clamaret se signum Jonæ vobis daturum, adhortans ut saltem postquam a mortuis resurrexisset, pœnitentiam improbe factorum ageretis, et Ninivitarum exemplo lacrymis Deum flecteretis, ne gens vestra et civitas capta everteretur, quemadmodum eversa est; non modo pœnitentiam non egistis, postquam illum ex mortuis resurrexisse didicistis; sed etiam, ut jam dixi, delectos homines constituistis, ac per eos in totum orbem terrarum missos prædicastis impiam quamdam et exlegem sectam a plano quodam Jesu Galilæo excitatam esse, et cum illum a nobis crucifixum discipuli ex monumento, in quo, refixus e cruce, depositus fuerat, noctu surripuerint, decipi ab illis homines, dum eum ex mortuis resurrexisse et in cœlum ascendisse dictitant. Quinetiam docuisse illum addidistis impia illa et nefanda ac detestabilia facinora, quæ adversus eos qui illum Christum et doctorem et Filium Dei profitentur, apud omne hominum genus spargitis. Ad hæc, capta urbe vestra et terra vastata, pœnitentiam non agitis : sed illum etiam ac omnes qui in illum credunt, diris devovere audetis. Nos autem nec vos odimus, nec eos qui talem de nobis opinionem a vobis accepere; sed precamur ut nunc saltem pœnitentiam agentes, misericordiam omnes consequamini a perbenigno et mirum in modum misericorde universorum parente Deo.

CIX. Quod autem gentes nequitiæ, in qua errantes vivebant, pœnitentiam erant acturæ, postquam ex Apostolis doctrinam, quam illi ab ipsis usque Jerosolymis prædi-

[1] Jonas, IV, 10.

carunt, didicissent; pauca etiam verba ex Michææ, unius ex duodecim, vaticinio recitantem me perferatis velim. Ea sunt hujusmodi : « Et erit in novissimis dierum manifestus » mons Domini, præparatus in summo montium, sublimatus ipse super colles : et fluvium ponent in ipso populi, » et ambulabunt gentes multæ, et dicent : Venite, ascendamus ad montem Domini, et in domum Dei Jacob : et » ostendent nobis viam ejus; et ambulabimus in semitis » ejus : quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem, et judicabit inter populos multos, et arguet gentes fortes usque in longinquum : et concident gladios suos » in aratra, et hastas suas in falces : et non sumet gens contra gentem gladium, et non discent ultra belligerare. Et » sedebit vir sub vite sua, et sub ficu sua : et non erit qui » exterreat : quia os Domini virtutum loquutum est : quoniam omnes populi ambulabunt in nomine deorum suorum : nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei » nostri in æternum. Et erit in die illa, colligam angustiis » affectam, et ejectam congregabo, et eam quam afflixi : et » ponam angustiis affectam in residuum, et oppressam in » gentem potentem. Et regnabit Dominus super eos in monte » Sion ex hoc nunc et usque in sæculum[1]. »

CX. His recitatis hæc addidi : Ac vestros quidem magistros, o viri, omnia hujus loci verba in Christum dicta confiteri non ignoro : eum autem nondum venisse, id quoque ab eis asseri intelligo : aut si etiam venisse dicant, nondum cognoscitur qualis sit, inquiunt; sed cum manifestus et gloriosus fuerit, tunc cognoscetur qualis sit. Tunc etiam eventura dicunt quæ in hoc testimonio leguntur, quasi nondum ullus prophetiæ fructus exstiterit : homines ratione destituti, qui non intelligant id quod ex omnibus Scripturis demonstratum est, duos Christi adventus esse nuntiatos :

[1] Mich. IV, 1.

alterum quidem, in quo perpessioni obnoxius et inglorius, et ignominia affectus, et crucifixus prædicatur; alterum vero, in quo cum gloria e cœlis aderit, quando et defectionis homo grandia etiam adversus Altissimum in terris loquens, nefanda audebit in nos Christianos, qui postquam ex lege et doctrina Jerosolymis egressa rationem colendi Dei per Apostolos Jesu cognovimus, ad Deum Jacob et Deum Israel confugimus; et qui bello et mutuis cædibus et improbitate omni cumulati eramus, in toto terrarum orbe instrumenta quisque bellica, enses in vomeres, hastas in agrestia arma mutavimus, aramusque pietatem, justitiam, humanitatem, fidem, spem illam quæ est a Patre per eum qui crucifixus est; sub sua quisque vite sedentes, id est, sola quisque legitima uxore utentes. Quod enim verbum propheticum dicit : *Et uxor ejus sicut vitis abundans*[1], id vobis perspectum est. Neminem autem esse qui nos in Jesum per totum orbem terrarum credentes exterreat, et in servitutem redigat, in promtu est. Dum enim gladio percutimur, dum crucifigimur, dum feris tradimur et vinculis et igni et omnibus aliis tormentis; a confessione, ut manifestum est, non discedimus. Sed quanto magis magisque talia nobis infliguntur, eo plures alii per nomen Jesu fideles et pii fiunt. Quemadmodum vitis, si quis partes illas amputet quæ fructum ferunt, ita proficit, ut alios florentes et fructiferos palmites rursus proferat; idem nobis quoque evenit. Plantata enim a Deo et Salvatore Christo vitis, populus ejus est. Reliquum autem prophetiæ in altero ejus adventu ad effectum perducetur. Illud enim, *angustiis affectam*, hanc habet sententiam quod, quantum in vobis est et cæteris omnibus hominibus, non solum ex propriis possessionibus unusquisque Christianorum expellitur, sed etiam ex toto terrarum orbe, nec ulli Christiano vitam liberam relinqui-

[1] Psal. CXXVII, 3.

tis. Vos autem in populum vestrum hæc evenisse dicitis qui quidem si expulsi estis bello superati, merito hæc patestis, ut Scripturæ omnes testantur. Nos autem qui nihil tale commisimus, postquam veritatem Dei cognovimus, nos, inquam, testatur Deus una cum justissimo et solo intaminato et carente peccatis Christo e medio tolli. Clamat enim Esaias : « Ecce quomodo perit justus et nemo percipit corde; et viri justi tolluntur et nemo considerat [1]. »

CXI. Ac duos quidem hujus Christi adventus arcane etiam Mosis tempore prædictos fuisse, jam ex signo hircorum in jejunio oblatorum demonstravi. Et rursum in iis quæ Jesus et Moses fecerunt, idem arcane prænuntiatum et dictum est. Alter enim expansis manibus in colle ad vesperam usque permansit, cum manus ejus sustentarentur; quod sane nullam aliam nisi crucis figuram exhibet. Alter autem Jesu nomine cognominatus, dux erat pugnæ, et Israel vincebat. Illud etiam in ambobus illis sanctis viris et Dei prophetis factum intelligere est, nempe duo illa mysteria neutrum illorum portare solum potuisse, id est, crucis, et cognominis impositi signum. Est enim et erat et erit unius ac solius ista vis, cujus vel nomen principatus omnis reformidat, tabescens quod per illum evertendus sit. Noster igitur passibilis et crucifixus Christus, nequaquam diris a lege devotus fuit sed solum se eos servaturum demonstrabat qui ab ejus fide non discedunt. Ac eos quidem qui in Ægypto servati sunt cum perirent primogenita Ægyptiorum, sanguis paschæ liberavit, postibus utrimque et superliminari adspersus. Pascha enim erat Christus, qui postea immolatus est, quemadmodum et Esaias ait : « Ipse tanquam ovis ad occisionem » ductus est [2]. » Eum autem die Paschæ a vobis comprehensum, ac similiter in Paschate crucifixum fuisse scriptum est. Quemadmodum autem eos qui in Ægypto erant san-

[1] Esai. LVII, 1. — [2] Esai. LIII, 7.

quis Paschæ servavit, sic et eos qui crediderint liberabit a morte sanguis Christi. Deus ergo allucinaturus erat, nisi hoc signum super foribus exstitisset? Non sane id ego dixerim, sed prænuntiatam ab eo futuram humano generi per sanguinem Christi salutem. Nam et signum funiculi coccinei, quod Jerichunte dederunt meretrici Rahab exploratores a Jesu Navæ missi, fenestræ, per quam eos demisit ut hostes laterent, alligari jubentes, similiter signum exhibebat sanguinis Christi, per quem ex omnibus gentibus qui olim mœchi et iniqui erant salvantur, remissionem peccatorum adepti, nec jam amplius peccantes.

CXII. Vos autem, qui hæc humiliter interpretamini, multam infirmitatem Deo affingitis, si hæc ita jejune intelligatis, nec vim eorum quæ dicuntur investigetis. Nam et hoc pacto Moses violatæ legis nomine arguetur, qui cum ipse sanxisset ne qua effigies fieret, nec eorum quæ in cœlo, nec eorum quæ in terra aut mari, idem postea serpentem æneum fecit, ac in eum cuidam signo impositum intueri jussit eos qui morsu petiti fuerant: in quem cum illi intuerentur, salvi fiebant. Tunc igitur populum servasse existimabitur serpens ille, quem Deus, ut jam dixi, diris ab initio devovit, et ingenti gladio, ut clamat Esaias, sustulit[1]: sicque hæc insipienter, ut magistris vestris placet, non ut signa accipiemus; neque ad imaginem Jesu crucifixi referemus signum, cum et Moses per manus expansas, una cum eo qui Jesu appellatione cognominatus est, etiam victoriam populo vestro confecerit? Hoc sane modo etiam dubii de iis quæ Legislator fecit, et incerti esse desinemus: neque enim Deum relinquens, populo auctor erat, ut in fera, per quam prævaricatio et inobedientia initium acceperant, spem constitueret. Sed hæc non sine multa mente ac mysterio a beato Propheta facta et dicta sunt: nec quidquam est, quod

[1] Esai. xxvii, 1.

quis merito possit reprehendere in his quæ ab omnibus omnino Prophetis facta aut dicta sunt, si scientiam in iis reconditam teneatis. Sin autem ut magistri vestri hæc tantum vobis exponunt, idque humiliter et demisissime, quam ob causam cameli feminæ in hoc vel illo loco non dicantur, aut quid sint cameli quæ feminæ dicuntur, aut cur tot similæ, tot olei mensuræ in donis offerri solitis; quæ vero magna et investigatione digna sunt, ea nunquam dicere nec explicare audent, vel etiam nobis exponentibus ne præbeatis aures, aut in sermonis communionem veniatis denuntiantur: nonne merito audient, quæ ad eos dixit magister Jesus : « Sepulcra dealbata, extrinsecus speciosa, intrinsecus plena ossibus mortuorum, mentam decimantes, camelum autem deglutientes[1]. » Nisi igitur eorum doctrinam contemnatis qui seipsos efferunt, ac *Rabbi Rabbi* appellari volunt, et ea animi constantia ac ea mente ad prophetica scripta accedatis, ut eadem a vestris hominibus patiamini quæ et ipsi Prophetæ passi sunt, nullam omnino potestis ex propheticis oraculis utilitatem percipere.

CXIII. Quod autem dico istiusmodi est. Qui cum Caleb in terram Chanaan explorator missus est, hunc, ut jam sæpe dixi, cum Auses vocaretur, Jesum Moses appellavit. Hoc tu non quæris quam ob causam fecerit, non ambigis, non studiose percunctaris. Scilicet latet te *Christus*, nec legens intelligis, nec nunc, cum audias Jesum esse Christum nostrum, ratiocinando colligis nec *frustra nec temere* hoc isti nomen impositum fuisse. Sed cur unum A primo Abrahæ nomini additum fuerit, sancte et religiose inquiris, et cur unum R Saræ nomini, similiter magno apparatu disputas. Cur autem patrium nomen Ausæ filio Nave totum Jesu cognomine permutatum fuerit, non similiter quæris. Sed quia non modo ejus nomen immutatum est

[1] Matth. XXIII, 27.

sed etiam, Mosis successor factus, solus ex æqualibus ab Ægypto profectis superstitem populum in terram sanctam introduxit; quemadmodum non Moses, sed iste populum in terram sanctam introduxit, eamque iis qui secum ingressi fuerant, sorte distribuit: sic et Jesus dispersionem populi convertet, ac terram bonam cuique dividet, non tamen eodem modo. Ille enim temporariam dedit illis hæreditatem, utpote qui nec Christus Deus, nec Dei erat Filius. Hic autem post sanctam resurrectionem, æternam nobis possessionem dabit. Solem ille fecit stare, cum prius Jesu appellatione cognominatus fuisset, atque ab ejus Spiritu vires accepisset. Jesum enim ipsum illum fuisse qui Mosi et Abrahæ et aliis omnibus Patriarchis visus est, et cum eis colloquutus, cum Patris voluntati ministraret, jam a me demonstratum est; qui et advenit ut homo fieret ex virgine Maria, ac semper est. Hic ille est post quem Pater cœlum et terram et per quem renovaturus est: hic ille est qui in Jerusalem æternum lumen fulgebit: hic ille est secundum ordinem Melchisedech rex Salem, et æternus Altissimi sacerdos. Dicitur ille (Josue) secunda circumcisione populum lapideis cultris circumcidisse (quod quidem prædicatio fuit circumcisionis illius, qua nos ipse Jesus Christus a lapidibus et aliis simulacris circumcidit), ac acervos eorum cumulasse qui a præputio, id est, ab errore mundi in omni loco lapideis cultris, Jesu Domini nostri verbis, circumcisi sunt. Lapidem enim et petram in similitudinibus Christum a Prophetis vocari jam a me demonstratum est. Lapideos igitur cultros verba ejus intelligemus, per quæ tot a præputio homines, qui in errore versabantur, cordis circumcisione circumcisi sunt; qua quidem ut ii etiam circumciderentur qui circumcisionem ab Abrahamo initium ducentem habebant, jam tum Deus per Jesum hortabatur; quippe cum eos qui in sanctam illam terram ingrediebau-

tur, a Jesu secundam circumcisionem cultris lapideis dicit accepisse.

CXIV. Interdum enim Spiritus sanctus efficiebat, ut clare aliquid et aperte fieret quod quidem imago esset futuri: interdum autem et sermones pronuntiavit de futuris rebus, ita eos pronuntians quasi jam tum res fierent, vel etiam factæ fuissent. Quam artem nisi legentes perspiciant, prophetica verba, ut par est, assequi non poterunt. Exempli gratia proferam verba quædam prophetica, ut quod dico assequamini. Cum dicit per Esaiam: « Ipse tanquam ovis ad » occisionem ductus est, et velut agnus coram tondente[1], » ita dicit quasi jam perageretur passio. Rursus cum dicit: « Expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem[2]; » item, « Domine quis credidit auditui nostro[3]? » ita hæc dicuntur quasi res anteactas nuntient. Sic etiam demonstravi sæpe Christum ab eo in similitudine lapidem vocari, et per tropologiam Jacobum et Israelem. Rursus cum dicit: « Videbo cœlos tuos opera digitorum » tuorum[4]; » nisi verbum ejus intelligam operationem, insipienter intelligam, quemadmodum magistris vestris placet, qui manus et pedes et digitos et animam habere instar animalis compositi existimant parentem universorum et ingenitum Deum, et idcirco visum esse Abrahamo et Jacobo ipsum Patrem docent. Præclare ergo in nobis agitur, qui cultris lapideis circumcisi sumus secunda circumcisione. Prima enim illa vestra ferro peracta est et peragitur; duri enim corde permanetis. Nostra autem circumcisio, quæ secunda numero post vestram instituta est, per lapides acutos, id est, per sermones Apostolorum summi illius angularis lapidis et sine manibus abscissi, circumcidit nos a simulacrorum cultu et ab omni prorsus pravitate. Quorum corda ita sunt pravitate circumcisa, ut læti mortem oppetant

[1] Esai. LIII, 7. — [2] Esai. LXV, 2. — [3] Esai. LIII, 1. — [4] Psal. VIII, 4.

nus propter nomen præclaræ illius petræ, quæ et in eorum corda qui per ipsum diligunt Patrem universorum, aquam ivam emittit, et eos potat qui aquam vitæ sitiunt. Sed hæc licente me non intelligitis. Nam nec ea intelligitis quæ facurum esse Christum Prophetæ prædixerunt, nec nobis, qui os ad Scripturas adducimus, creditis. Jeremias enim ita lamat : « Væ vobis! quia dereliquistis fontem vivum, et fodistis vobis cisternas dissipatas, quæ non poterunt continere aquam[1]. Num solitudo erit ubi est mons Sion : quoniam Jerusalem libellum repudii dedi in conspectu vestro[2]? »

CXV. Sed Zachariæ Christi mysterium in parabola ostendenti et arcane prædicanti credere debetis. Sunt autem hæc illius verba : « Gaude et lætare, filia Sion : quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, dicit Dominus : et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illo, et erunt mihi in populum : et habitabo in medio tui, et cognoscent, quia Dominus virtutum misit me ad te. Et possidebit Dominus Judam, et partem suam in terra sancta, et eliget adhuc Jerusalem. Timeat omnis caro a facie Domini : quoniam surrexit de nubibus sanctis suis. Et ostendit mihi Jesum Sacerdotem magnum, stantem ante faciem angeli : et diabolus stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei. Et dixit Dominus ad diabolum : Increpet Dominus in te, qui elegit Jerusalem. Nonne ecce hoc torris est erectus de igne[3]? » Cum Trypho respondere et mihi contradicere araret; fac primum, inquam, exspectes et audias quid diam. Neque enim quam suspicaris expositionem allaturus um, ut nullum sacerdotem Jesu nomine in terra Babyonia, ubi populus vester captivus erat, extitisse dicam. Quod quidem si facerem, demonstrarem futurum non uisse, si Jesus sacerdos in vestro genere fuisset, ut eum

[1] Jerem. II, 13. — [2] Jerem. III, 8. — [3] Zach. II, 18.

Propheta in sua revelatione videret; quemadmodum diabolum, nec angelum Domini ipsis oculis intra se c- titutus vidit, sed in exstasi, revelatione ipsi facta. Nam tem quod dico sic se habet. Quemadmodum Scriptur filio Navæ virtutes et actiones quasdam, quæ res a Deo nostro gerendas prænuntiabant, per nomen Jesu esse dixit; ita et hanc sub illo Jesu, qui sacerdos Ba- in populo vestro fuit, revelationem nunc demonstr- gredior eorum quæ Sacerdos noster et Deus et Chris- tris universorum Filius, facturus erat, prædicationem. Jam autem miratus sum, inquam, cur paulo ante d- me quieveritis, nec reprehenderitis cum dicerem fi- Navæ ex æqualibus ab Ægypto profectis solum in sanctam ingressum esse cum iis qui hac ætate nat- res descripti fuerant. Nam instar muscarum ad ulc- curritis et advolatis. Si quis enim sexcenta præclar- unum autem quamlibet minutum vobis non placeat vobis non intelligatur, aut minus accuratum sit; de præ- præclare dictis parum laboratis, verbulum autem arripi- illudque in piaculi ac sceleris loco statuere cona- simili modo a Deo judicati multo magis magnorum rum, sive improbe factorum, sive pravarum interpre- num, quas adulterando adhibetis, rationem reddi- enim judicio judicatis, eodem vos æquum est judicari.

CXVI. Sed ut vobis rationem reddam de revela- Jesu Christi sancti, repeto sermonem ac dico hanc q- revelationem in nos factam esse, qui in Christum sum- sacerdotem, hunc crucifixum, credimus : qui cum i- pris ac omni prorsus sordida actione versaremur, per tiam a nostro Jesu, secundum voluntatem ipsius P- concessam sordida omnia, quibus induti eramus, mala- mus : quibus diabolus instat semper adversans, ac et- ad se trahere volens; sed Angelus Dei, id est, virtu-

ɔis per Jesum Christum immissa, increpat eum et a nobis qedit. Ac tanquam ex igne extracti sumus, cum priori- s peccatis expurgati, tum ex tribulatione eruendi et ex endio nobis a diabolo ejusque omnibus ministris admoto; quibus nos etiam rursus se extracturum Jesus Dei Filius, præparatis vestibus nos induturum, si mandata ejus ob- vemus, et regnum æternum provisurum promisit. Quem- modum enim Jesus ille, qui sacerdos a Propheta dicitur, dida ferens indumenta visus est, quia fornicariam illum orem accepisse dictum est, ac torris extractus ex igne atus, quia remissionem peccatorum accepit, etiam in- pito, qui ei adversabatur, diabolo; ita nos, qui per no- n Jesu instar unius hominis omnes in Creatorem univer- um Deum credimus, per nomen primogeniti illius Filii didis vestibus, id est, peccatis exuti et per verbum illius cationis inflammati, verum genus sacerdotale Dei sumus, Deus ipse testatur, cum sibi in omni loco in gentibus ita et pura sacrificia offerri dicit. A nemine autem Deus cipit sacrificia, nisi per ipsius sacerdotes.

CXVII. Qui ergo per illius nomen sacrificia ipsi offerunt quæ a Jesu Christo præscripta, id est, quæ in eucharis- panis et calicis a Christianis in omni terrarum loco offe- ntur, hos omnes in antecessum Deus gratos sibi esse tes- tur. Quæ vero a vobis ac per vestros illos sacerdotes feruntur, ea respuit, cum dicit : « Et sacrificia vestra non suscipiam de manibus vestris : quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum glorificatur in gentibus : vos autem profanatis illud [1]. » Ac vos quidem hactenus con- ntionis studio dicitis Deum quidem sacrificia Jerosolymis b his qui tunc ibi Israelitæ dicti habitabant, oblata non ccipere; eorum autem preces qui tunc ex illo genere in ispersione erant, gratas sibi esse dixisse, atque illorum

[1] Malach. I, 10.

preces sacrificia vocare. Equidem preces et gratiarum ac
tiones, quæ a dignis peraguntur, sola esse perfecta et De
accepta sacrificia et ipse pronuntio[1]. Hæc enim Christia
quoque sola peragere didicerunt, etiam in recordatione a
moniæ suæ siccæ et liquidæ, in qua etiam passionis qu
Filius Dei propter eos pertulit, recordantur. Hujus nom
ut profanaretur per totum orbem terrarum et blasphem
appeteretur, principes sacerdotum populi vestri et magis
perfecerunt. Sed hæc ipsa quoque sordida indumenta
vobis imposita iis omnibus qui ex nomine Jesu facti su
Christiani, Deus a nobis sublata ostendet, cum omnes a
vitam revocabit, et alios quidem in æterno et indissolub
regno incorruptos et immortales et doloris expertes cons
tuet, alios autem in æternum ignis supplicium detrud
Quod autem et ipsi vos decipitis et magistri vestri, d
Scripturam sic interpretamini, quasi de dispersis vestri g
neris hominibus dicat, eorum preces et sacrificia in om
loco pura et accepta esse; agnoscite vos mentiri et opera
dare ut in omnibus vosmetipsos decipiatis: primum *quidem*
quia ne nunc quidem ab ortu solis ad occasum diffusum est
genus vestrum, ac gentes videre est in quibus nondum
quisquam vestrum habitavit. Nullum enim omnino genus e
sive Græcorum, sive Barbarorum, si quolibet nomine app
lentur, vel Hamaxobiorum qui in plaustris degunt, vel N
madum qui domibus carent, vel Scenitarum qui pec
pascentes habitant in tentoriis, nullum, inquam, ejusmo
genus est, in quo non per nomen crucifixi Jesu preces et g
tiarum actiones Patri et Creatori universorum fiant. Dein
vero quia quo tempore propheta Malachias hæc diceb
nondum dispersi eratis in omnes illas terræ partes in quib
nunc estis, id quod etiam ex Scriptura perspicitur.

CXVIII. Quamobrem satius est ut, contentionis stud

[1] Vide ad calcem adnotationem quintam.

deponentes, pœnitentiam agatis antequam veniat magnus ille judicii dies, in quo plangent quicumque ex vestris tribubus Christum pupugerunt, prout prædictum a Scripturis docui. Dominum autem jurasse « secundum ordinem Mel-» chisedech[1], » et quid sibi velit hæc prædictio explicui. Atque hoc Esaiæ vaticinium, « Sepultura ejus ex medio sub-» lata est[2], » de sepeliendo et resurrecturo Christo editum esse jam demonstravi; ipsumque illum Christum vivorum et mortuorum omnium judicem esse pluribus disserui. Similiter Nathan cum de eo loqueretur ad Davidem, sic intulit : « Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium, et » misericordiam meam non removebo ab eo; sicut feci ab » eis qui ante eum erant : et statuam eum in domo mea, » et in regno ejus usque in sæculum[3]. » Ducem autem in domo non alium Ezechiel nisi hunc ipsum dicit[4]. Hic enim est eximius Sacerdos et Rex æternus Christus, utpote Filius Dei; cujus in secundo adventu ne existimetis Esaiam aut cæteros Prophetas dicere, sacrificia sanguinis aut libationum altari imponi, sed vera et spiritalia, laudes et gratiarum actiones. Nec frustra nos in eum credidimus, nec ab iis qui ita docuerunt decepti sumus; sed et admirabili Dei providentia id contigit, ut vobis, qui Dei amantes et prudentes existimamini nec estis tamen, prudentiores nos et religiosiores inveniremur per vocationem novi et æterni Testamenti, id est, Christi. Hoc ipsum admirans Esaias, dixit : « Et continebunt reges os suum : quia quibus non est » annuntiatum de eis, videbunt; et qui non audierunt, intel-» ligent. Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium » Domini cui revelatum est[5]? » Atque hæc quidem, Trypho, quantum licet, edisserens, propter eos qui tecum hodie venerunt, eadem conor dicere, breviter tamen et concise.

[1] Psal. CIX, 4. — [2] Esai. LIII, 8. — [3] 2 Reg. VII, 14, 15. — [4] Ezech. XLIV, 3. — [5] Esai. LII, 15.

At ille : Recte, inquit, facis, ac etiamsi pluribus et eadem iterum dicas, scito me et eos qui adsunt audiendo delectari.

CXIX. Tum ego : Putatis, o viri, futurum fuisse ut hæc intelligere possemus, nisi voluntate ejus qui hæc voluit intelligendi gratiam accepissemus; nimirum ut et illud fiat quod tempore Mosis dictum est : « Irritaverunt me in alienis, in abominationibus suis exacerbaverunt me. Sacrificaverunt dæmoniis, quæ non noverant : novi et recentes venerunt, quos non noverunt patres eorum. Deum, qui te genuit, dereliquisti : et oblitus es Dei nutrientis te. Et vidit Dominus, et zelavit : et exacerbatus est propter iram filiorum suorum et filiarum : et dixit : Avertam faciem meam ab eis, et ostendam quid erit eis in novissimis : quoniam generatio perversa est : filii quibus non est fides in eis. Ipsi ad zelum provocaverunt me in non Deo, exacerbaverunt me in idolis suis; et ego provocabo eos ad zelum in non gente; in gente stulta irritabo illos. *Quoniam ignis accensus est ex furore meo : et ardebit usque* ad infernum. Devorabit terram et genimina ejus, comburet fundamenta montium : congregabo in eos mala[1]. » Et postquam justus ille occisus est, nos populus alter refloruimus, et novæ ac florentes spicæ germinavimus, quemadmodum dixerunt Prophetæ : « Et confugient gentes multæ ad Dominum in die illa in populum, et habitabunt in medio universæ terræ[2]. » Nos autem non modo populus, sed etiam populus sanctus sumus, ut jam demonstravimus. « Et vocabunt eum populum sanctum redemptum a Domino[3]. » Quapropter non contemnendus populus sumus, nec barbara natio, nec quales Carum aut Phrygum nationes. Sed nos quoque elegit Deus et manifestus apparuit non interrogantibus eum : « Ecce Deus sum, inquit, genti

[1] Deut. XXXII, 16. — [2] Zach. II, 11. — [3] Esai. LXII, 12.

» non invocanti nomen meum [1]. » Hæc enim illa gens est quam olim Deus pollicitus est Abrahæ, eumque multarum gentium patrem a se institutum iri promisit, non Arabum, nec Ægyptiorum, nec Idumæorum patrem futurum dicens. Nam et Ismael pater magnæ gentis exstitit, magnæ etiam Esaü : et Ammonitarum magna nunc exstat multitudo. Noe autem ipsius etiam Abrahæ pater, ac totius prorsus hominum generis fuit; ac alii aliorum progenitores fuere. Quid igitur amplius hic Abrahæ gratificatur Christus? Quod eum voce per similem vocationem vocavit, cum e terra quam incolebat exire jussit, ac nos omnes per illam vocem vocavit, jamque exivimus ex illo vitæ genere, in quo prave secundum communem cæterorum terræ incolarum morem versabamur : et cum Abrahamo sanctæ terræ hæredes erimus, hæreditatem in infinitum ævum cernentes, quippe cum filii Abrahæ propter similem fidem simus. Quemadmodum enim ille voci Dei credidit, et reputatum est ei ad justitiam; ita et nos postquam voci Dei tum per Apostolos Christi denuo prædicatæ, tum per Prophetas nobis promulgatæ credidimus, ad mortem usque omnibus rebus quæ in mundo sunt renuntiavimus. Gentem igitur similis fidei et Dei cultricem et justam, quæque patrem suum lætitia perfundat, at nequaquam vos ei promisit, « in quibus non est » fides in ipsis [2]. »

CXX. Videte quomodo eadem et Isaac et Jacob promittat. Ita enim dicit ad Isaac : « Et benedicentur in semine » tuo omnes gentes terræ [3]. » Et ad Jacob : « Et benedicentur in te omnes tribus terræ et in semine tuo [4]. » Non id jam Esaü aut Ruben dicit, aut alii cuipiam, sed iis ex quibus Christus, secundum illam ex virgine Maria dispensationem, oriturus erat. Quod si et Judæ benedictionem consideres, quæ dico perspicies. Dividitur enim semen ex Jacob

[1] Esai. LXV, 1. — [2] Deut. XXXII. — [3] Gen. XXII, 18. — [4] Gen. XXVIII, 14.

et per Judam et Phares et Jesse et Davidem deducitur. Hæc autem futurum significabant, ut quidam ex vestro genere filii Abrahæ invenirentur, et in parte Christi censerentur; alii autem filii quidem Abrahæ, sed instar arenæ in maris littore jacentis essent, quæ est infœcunda et infructuosa, ac plurima quidem et innumerabilis, sed nullum omnino fructum ferens, ac tantum maris aquam ebibens. Cujus quidem rei etiam magna illa in vestro genere multitudo arguitur, ut qui amaritudinis et impietatis doctrinas bibant, verbum autem Dei respuant. Ait igitur et in Juda : « Non deficiet » princeps ex Juda, et dux de femore ejus, donec veniant » quæ reposita sunt ei : et ipse erit exspectatio gentium[1]. » Atque hoc non in Judam, sed in Christum dictum esse liquet. Non enim Judam nos omnes ex omnibus gentibus exspectamus, sed Jesum, qui et patres vestros ex Ægypto eduxit. Nam usque ad Christi adventum prophetia prænuntiabat : « Donec veniat cui repositum est, et ipse erit exspectatio gentium. » Venit igitur, ut multis demonstravimus, ac rursus venturus exspectatur ex altis nubibus Jesus, cujus nomen profanatis, et ut in toto urbe profanetur operam datis. Poteram equidem contra vos decertare de voce illa, quam ita interpretamini, ut dictum esse asseratis, « donec » veniant quæ reposita sunt ei. » Neque enim ita interpretati sunt Septuaginta, sed, *donec veniat cui repositum est*. Sed quia hæc in Christum dicta esse patet ex his quæ sequuntur (sic enim habent : *Et ipse erit exspectatio gentium*) de vocula in contentionem vobiscum non venio; quemadmodum nec ex Scripturis quas non agnoscitis, id est, ex recitatis a me Jeremiæ prophetæ, Esdræ et Davidis verbis demonstrationem de Christo perficere studui, sed ex iis quæ hactenus ratæ a vobis habentur. Quas quidem si intellexissent doctores vestri, probe sciatis deleturos fuisse, quemadmodum

[1] Gen. XLIX, 10.

modum et eas deleverunt quæ mortem Esaiæ spectant, quem serra lignea dissecuistis. Christi mysterium id quoque, qui genus vestrum bifariam divisurus est, et alios quidem pro meritis regno æterno cum sanctis Patriarchis et Prophetis dignaturus est, alios vero in ignis inexstincti condemnationem cum similibus ex omni gente incredulis et immutari nolentibus immissurum se jam pronuntiavit. « Veniant enim, inquit, ab Oriente et Occidente, et recumbent » cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum : filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores [1]. » Atque hæc quidem dixi, quia ita sum affectus animo, ut nihil prorsus dixerim in quo aliud curem quam ut verum dicam, neminem reveriturus etiamsi e vestigio discerpi a vobis oporteat. Namque ex meo genere, id est, ex Samaritanis, neminem curans, cum Cæsarem oblato ad Acta scripto compellarem, dixi eos errore decipi, ut qui Simoni gentis suæ mago fidem haberent, quem Deum supra omnem principatum et potestatem et virtutem esse dicunt.

CXXI. Cumque illi conticescerent, hæc adjeci : Per Davidem, amici, de hoc Christo loquens Scriptura non jam in *semine ejus* dicit benedictum iri gentes, sed *in ipso*. Sic autem ibi est : « Nomen ejus in sæculum super solem ex» orietur : et benedicentur in ipso omnes gentes [2]. » Porro si in Christo benedicuntur omnes gentes, et ex omnibus gentibus in hunc credimus; cum ipse Christus est, tum nos per eum benedicti. Solem quidem Deus dederat prius ad adorandum, quemadmodum scriptum est [3]; nec quisquam unquam extitit qui mortem propter fidem in solem oppeteret. At ex omni genere hominum videre est qui propter nomen Jesu quælibet supplicia et pertulerint et perferant, ne illum negent. Ardentior enim est illius veritatis et sapientiæ sermo et lucidior multo solis virtutibus, et in re-

[1] Matt. VIII, 11. — [2] Psal. LXXI, 17. — [3] Deut. IV, 19.

tur, a Jesu secundam circumcisionem cultris lapideis dic accepisse.

CXIV. Interdum enim Spiritus sanctus efficiebat. . clare aliquid et aperte fieret quod quidem imago esset . turi : interdum autem et sermones pronuntiavit de futu rebus, ita eos pronuntians quasi jam tum res fierent, etiam factæ fuissent. Quam artem nisi legentes perspicia prophetica verba, ut par est, assequi non poterunt. Exe gratia proferam verba quædam prophetica, ut quod assequamini. Cum dicit per Esaiam : « Ipse tanquam ovis » occisionem ductus est, et velut agnus coram tondente ita dicit quasi jam perageretur passio. Rursus cum « Expandi manus meas ad populum non credentem et co » tradicentem [2]; » item, « Domine quis credidit auditui » tro [3] ? » ita hæc dicuntur quasi res anteactas nuntient. etiam demonstravi sæpe Christum ab eo in similitudine l pidem vocari, et per tropologiam Jacobum *et Israele*. Rursus cum dicit : « Videbo cœlos tuos opera digitorum » tuorum [4]; » nisi verbum ejus intelligam operationem sipienter intelligam, quemadmodum magistris vestris pl cet, qui manus et pedes et digitos et animam habere animalis compositi existimant parentem universorum et i genitum Deum, et idcirco visum esse Abrahamo et Jacob ipsum Patrem docent. Præclare ergo in nobis agitur, cultris lapideis circumcisi sumus secunda circumcisione. Prima enim illa vestra ferro peracta est et *peragitur*; du enim corde permanetis. Nostra autem circumcisio, quæ se cunda numero post vestram instituta est, per *lapides* ac tos, id est, per sermones Apostolorum summi illius ang laris lapidis et sine manibus abscissi, circumcidit nos simulacrorum cultu et ab omni prorsus pravitate. Quorum corda ita sunt pravitate circumcisa, ut læti mortem oppete

[1] Esai. LIII, 7. — [2] Esai. LXV, 2. — [3] Esai. LIII, 1. — [4] Psal. VIII, 4.

us propter nomen præclaræ illius petræ, quæ et in eorum rda qui per ipsum diligunt Patrem universorum, aquam vam emittit, et eos potat qui aquam vitæ sitiunt. Sed hæc icente me non intelligitis. Nam nec ea intelligitis quæ facrum esse Christum Prophetæ prædixerunt, nec nobis, qui os ad Scripturas adducimus, creditis. Jeremias enim ita amat : « Væ vobis! quia dereliquistis fontem vivum, et fodistis vobis cisternas dissipatas, quæ non poterunt continere aquam[1]. Num solitudo erit ubi est mons Sion : quoniam Jerusalem libellum repudii dedi in conspectu vestro[2]? »

CXV. Sed Zachariæ Christi mysterium in parabola osndenti et arcane prædicanti credere debetis. Sunt autem ec illius verba : « Gaude et lætare, filia Sion : quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, dicit Dominus : et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illo, et erunt mihi in populum : et habitabo in medio tui, et cognoscent, quia Dominus virtutum misit me ad te. Et possidebit Dominus Judam, et partem suam in terra sancta, et eliget adhuc Jerusalem. Timeat omnis caro a facie Domini : quoniam surrexit de nubibus sanctis suis. Et ostendit mihi Jesum Sacerdotem magnum, stantem ante faciem angeli : et diabolus stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei. Et dixit Dominus ad diabolum : Increpet Dominus in te, qui elegit Jerusalem. Nonne ecce hoc torris est erectus de igne[3]? » Cum Trypho respondere et mihi contradicere araret; fac primum, inquam, exspectes et audias quid diam. Neque enim quam suspicaris expositionem allaturus im, ut nullum sacerdotem Jesu nomine in terra Babyonia, ubi populus vester captivus erat, extitisse dicam. Quod quidem si facerem, demonstrarem futurum non uisse, si Jesus sacerdos in vestro genere fuisset, ut eum

[1] Jerem. II, 13. — [2] Jerem. III, 8. — [3] Zach. II, 18.

cessus cordis et mentis penetrat. Unde et Scriptura dicit « Super solem orietur nomen ejus [1]. » Et rursus : « Orie- » nomen ejus, » inquit Zacharias, qui de eodem loquens ai « Plangent tribus secundum tribum. » Quod si in prim adventu, qui inglorius et informis et despectus fuit, ta tum resplenduit, ac tantum valuit, ut nulla in gente ign tus sit, sed ubique homines ex veteri cujusque gentis ma vivendi genere pœnitentiam agant, unde ipsi etiam dæm nes ejus nomini subjiciuntur, ac principatus omnes et re- gna nomen ejus supra omnes defunctos reformidant; nec in glorioso adventu omnes prorsus evertet qui eum ode- rint et qui ab eo inique defecerint, suos autem inducet in requiem, omnibus eos exspectatis bonis remunerans? N his igitur datum est et audire et intelligere et salvari pe hunc Christum, et omnia a Patre revelata cognoscere Propterea dicebat ad eum : « Magnum est tibi ut voce » servus meus, ut constituas tribus Jacob, et dispersione » Israelis convertas. Posui te in lucem gentium, ut sis in » salutem earum usque ad extremum terræ [2]. »

CXXII. Atque hæc vos quidem in Geioram et prosely- tos vestros dicta existimatis : at vere in nos dicta sunt, qui per Jesum illuminati sumus. Nam profecto istis etiam te- timonium perhibuisset Christus : nunc autem duplo, ut ipse dixit, filii gehennæ fitis [3]. Non ergo ad eos Propheta- rum dicta pertinent, sed ad nos, de quibus dicit Scriptura « Ducam cæcos in via quam nesciunt, et semitas quas » ignoraverunt inambulabunt [4]. Et ego testis, dicit Domi- » nus Deus, et puer meus, quem elegi [5]. » Quibusnam igi- tur testimonium perhibet Christus? Credentibus videlicet. Proselyti autem non modo non credunt, sed etiam duple vos superant blasphemiis in nomen ejus evomendis; ac

[1] Zach. VI, 12. — [2] Esai. XLIX, 6. — [3] Matth. XXIII, 15. — [4] Esai. XLII, 1 — [5] Esai. XLIII, 10.

et hæreditas mea Israel[1]. » Cum igitur Deus hunc populum benedicat et Israelem vocet, ac hæreditatem suam esse clamet; quomodo pœnitentiam non agitis, et quod vos ipsi decipiatis, quasi soli Israel essetis, et quod benedictum hunc Dei populum exsecremini? Postquam enim ad Jerusalem et ad eas quæ circa illam sunt regiones, loquutus est, sic rursum addidit : « Et generabo super vos homines, populum » meum Israel : et hæreditate possidebunt vos, et eritis eis » in possessionem : et non addetur vobis ultra ut absque » liberis vos faciant. »

Quid igitur, inquit Trypho, vos Israel estis, ac de vobis hæc dicit?

Si quidem, aiebam illi, non de his jam disseruissem, idque pluribus, dubitarem utrum id minus intelligens interrogaveris; sed quia hanc quoque quæstionem, et cum demonstratione et cum assensione conclusimus, non te existimo ignorare quæ jam dicta sunt, aut rursus contentionis studio indulgere, sed provocare ut his quoque eadem demonstrem. Tum illo oculorum nutu assentiente, Rursus, aiebam, in Esaia, si auribus audientes auditis, de Christo Deus in parabola loquens, Jacob illum et Israel appellat. Sic autem ait : « Jacob servus meus, suscipiam eum : Israel » electus meus, ponam spiritum meum super eum, et judi- » cium gentibus proferet. Non contendet, neque clamabit, » neque audiet quisquam in plateis vocem ejus : calamum » contritum non confringet, et linum fumigans non exstin- » guet : sed in veritate proferet judicium : recipiet et non » frangetur, donec ponat in terra judicium. Et in nomine » ejus gentes sperabunt[2]. » Quemadmodum igitur ab uno illo Jacob, qui et Israel cognominatus est, omne genus vestrum Jacob et Israel vocatum est; sic et nos ab eo qui nos in Deo genuit Christo, ut Jacob et Israel, et Juda et Joseph,

[1] Esai. XIX, 24. — [2] Esai. XLII, 1.

et David, ita etiam veri filii Dei vocamur et sumus, mandata Christi servantes.

CXXIV. Cumque eos viderem perturbatos, quia dixeram nos etiam Dei filios esse, interrogationi eorum occurrens : Audite, inquam, o viri, quomodo Spiritus sanctus populo isto dicat filios Altissimi omnes esse, et in eorum conventu adfuturum ipsum illum Christum, ut omne hominum genus judicet. Hæc verba per Davidem, ut vos quidem interpretamini, sic dicta sunt : « Deus stetit in synagoga deorum : in medio autem deos dijudicat. Usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis? Judicate egeno et pupillo, et humilem et pauperem justificate. Eripite pauperem et egenum de manu peccatoris liberate. Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant : movebuntur omnia fundamenta terræ. Ego dixi : Dii estis et filii Excelsi omnes. Vos autem sicut homines morimini, et sicut unus de principibus caditis. Exsurge Deus, judica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus[1]. » In Septuaginta autem interpretatione dictum est : « Ecce sicut homines morimini, et sicut unus de principibus caditis ; » ut inobedientiam hominum declaret, id est, Adæ et Evæ, et casum unius ex principibus, id est, illius qui Serpens dictus est, ac magno casu concidit, eo quod Evam decepisset. Sed quia non in hunc usum verba illa nunc profero, sed ut vobis demonstrem Spiritum sanctum exprobrare hominibus quod, cum ita facti sint, ut Deo similes ac perpessionis et mortis expertes, si mandata ejus servent, futuri sint, cumque eo honore sint dignati ut ejus filii vocentur, ipsi Adæ et Evæ assimilati mortem sibi ipsi conficiant; habeat sane, ut vultis, etiam psalmi interpretatio; sic tamen constabit omnibus concessum esse, ut dii ac filii Altissimi fieri possint, ac pro se quemque et judi-

[1] Psal. LXXXI, 1.

andum et condemnandum esse, quemadmodum Adamum t Evam. Christum autem etiam Deum vocari jam multis emonstratum est.

CXXV. Sed ex vobis scire velim, o viri, quam vim haeat illud nomen Israel. Cumque illi silerent, intuli: Dicam quidem quod scio. Neque enim æquum esse arbitror, ut uod scio non eloquar, aut vos scire quidem, sed invidia, ut voluntaria imperitia vosmetipsos decipere suspicans, emper sollicitudine distringar, sed potius ut omnia simliciter ac sine dolo proferam, quemadmodum Dominus neus dixit : « Exiit qui seminat seminare semen; et aliud cecidit in viam, aliud in spinas, aliud in loca saxosa, aliud in terram bonam[1]. » In hanc ergo spem alicubi esse teram bonam, dicendum est. Meus enim ille Dominus, tanuam fortis et potens, sua veniens ab omnibus reposcet : ac lispensatorem suum non condemnabit, si illum noverit, um probe sciret dominum suum potentem esse, ac venienem sua repetiturum, ad omnem mensam dedisse quæ acceerat, minime vero defodisse ob ullam prorsus causam. Id gitur valet Israelis nomen, homo vincens virtutem. *Isra* nim est homo vincens, *el* autem virtus. Quod quidem Christum ita facturum esse, cum homo factus fuisset, per nysterium illius etiam luctationis prædictum est, qua Jaob luctatus est cum eo qui videbatur quidem, eo quod Patris voluntati ministraret, Deus autem est, eo quod filius primogenitus sit omnium creaturarum[2]. Postquam enim homo factus est, ut jam dixi, accessit ad eum diabolus, id est, irtus illa quæ et Serpens vocatur et Satanas, tentans eum, t prosternere contendens, postulando ut se adoraret. At Christus eum profligavit et prostravit, improbum esse arguens, qui contra Scripturam adorari se ut Deum postularet, a Dei voluntate factus apostata. Respondit enim illi :

[1] Matth. XIII, 3.—[2] Hanc sententiam explanat sexta ad calcem observatio.

« Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis et illi
» servies[1]. » Tum fractus et convictus diabolus discessit.
quia futurum etiam erat ut Christus noster marcesceret,
est, in ærumna et passionis sensu in crucem actus ve-
retur, hujus quoque rei prænuntiationem exhibuit,
Jacobi femur tetigit, atque ut marcesceret effecit. Erat
tem illi antiquitus nomen Israel, quo beatum Jacob co-
minavit, benedicens eum suo ipsius nomine, atque hac
ratione prædicens omnes qui per eum ad Patrem co-
giunt, benedictum esse Israelem. Vos autem cum ni-
rum intelligatis, nec ad intelligendum parati sitis; qui
cundum carnale semen filii estis Jacobi, salvos omnin
futuros exspectatis. At vos in his quoque a vobismetipsis
errorem induci, pluribus a me demonstratum est.

CXXVI. Quod si nossetis quis tandem ille sit qui et An-
gelus magni consilii interdum, et Vir ab Ezechiele, et
quam Filius hominis a Daniele, et Puerulus ab Esaia,
Christus et Deus adorandus a Davide, et Christus et Lapis
a multis, et Sapientia a Salomone, et Joseph et Judas et
Stella a Mose, et Oriens a Zacharia, et rursus ab Esaia Pa-
sibilis et Jacob et Israel, et Virga et Flos, et Lapis sum
angularis vocatus; hoc, inquam, si nossetis, Trypho, non
eum profecto blasphemiis appeteretis, etiam postquam a
venit, et natus ac passus est, ac in cœlum ascendit;
quidem rursum adveniet, ac tunc plangent duodecim ve-
træ tribus. Nam si intellexissetis quæ a Prophetis dicta sunt
non eum negassetis Deum esse, solius et ingeniti et
enarrabilis Dei Filium. Dictum est enim alicubi et per Mo-
sem in Exodo ad hunc modum : « Locutus est autem Do-
» minus ad Mosem et dixit ad eum : Ego sum Dominus,
» visus sum Abrahæ, Isaac et Jacob Deus eorum, et nomen
» meum non indicavi eis, et statui testamentum meum

[1] Matth. IV, 10.

eos[1]. » Sic etiam rursus ait : « Cum Jacob homo luctatus est[2], » eumque Deum esse dicit. Nam Jacob dixisse refert : « Vidi Deum facie ad faciem : et salva facta est anima mea. » Scribit etiam locum ubi cum eo luctatus est, eique apparuit et benedixit, ab eo vocatum fuisse Faciem Dei. Et Abrahæ similiter, ut ait Moses, Deus ad quercum Mambræ apparuit, sedenti ad ostium tabernaculi meridie. Deinde postquam hæc dixit, adjicit : « Suspiciens autem oculis vidit, et ecce tres viri stabant supra eum : et cum vidisset, occurrit illis obviam[3]. » Paulo post unus ex illis promittit Abrahæ filium : « Quid ita risit Sara, dicens : Num igitur pariam? ego vero consenui. An impossibile est apud Deum verbum? Tempore isto revertar in horas, et erit Saræ filius. Et discesserunt ab Abrahamo[4]. » Deinde sic de illis rursus loquitur : « Inde autem exsurgentes viri respexerunt in faciem Sodomorum. » Tum rursus quomodo Abrahamum is qui est et qui erat sic alloquatur : « Non celabo Abraham servum meum quæ facturus sum : » et quæ sequuntur ex Mosis scriptis jam deprompta et a me exposita rursus repetii, ex quibus demonstratur, sub Patre et Domino præfectum esse, ac ejus voluntati ministrare istum qui apparuit Abrahæ et Isaac et Jacob et aliis Patriarchis, appellaturque in Scripturis Deus. Hic illud adjeci etsi antea non dixeram : Sic etiam et cum carnem edere populus concupivit, ac Moses ei, qui illic etiam appellatur Angelus, Deum ad satietatem illis daturum pollicenti non credidit; ipse ille qui et Deus est et angelus a Patre missus fuerat, hæc dixisse et fecisse narratur. Sic enim ait Scriptura : « Et dixit Dominus ad Mosem : An manus Domini non sufficiet? Jam cognosces an operturum te sit verbum meum, nec ne[5]. » Et rursum alio in loco sic ait : « Dominus dixit ad

[1] Exod. vi, 2. — [2] Gen. xxxii, 24, 30. — [3] Gen. xviii, 2. — [4] Gen. xviii, 3. — [5] Num. xi, 23.

» me : Non transibis Jordanem istum : Dominus Deus tu[us]
» qui præcedit ante faciem tuam, ipse exterminabit gentes[1].

CXXVII. Sunt et alia ejusmodi Legislatoris et Propheta- rum dicta, et quæ dixi sufficere mihi videntur, ut, cum Deus alicubi dicit : « Ascendit Deus ab Abraham[2]; » aut : « Locutus » est Dominus ad Mosem; » et : « Descendit Dominus ad vi- » dendam turrim quam ædificaverant filii hominum[3]; » vel : « Clausit Deus arcam Noe extrinsecus[4], » non existimetis ip- sum ingenitum Deum descendisse aut aliquo ex loco ascen- disse. Neque enim ille non enarrabilis Pater et Dominus universorum in aliquem locum venit, neque ambulat, neque dormit, sed in regione sua, quæcumque tandem illa sit, manet, acutum cernens et acutum audiens, non oculis qui- dem nec auribus, sed virtute non enarrabili : ac omnia vi- det, et omnia cognoscit; nec quisquam nostrum eum latet; nec movetur, nec loco comprehendi potest, imo ne toto quidem mundo, quippe qui erat etiam antequam mundus fieret[5]. Quomodo igitur ille aut quemquam alloquatur, aut cuiquam appareat, aut in angustissima terræ parte conspi- ciatur; cum ne illius quidem qui ab eo missus est gloriam populus in Sina intueri potuerit; nec ipse Moses taberna- culum quod fecerat ingredi posset, si gloria Dei impletum esset; neque etiam sacerdos pro templo stare sustineret, cum arcam Salomon intulit in domum Jerosolymitanam quam ipse construxerat? Nec Abraham igitur, nec Isaac, nec Jacob, nec quisquam ex hominibus illum omnium omnino ac ipsius Christi Patrem et Dominum non enarrabilem vidit; sed eum qui secundum ipsius voluntatem et Deus est, ip- sius Filius, et angelus ex eo quod ministret ipsius voluntati; quem et hominem nasci ex virgine voluit : qui et ignis [factus] quando fuit in colloquio cum Mose ex rubo. Nisi enim Scri[ptura]

[1] Deut. xxxi, 2. — [2] Gen. xvii, 22. — [3] Gen. xi, 5. — [4] Gen. vii, 16. — [5] Vide ad calcem septimam observat. — [6] Octavam vide observat.

as ita intelligamus, eo res evadet ut Pater et Dominus iversorum tunc in cœlis non fuerit, cum per Mosem dicn est : « Et Dominus pluit super Sodomam ignem et ulphur a Domino ex cœlo[1] : » aut cum rursus per Dalem : « Tollite portas, Principes, vestras; et elevamini ›ortæ æternæ : et introibit Rex gloriæ[2] : » aut cum idem : « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, lonec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum[3]. »

CXXVIII. Ac Christum quidem Dominum et Deum Dei lium esse, et virtute prius apparuisse ut virum et angen, et in gloria ignis, velut in rubo et in judicio de Sodos facto, jam pluribus demonstratum est. Referebam aun iterum omnia quæ prius ex Exodo descripsi, tum de ione in rubo oblata, tum de imposita nominis Jesu apllatione; tumque hæc insuper addidi : Ne existimetis me rbis superfluentem hæc sæpius iterare; sed quia nonnul; etiam esse scio qui hæc occupare velint, ac dicere virtem illam, quæ a Patre universorum Mosi aut Abrahæ aut cob apparuit, Angelum vocari cum ad homines venit, quia r eam mandata Patris hominibus nuntiantur; Gloriam, ia per visa, quæ sustineri non possunt, apparet interdum; rum aliquando et Hominem, quia in ejusmodi formis pro luntate Patris conspicitur; Verbum denique appellant, ia Patris sermones ad homines perferat. Hanc autem virtem a Patre abscindi aut separari non posse, quemadmoım lux solis in terra abscindi et separari nequit a sole ii est in cœlo, et cum sol occiderit, lux simul occidit : sic ım vult Pater, inquiunt, facit ut virtus ejus prosiliat; rurs cum vult, illam ad seipsum reflectit. Eodem modo anlos etiam ab eo fieri docent. Sed angelos quidem esse ; semper manere, neque in id ex quo extitere dissolvi, monstratum est. Illam autem virtutem, quam et Deum

[1] Gen. XIX, 24. — [2] Psal. XXIII, 7. — [3] Psal. CIX, 1.

sermo propheticus, ut multis similiter demonstratum est et Angelum vocat, non solo nomine, ut lucem solis, numerari, sed et numero aliud quid esse, etiam supra breviter disserui; cum virtutem illam ex Patre genitam dicerem virtute et voluntate ipsius, non vero per abscissionem, quasi Patris substantia divideretur, quemadmodum cætera omnia, quæ dividuntur et scinduntur, non eadem sunt ac antequam scinderentur : ac exempli causa sumpsi ignes, quos ex alio igne accendi videmus, non imminuto illo ex quo multi accendi possunt, sed eodem manente.

CXXIX. Nunc autem et quæ ad hujus rei demonstrationem attuli testimonia repetam. Cum dicit propheticus sermo, *Pluit Dominus ignem a Domino de cælo,* duos numero esse declarat, alium quidem in terra, quem descendisse dicit ut videret clamorem Sodomorum; alium autem in cœlis, qui et illius in terra apparentis Domini Dominus est, quatenus Pater et Deus, qui ei præstat, ut et potens sit et Dominus et Deus. Rursus cum refert Scriptura Deum in principio dixisse : « Ecce Adam factus est tanquam unus ex » nobis[1], » id quoque numerum indicat : neque hæc verba tropologiam admittunt, ut interpretari conantur sophistæ et qui veritatem nec dicere nec intelligere possunt. Dictum est etiam in Sapientia : « Si annuntiavero vobis quæ per » diem fiunt, memor ero quæ a sæculo numerare. Dominus » condidit me initium viarum suarum in opera sua : ante » sæculum fundavit me, in principio, antequam terram fa- » ceret, et antequam abyssos constitueret, priusquam pro- » dirent fontes aquarum, antequam montes collocarentur, » et ante omnes colles generat me[2]. » Et cum hæc dixissem addidi : Intelligitis, auditores, siquidem animum advertitis, Scripturam declarare, progeniem ex Patre ante omnes cr

[1] Gen. III, 22. — [2] Prov. VIII, 22.

ıo res creatas genitam esse. Porro genitum a gignente um numero esse quilibet fatebitur.

CXXX. Cum assentirentur omnes, dixi : Nonnulla testi- ›nia, quæ antea non memoravi, nunc proferam. Sunt au- m arcane a fideli famulo Mose dicta in hunc modum : Lætamini gentes cum ipso, et adorent eum omnes angeli Dei[1] : » et hæc quæ sequuntur in Scriptura adjeci : « Læ- :amini gentes cum populo ejus, et confortentur ei omnes ıngeli Dei, quia sanguinem filiorum suorum ulciscitur et ılciscetur, et vindictam retribuet inimicis, et his qui ode- runt eum retribuet, et expurgabit Dominus terram populi sui[2]. » Atque his verbis declarat nos, qui gentes sumus, ım ipsius populo lætari; dico autem Abraham et Isaac et ıcob, et omnes prorsus Prophetas, et quicumque ex illo ›pulo placuerunt Deo, quemadmodum antea inter nos ›nvenit : at nequaquam omnes qui ex vestro genere sunt, telligemus; siquidem ex Esaia didicimus futurum[3], ut ıembra prævaricatorum a verme et non exstinguendo igne ›rentur, immortalia permanentia, ita ut spectaculo sint nni carni. Volo autem vobis, præter hæc testimonia, o ri, aiebam, alia etiam ex iisdem Mosis scriptis nonnulla roferre, ex quibus etiam intelligere potestis Deum anti- ıitus dispersisse omnes homines secundum genera et lin- ıas; cum autem ex omnibus generibus vestrum sibi genus ısumpserit, genus inutile et inobediens et infidele; cum- ue eos qui ex omni genere electi sunt, ipsius voluntati per hristum, quem et Jacob vocat et Israelem nominat, pa- ıisse ostenderit, nos et Jacobum et Israelem, ut jam plu- bus dixi, esse debere. Dum enim ait : « Lætamini gentes cum populo ejus, » similem illis quidem tribuit hæredi- ıtem, nomen autem non simile : sed dum gentes et cum opulo suo lætantes dicit, in probrum vestrum gentes ap-

[1] Psal. xcvi, 8. — [2] Deut. xxxii, 45. — [3] Esai. lxvi, 24.

» me : Non transibis Jordanem istum : Dominus Deus tuus,
» qui præcedit ante faciem tuam, ipse exterminabit gentes[1] :
CXXVII. Sunt et alia ejusmodi Legislatoris et Prophetarum dicta, et quæ dixi sufficere mihi videntur, ut, cum Deus
alicubi dicit : « Ascendit Deus ab Abraham[2]; » aut : « Locutus
» est Dominus ad Mosem; » et : « Descendit Dominus ad videndam turrim quam ædificaverant filii hominum[3]; » vel :
« Clausit Deus arcam Noe extrinsecus[4], » non existimetis ipsum ingenitum Deum descendisse aut aliquo ex loco ascendisse. Neque enim ille non enarrabilis Pater et Dominus
universorum in aliquem locum venit, neque ambulat, neque
dormit, sed in regione sua, quæcumque tandem illa est,
manet, acutum cernens et acutum audiens, non oculis quidem nec auribus, sed virtute non enarrabili : ac omnia videt, et omnia cognoscit; nec quisquam nostrum eum latet;
nec movetur, nec loco comprehendi potest, imo ne toto
quidem mundo, quippe qui erat etiam antequam mundus
fieret[5]. Quomodo igitur ille aut quemquam alloquatur, aut
cuiquam appareat, aut in angustissima terræ parte conspiciatur; cum ne illius quidem qui ab eo missus est gloriam
populus in Sina intueri potuerit; nec ipse Moses tabernaculum quod fecerat ingredi posset, si gloria Dei impletum
esset; neque etiam sacerdos pro templo stare sustinuerit,
cum arcam Salomon intulit in domum Jerosolymitanam
quam ipse construxerat ? Nec Abraham igitur, nec Isaac, nec
Jacob, nec quisquam ex hominibus illum omnium omnino,
ac ipsius Christi Patrem et Dominum non enarrabilem vidit,
sed eum qui secundum ipsius voluntatem et Deus est, ipsius Filius, et angelus ex eo quod ministret ipsius voluntati;
quem et hominem nasci ex virgine voluit : qui et ignis aliquando fuit in colloquio cum Mose ex rubo. Nisi enim Scrip-

[1] Deut. XXXI, 2. — [2] Gen. XVII, 22. — [3] Gen. XI, 5. — [4] Gen. VII, 16. —
[5] Vide ad calcem septimam observat. — [6] Octavam vide observat.

turas ita intelligamus, eo res evadet ut Pater et Dominus universorum tunc in cœlis non fuerit, cum per Mosem dictum est : « Et Dominus pluit super Sodomam ignem et » sulphur a Domino ex cœlo[1] : » aut cum rursus per Davidem : « Tollite portas, Principes, vestras; et elevamini » portæ æternæ : et introibit Rex gloriæ[2] : » aut cum idem ait : « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, » donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum[3]. »

CXXVIII. Ac Christum quidem Dominum et Deum Dei Filium esse, et virtute prius apparuisse ut virum et angelum, et in gloria ignis, velut in rubo et in judicio de Sodomis facto, jam pluribus demonstratum est. Referebam autem iterum omnia quæ prius ex Exodo descripsi, tum de visione in rubo oblata, tum de imposita nominis Jesu appellatione; tumque hæc insuper addidi : Ne existimetis me verbis superfluentem hæc sæpius iterare; sed quia nonnullos etiam esse scio qui hæc occupare velint, ac dicere virtutem illam, quæ a Patre universorum Mosi aut Abrahæ aut Jacob apparuit, Angelum vocari cum ad homines venit, quia per eam mandata Patris hominibus nuntiantur; Gloriam, quia per visa, quæ sustineri non possunt, apparet interdum; Virum aliquando et Hominem, quia in ejusmodi formis pro voluntate Patris conspicitur; Verbum denique appellant, quia Patris sermones ad homines perferat. Hanc autem virtutem a Patre abscindi aut separari non posse, quemadmodum lux solis in terra abscindi et separari nequit a sole qui est in cœlo, et cum sol occiderit, lux simul occidit : sic cum vult Pater, inquiunt, facit ut virtus ejus prosiliat; rursus cum vult, illam ad seipsum reflectit. Eodem modo angelos etiam ab eo fieri docent. Sed angelos quidem esse ac semper manere, neque in id ex quo extitere dissolvi, demonstratum est. Illam autem virtutem, quam et Deum

[1] Gen. XIX, 24. — [2] Psal. XXIII, 7. — [3] Psal. CIX, 1.

sermo propheticus, ut multis similiter demonstratum est; et Angelum vocat, non solo nomine, ut lucem solis, numerari, sed et numero aliud quid esse, etiam supra breviter disserui; cum virtutem illam ex Patre genitam dicerem virtute et voluntate ipsius, non vero per abscissionem, quasi Patris substantia divideretur, quemadmodum cætera omnia, quæ dividuntur et scinduntur, non eadem sunt ac antequam scinderentur: ac exempli causa sumpsi ignem, quem ex alio igne accendi videmus, non imminuto illo ex quo multi accendi possunt, sed eodem manente.

CXXIX. Nunc autem et quæ ad hujus rei demonstrationem attuli testimonia repetam. Cum dicit propheticus sermo, *Pluit Dominus ignem a Domino de cœlo*, duos numero esse declarat, alium quidem in terrâ, quem descendisse dicit ut videret clamorem Sodomorum; alium autem in cœlis, qui et illius in terra apparentis Domini Dominus est, quatenus Pater et Deus, qui ei præstat, ut et potens sit et Dominus et Deus. Rursus cum refert Scriptura Deum in principio dixisse: « Ecce Adam factus est tanquam unus ex » nobis[1], » id quoque numerum indicat: neque hæc verba tropologiam admittunt, ut interpretari conantur sophistæ et qui veritatem nec dicere nec intelligere possunt. Dictum est etiam in Sapientia: « Si annuntiavero vobis quæ in » diem fiunt, memor ero quæ a sæculo numerare. Dominus » condidit me initium viarum suarum in opera sua: ante » sæculum fundavit me, in principio, antequam terram fa» ceret, et antequam abyssos constitueret, priusquam pro» dirent fontes aquarum, antequam montes collocarentur, » et ante omnes colles generat me[2]. » Et cum hæc dixissem, addidi: Intelligitis, auditores, siquidem animum advertitis, Scripturam declarare, progeniem ex Patre ante omnes

[1] Gen. III, 22. — [2] Prov. VIII, 22.

no rps creatas genitam esse. Porro genitum a gignente
um numero esse quilibet fatebitur.

CXXX. Cum assentirentur omnes, dixi : Nonnulla testi-
onia, quæ antea non memoravi, nunc proferam. Sunt au-
m arcane a fideli famulo Mose dicta in hunc modum :
Lætamini gentes cum ipso, et adorent eum omnes angeli
Dei[1] : » et hæc quæ sequuntur in Scriptura adjeci : « Læ-
tamini gentes cum populo ejus, et confortentur ei omnes
angeli Dei, quia sanguinem filiorum suorum ulciscitur et
ulciscetur, et vindictam retribuet inimicis, et his qui ode-
runt eum retribuet, et expurgabit Dominus terram populi
sui[2]. » Atque his verbis declarat nos, qui gentes sumus,
m ipsius populo lætari; dico autem Abraham et Isaac et
cob, et omnes prorsus Prophetas, et quicumque ex illo
pulo placuerunt Deo, quemadmodum antea inter nos
nvenit : at nequaquam omnes qui ex vestro genere sunt,
telligemus; siquidem ex Esaia didicimus futurum[3], ut
embra prævaricatorum a verme et non exstinguendo igne
rentur, immortalia permanentia, ita ut spectaculo sint
nni carni. Volo autem vobis, præter hæc testimonia, o
ri, aiebam, alia etiam ex iisdem Mosis scriptis nonnulla
oferre, ex quibus etiam intelligere potestis Deum anti-
itus dispersisse omnes homines secundum genera et lin-
ias; cum autem ex omnibus generibus vestrum sibi genus
sumpserit, genus inutile et inobediens et infidele; cum-
ie eos qui ex omni genere electi sunt, ipsius voluntati per
hristum, quem et Jacob vocat et Israelem nominat, pa-
isse ostenderit, nos et Jacobum et Israelem, ut jam plu-
bus dixi, esse debere. Dum enim ait : « Lætamini gentes
cum populo ejus, » similem illis quidem tribuit hæredi-
tem, nomen autem non simile : sed dum gentes et cum
pulo suo lætantes dicit, in probrum vestrum gentes ap-

[1] Psal. xcvi, 8. — [2] Deut. xxxii, 45. — [3] Esai. lxvi, 24.

sermo propheticus, ut multis similiter demonstratum est, et Angelum vocat, non solo nomine, ut lucem solis, numerari, sed et numero aliud quid esse, etiam supra breviter disserui; cum virtutem illam ex Patre genitam dicerem, virtute et voluntate ipsius, non vero per abscissionem, quasi Patris substantia divideretur, quemadmodum cætera omnia, quæ dividuntur et scinduntur, non eadem sunt ac antequam scinderentur: ac exempli causa sumpsi ignes, quos ex alio igne accendi videmus, non imminuto illo ex quo multi accendi possunt, sed eodem manente.

CXXIX. Nunc autem et quæ ad hujus rei demonstrationem attuli testimonia repetam. Cum dicit propheticus sermo, *Pluit Dominus ignem a Domino de cœlo*, duos numero esse declarat, alium quidem in terra, quem descendisse dicit ut videret clamorem Sodomorum; alium autem in cœlis, qui et illius in terra apparentis Domini Dominus est, quatenus Pater et Deus, qui ei præstat, ut et potens sit et Dominus et Deus. Rursus cum refert Scriptura Deum in principio dixisse: « Ecce Adam factus est tanquam unus ex » nobis[1], » id quoque numerum indicat: neque hæc verba tropologiam admittunt, ut interpretari conantur sophistæ, et qui veritatem nec dicere nec intelligere possunt. Dictum est etiam in Sapientia: « Si annuntiavero vobis quæ in » diem fiunt, memor ero quæ a sæculo numerare. Dominus » condidit me initium viarum suarum in opera sua: ante » sæculum fundavit me, in principio, antequam terram fa» ceret, et antequam abyssos constitueret, priusquam pro» dirent fontes aquarum, antequam montes collocarentur, » et ante omnes colles generat me[2]. » Et cum hæc dixissem, addidi: Intelligitis, auditores, siquidem animum advertitis, Scripturam declarare, progeniem ex Patre ante omnes om-

[1] Gen. III, 22. — [2] Prov. VIII, 22.

o res creatas genitam esse. Porro genitum a gignente
ım numero esse quilibet fatebitur.

:XXX. Cum assentirentur omnes, dixi : Nonnulla testi-
nia, quæ antea non memoravi, nunc proferam. Sunt au-
ı arcane a fideli famulo Mose dicta in hunc modum ;
ætamini gentes cum ipso, et adorent eum omnes angeli
ei[1] : » et hæc quæ sequuntur in Scriptura adjeci : « Læ-
ımini gentes cum populo ejus, et confortentur ei omnes
ngeli Dei, quia sanguinem filiorum suorum ulciscitur et
lciscetur, et vindictam retribuet inimicis, et his qui ode-
ınt eum retribuet, et expurgabit Dominus terram populi
ıi[2]. » Atque his verbis declarat nos, qui gentes sumus,
n ipsius populo lætari; dico autem Abraham et Isaac et
:ob, et omnes prorsus Prophetas, et quicumque ex illo
pulo placuerunt Deo, quemadmodum antea inter nos
ıvenit.: at nequaquam omnes qui ex vestro genere sunt,
elligemus; siquidem ex Esaia didicimus futurum[3], ut
mbra prævaricatorum a verme et non exstinguendo igne
entur, immortalia permanentia, ita ut spectaculo sint
ıni carni. Volo autem vobis, præter hæc testimonia, o
i, aiebam, alia etiam ex iisdem Mosis scriptis nonnulla
ferre, ex quibus etiam intelligere potestis Deum anti-
tus dispersisse omnes homines secundum genera et lin-
ıs; cum autem ex omnibus generibus vestrum sibi genus
umpserit, genus inutile et inobediens et infidele; cum-
e eos qui ex omni genere electi sunt, ipsius voluntati per
ıristum, quem et Jacob vocat et Israelem nominat, pa-
sse ostenderit, nos et Jacobum et Israelem, ut jam plu-
us dixi, esse debere. Dum enim ait : « Lætamini gentes
um populo ejus, » similem illis quidem tribuit hæredi-
em, nomen autem non simile : sed dum gentes et cum
pulo suo lætantes dicit, in probrum vestrum gentes ap-

Psal. xcvi, 8. — [2] Deut. xxxii, 45. — [3] Esai. lxvi, 24.

pellat. Quemadmodum enim et vos ad iracundiam illum concitastis, dum simulacra colitis, ita et illos, cum simulacrorum cultores essent, hac gratia dignatus est, ut cognoscerent ipsius voluntatem, et hæreditatem quæ apud illum est acciperent.

CXXXI. Proferam autem verba ex quibus omnes gentes a Deo divisas fuisse ostenditur. Sunt autem ejusmodi: « Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; majores tuos, » et dicent tibi, quando dividebat Altissimus gentes, quando » dispergebat filios Adam. Constituit terminos gentium » secundum numerum filiorum Israel, et facta est pars » Domini populus ejus Jacob : funiculus hæreditatis ejus » Israel[1]. » Et cum hæc dixissem, addidi : Septuaginta interpretes ita exposuerunt : « Constituit terminos populorum » juxta numerum angelorum Dei. » Sed vestram interpretationem retuli, quia nihil ex ea re mihi imminuitur ratiocinatio. Vos autem, si verum fateri vultis, non negabitis nos, qui per abjectum et probri plenum crucis *mysterium* a Deo vocati (quorum confessioni et obedientiæ et *pietati* supplicia ad mortem usque a dæmonibus et exercitu diaboli per vestrum, quod illis exhibuistis, ministerium infliguntur) omnia perferimus ne Christum voce tenus negemus, per quem ad præparatam a Patre salutem vocati sumus; nos, inquam, fideliores Deo esse quam vos, qui in brachio excelso et visitatione magnæ gloriæ redempti estis ex Ægypto, cum vobis mare divisum est ac siccum iter effectum, in quo eos qui vos cum magna prorsus potestate et splendidis curribus persequebantur occidit Deus, effuso in eos mari quod propter vos calcabile factum erat; quam vos, inquam, quibus columna luminis affulsit, ut etiam præter alium quemlibet in terrarum orbe populum propria et defectum atque occasum nescienti luce uti possetis; quibus panem, alimo-

[1] Deut. XXXII, 7.

æ causa, proprium angelorum cœlestium, manna scilicet, uit, ut ne panificio quidem vobis opus esset; quibus aquæ Mara dulces factæ sunt; quibus denique signum illius ui crucifigendus erat, ut jam dixi, exhibitum est, et cum os morderent serpentes (omnia in antecessum mysteria obis ante propria tempora gratificante Deo, in quem semer ingrato fuisse animo arguimini), et cum per figuram exnsionis manuum Mosis, et eum qui cognominatus est Jeıs, debellaretur Amalech : qua de re præcepit Deus, ut in tteras referretur, et auribus vestris nomen Jesu mandetur, hunc esse dicens qui deleturus erat de terra memoam Amalech. Porro Amalechi memoriam etiam post filium avæ manere liquet : at futurum ut per Jesum crucifixum, ujus etiam res omnes his symbolis præsignificabantur, dæiones exterminarentur, ejusque nomen formidarent, eumue pariter omnes principatus et regna metuerent, et ex mni hominum genere pii et pacifici ostenderentur qui in lum credunt, Scriptura declarat, idque etiam demonsant quæ jam a me, Trypho, commemorata sunt. Vobis tiam carnes concupiscentibus tanta data est coturnicum opia quanta numerari non posset : quibus etiam aqua ex upe scaturivit; quos nubes et ab æstu obumbrans et a frire custodiens consequebatur, novi alius cœli speciem et ræsignificationem habens; quorum nec lora calceamentoum rupta sunt, nec ipsa calceamenta veterarunt, nec vesmenta contrita, sed et in junioribus simul crescebant.

CXXXII. Et post hæc vitulum conflastis, et cum filiaus alienigenarum fornicari, et simulacra colere studuistis, tiam postquam tradita vobis terra est tanta cum virtute, t solem jussu illius viri qui Jesu appellatione cognominaıs est, in cœlo stantem, nec usque ad horas triginta sex ccidentem, videretis, et alias omnes virtutes quæ vobis xhibitæ variis temporibus fuerunt; quarum etiam una vi-

detur mihi hoc loco commemoranda; ad hoc enim con-
cit ut vel ex illa cognoscatis Jesum, quem nos Christ
esse Filium Dei agnovimus, qui crucifixus est et resurr
et ascendit in cœlos, et iterum omnium omnino hom
usque ad ipsum Adamum, judex venturus est. Scitis e
hostes Azotios, cum tabernaculum testimonii cepisse
horribili et insanabili plaga percussi fuissent, hoc cons
cepisse, ut illud currui, cui vaccas a partu recentes im
rant, imponerent, periculi faciendi causa, an virtute D
propter tabernaculum percussi fuissent, illudque De
reduci vellet unde eductum fuerat. Quod cum fecis
vaccæ, nullo hominum ducente, non in eum locum v
runt unde eductum tabernaculum fuerat, sed in ag
cujusdam hominis qui Auses vocabatur, eodem nomi
ille qui Jesus, ut jam dictum est, cognominatus populo
troduxit in terram, eamque ipsis distribuit. Quem in ag
vaccæ cum venissent, constiterunt; ex quo etiam v
monstratur eas virtute nominis deductas fuisse, quem
modum antea populus ex his qui ex Ægypto profecti fue
rant residuus, per eum qui nomen Jesu accepit, cum Au
antea vocaretur, in terram inductus est.

CXXXIII. Et cum hæc et alia ejusmodi miracula ha
ritis et diversis temporibus videritis, arguunt vos eti
Prophetæ, quod vestros etiam filios dæmoniis immola
tis, et his sceleribus adjeceritis quæ in Christum ausi
et etiamnum audetis, de quibus omnibus utinam, con
vobis a Deo et Christo ejus misericordia, salvemini.
per prophetam Esaiam Deus, cum præsciret vos hæc
turos, ita vos exsecratus est: « Væ animæ ipsorum, q
» niam consiliati sunt consilium pessimum contra se
» ipsos, dicentes: Alligemus justum, quoniam incomm
» est nobis. Itaque fructus operum suorum comedent.
» iniquo! mala secundum opera manuum ejus accident

Popule meus, exactores vestri spoliant vos, et exigentes dominabuntur vobis. Popule meus, qui beatos vos dicunt decipiunt vos, et semitam viarum vestrarum turbant. Sed nunc sistet in judicio populum suum : et ipse Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi, et cum principibus ejus. Vos autem quare incendistis vineam meam, et rapina pauperis in domibus vestris? Quare vos injuriis afficitis populum meum, et faciem humilium confunditis[1]? » Et alio item loco idem Propheta in eamdem sententiam dixit : « Væ, qui trahunt peccata sua quasi funiculo longo, et quasi jugi corrigia vitulæ, iniquitates ! qui dicunt : Celeritas ejus appropinquet, et veniat consilium sancti Israel, ut cognoscamus. Væ, qui dicunt bonum malum, et malum bonum; qui ponunt lucem tenebras, et tenebras lucem; qui ponunt amarum dulce, et dulce amarum ! Væ, qui sunt arguti in semetipsis, et coram semetipsis scientes ! Væ, valentes vestri, qui bibunt vinum, et potentes, et qui miscent siceram, qui justificant impium propter munera, et jus justi tollunt ! Propter hoc, sicut uretur stipula a carbone ignis, simul quoque comburentur a flamma ardente; radix quasi lanugo erit, et flos eorum quasi pulvis ascendet. Non enim voluerunt legem Domini Sabaoth, sed eloquium Domini sancti Israel irritaverunt. Et indignatus est ira Dominus Sabaoth, et immisit manus super eos, et percussit eos, et concitatus est in montes : et facta sunt morticina eorum in medio, quasi stercus viæ. Et in omnibus his non sunt aversi, sed adhuc manus eorum excelsa[2]. » Vere enim adhuc manus vestra ad male agendum extenta est; quippe qui cum Christum occideritis, ne sic quidem pœnitentiam agitis, sed nos etiam, qui per eum Deo et Patri universorum credidimus, odistis et, quoties facultas datur, occidi-

[1] Esai. III, 9. — [2] Esai. V, 18.

« Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis et illi soli » servies[1]. » Tum fractus et convictus diabolus discessit. Sed quia futurum etiam erat ut Christus noster marcesceret, id est, in ærumna et passionis sensu in crucem actus versaretur, hujus quoque rei prænuntiationem exhibuit, cum Jacobi femur tetigit, atque ut marcesceret effecit. Erat autem illi antiquitus nomen Israel, quo beatum Jacob cognominavit, benedicens eum suo ipsius nomine, atque hac etiam ratione prædicens omnes qui per eum ad Patrem confugiunt, benedictum esse Israelem. Vos autem cum nihil horum intelligatis, nec ad intelligendum parati sitis; quia secundum carnale semen filii estis Jacobi, salvos omnino vos futuros exspectatis. At vos in his quoque a vobismetipsis in errorem induci, pluribus a me demonstratum est.

CXXVI. Quod si nossetis quis tandem ille sit qui et Angelus magni consilii interdum, et Vir ab Ezechiele, et tanquam Filius hominis a Daniele, et Puerulus ab Esaia, et Christus et Deus adorandus a Davide, et Christus et Lapis a multis, et Sapientia a Salomone, et Joseph et Judas et Stella a Mose, et Oriens a Zacharia, et rursus ab Esaia Passibilis et Jacob et Israel, et Virga et Flos, et Lapis summus angularis vocatus; hoc, inquam, si nossetis, Trypho, non eum profecto blasphemiis appeteretis, etiam postquam advenit, et natus ac passus est, ac in cœlum ascendit; qui quidem rursum adveniet, ac tunc plangent duodecim vestræ tribus. Nam si intellexissetis quæ a Prophetis dicta sunt non eum negassetis Deum esse, solius et ingeniti et inenarrabilis Dei Filium. Dictum est enim alicubi et per Mosem in Exodo ad hunc modum : « Locutus est autem Dominus ad Mosem et dixit ad eum : Ego sum Dominus, et » visus sum Abrahæ, Isaac et Jacob Deus eorum, et nomen » meum non indicavi eis, et statui testamentum meum ad

[1] Matth. iv, 10.

» eos [1]. » Sic etiam rursus ait : « Cum Jacob homo luctatus » est [2], » eumque Deum esse dicit. Nam Jacob dixisse refert : « Vidi Deum facie ad faciem : et salva facta est anima » mea. » Scribit etiam locum ubi cum eo luctatus est, eique apparuit et benedixit, ab eo vocatum fuisse Faciem Dei. Et Abrahæ similiter, ut ait Moses, Deus ad quercum Mambræ apparuit, sedenti ad ostium tabernaculi meridie. Deinde postquam hæc dixit, adjicit : « Suspiciens autem oculis vi» dit, et ecce tres viri stabant supra eum : et cum vidisset, » occurrit illis obviam [3]. » Paulo post unus ex illis promittit Abrahæ filium : « Quid ita risit Sara, dicens : Num igitur » pariam? ego vero consenui. An impossibile est apud » Deum verbum? Tempore isto revertar in horas, et erit » Saræ filius. Et discesserunt ab Abrahamo [4]. » Deinde sic de illis rursus loquitur : « Inde autem exsurgentes viri res» pexerunt in faciem Sodomorum. » Tum rursus quomodo Abrahamum is qui est et qui erat sic alloquatur : « Non » celabo Abraham servum meum quæ facturus sum : » et quæ sequuntur ex Mosis scriptis jam deprompta et a me expositа rursus repetii, ex quibus demonstratur, sub Patre et Domino præfectum esse, ac ejus voluntati ministrare istum qui apparuit Abrahæ et Isaac et Jacob et aliis Patriarchis, appellaturque in Scripturis Deus. Hic illud adjeci etsi antea non dixeram : Sic etiam et cum carnem edere populus concupivit, ac Moses ei, qui illic etiam appellatur Angelus, Deum ad satietatem illis daturum pollicenti non credidit; ipse ille qui et Deus est et angelus a Patre missus fuerat, hæc dixisse et fecisse narratur. Sic enim ait Scriptura : « Et » dixit Dominus ad Mosem : An manus Domini non suffi» ciet? Jam cognosces an operturum te sit verbum meum, » nec ne [5]. » Et rursum alio in loco sic ait : « Dominus dixit ad

[1] Exod. VI, 2. — [2] Gen. XXXII, 24, 30. — [3] Gen. XVIII, 2. — [4] Gen. XVIII, 13. — [5] Num. XI, 23.

« Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis et illi soli » servies[1]. » Tum fractus et convictus diabolus discessit. Sed quia futurum etiam erat ut Christus noster marcesceret, id est, in ærumna et passionis sensu in crucem actus versaretur, hujus quoque rei prænuntiationem exhibuit, cum Jacobi femur tetigit, atque ut marcesceret effecit. Erat autem illi antiquitus nomen Israel, quo beatum Jacob cognominavit, benedicens eum suo ipsius nomine, atque hac etiam ratione prædicens omnes qui per eum ad Patrem confugiunt, benedictum esse Israelem. Vos autem cum nihil horum intelligatis, nec ad intelligendum parati sitis; quia secundum carnale semen filii estis Jacobi, salvos omnino vos futuros exspectatis. At vos in his quoque a vobismetipsis in errorem induci, pluribus a me demonstratum est.

CXXVI. Quod si nossetis quis tandem ille sit qui et Angelus magni consilii interdum, et Vir ab Ezechiele, et interdum quasi Filius hominis a Daniele, et Puerulus ab Esaia, et Christus et Deus adorandus a Davide, et Christus et Lapis a multis, et Sapientia a Salomone, et Joseph et Judas et Stella a Mose, et Oriens a Zacharia, et rursus ab Esaia Passibilis et Jacob et Israel, et Virga et Flos, et Lapis summus angularis vocatus; hoc, inquam, si nossetis, Trypho, nec eum profecto blasphemiis appeteretis, etiam postquam advenit, et natus ac passus est, ac in cœlum ascendit; qui quidem rursum adveniet, ac tunc plangent duodecim vestræ tribus. Nam si intellexissetis quæ a Prophetis dicta sunt, non eum negassetis Deum esse, solius et ingeniti et inenarrabilis Dei Filium. Dictum est enim alicubi et per Mosem in Exodo ad hunc modum : « Locutus est autem Dominus ad Mosem et dixit ad eum : Ego sum Dominus, et » visus sum Abrahæ, Isaac et Jacob Deus eorum, et nomen » meum non indicavi eis, et statui testamentum meum se

[1] Matth. IV, 10.

os [1]. » Sic etiam rursus ait : « Cum Jacob homo luctatus st [2], » eumque Deum esse dicit. Nam Jacob dixisse ret : « Vidi Deum facie ad faciem : et salva facta est anima nea. » Scribit etiam locum ubi cum eo luctatus est, eie apparuit et benedixit, ab eo vocatum fuisse Faciem Dei. Abrahæ similiter, ut ait Moses, Deus ad quercum Mamæ apparuit, sedenti ad ostium tabernaculi meridie. Deinde stquam hæc dixit, adjicit : « Suspiciens autem oculis vilit, et ecce tres viri stabant supra eum : et cum vidisset, occurrit illis obviam [3]. » Paulo post unus ex illis promittit orahæ filium : « Quid ita risit Sara, dicens : Num igitur pariam? ego vero consenui. An impossibile est apud Deum verbum? Tempore isto revertar in horas, et erit Saræ filius. Et discesserunt ab Abrahamo [4]. » Deinde sic illis rursus loquitur : « Inde autem exsurgentes viri respexerunt in faciem Sodomorum. » Tum rursus quomodo brahamum is qui est et qui erat sic alloquatur : « Non celabo Abraham servum meum quæ facturus sum : » et æ sequuntur ex Mosis scriptis jam deprompta et a me exosita rursus repetii, ex quibus demonstratur, sub Patre et omino præfectum esse, ac ejus voluntati ministrare istum ui apparuit Abrahæ et Isaac et Jacob et aliis Patriarchis, opellaturque in Scripturis Deus. Hic illud adjeci etsi ana non dixeram : Sic etiam et cum carnem edere populus oncupivit, ac Moses ei, qui illic etiam appellatur Angelus, eum ad satietatem illis daturum pollicenti non credidit; pse ille qui et Deus est et angelus a Patre missus fuerat, æc dixisse et fecisse narratur. Sic enim ait Scriptura : « Et dixit Dominus ad Mosem : An manus Domini non sufficiet? Jam cognosces an operturum te sit verbum meum, necne [5]. » Et rursum alio in loco sic ait : « Dominus dixit ad

[1] Exod. VI, 2. — [2] Gen. XXXII, 24, 30. — [3] Gen. XVIII, 2. — [4] Gen. XVIII, 3. — [5] Num. XI, 23.

» me : Non transibis Jordanem istum : Dominus Deus tuus, » qui præcedit ante faciem tuam, ipse exterminabit gentes[1].

CXXVII. Sunt et alia ejusmodi Legislatoris et Prophetarum dicta, et quæ dixi sufficere mihi videntur, ut, cum Deus alicubi dicit : « Ascendit Deus ab Abraham[2]; » aut : « Locutus » est Dominus ad Mosem; » et : « Descendit Dominus ad videndam turrim quam ædificaverant filii hominum[3]; » vel : « Clausit Deus arcam Noe extrinsecus[4], » non existimetis ipsum ingenitum Deum descendisse aut aliquo ex loco ascendisse. Neque enim ille non enarrabilis Pater et Dominus universorum in aliquem locum venit, neque ambulat, neque dormit, sed in regione sua, quæcumque tandem illa est, manet, acutum cernens et acutum audiens, non oculis quidem nec auribus, sed virtute non enarrabili : ac omnia videt, et omnia cognoscit; nec quisquam nostrum eum latet; nec movetur, nec loco comprehendi potest, imo ne toto quidem mundo, quippe qui erat etiam antequam mundus fieret[5]. Quomodo igitur ille aut quemquam alloquatur, aut cuiquam appareat, aut in angustissima terræ parte conspiciatur; cum ne illius quidem qui ab eo missus est gloriam populus in Sina intueri potuerit; nec ipse Moses tabernaculum quod fecerat ingredi posset, si gloria Dei impletum esset; neque etiam sacerdos pro templo stare sustinuerit, cum arcam Salomon intulit in domum Jerosolymitanam quam ipse construxerat? Nec Abraham igitur, nec Isaac, nec Jacob, nec quisquam ex hominibus illum omnium omnino ac ipsius Christi Patrem et Dominum non enarrabilem vidit; sed eum qui secundum ipsius voluntatem et Deus est, ipsius Filius, et angelus ex eo quod ministret ipsius voluntati; quem et hominem nasci ex virgine voluit : qui et ignis aliquando fuit in colloquio cum Mose ex rubo. Nisi enim Scr-

[1] Deut. xxxi, 2. — [2] Gen. xvii, 22. — [3] Gen. xi, 5. — [4] Gen. vii, 16. — [5] Vide ad calcem septimam observat. — [6] Octavam vide observat.

per signa omnia in diluvio edita præmonstratum est : id est, per aquam et fidem et lignum, qui præparati sunt et peccatorum pœnitentiam agunt, venturum Dei judicium effugient.

Nam et aliud mysterium tempore Noe prædicebatur, quod vos nescitis. Sic autem se habet. In benedictionibus quibus Noe filios suos impertit, nepoti suo maledicit. Nam filio, qui simul cum fratribus a Deo benedictus fuerat, propheticus spiritus non erat maledicturus. Sed quia futurum erat ut ad universum genus illius qui nudum patrem irriserat, pœna peccati pertineret, ab ejus filio initium fecit maledicendi. In his autem, quæ dixit, futurum prædicebat ut Semi posteri possessiones et domicilia Chanaan detinerent, et rursus qui ex Japhet, ea detinerent quæ posteri Semi adempta posteris Chanaan detinebant, et Semi posteros spoliarent quemadmodum isti posteros Chanaan spoliaverunt. Atque hoc ita factum esse audite. Vos enim, qui ex Semo genus ducitis, in terram filiorum Chanaan secundum Dei voluntatem invasistis, eamque tenuistis. Non minus constat filios Japhet secundum Dei judicium in vos invasisse, et terram quam vobis abstulerunt tenuisse. Hæc autem dicta sunt in hunc modum : « Sobrius vero factus » est Noe a vino : et cognovit omnia quæ fecit eis filius ejus » junior, et dixit : Maledictus Chanaan puer! famulus erit » fratribus suis. Et dixit : Benedictus Dominus Deus Sem : » et erit Chanaan servus ejus. Dilatet Dominus Japhet, et » habitet in domibus Sem, et fiat Chanaan servus ejus [1]. » Itaque cum duo populi benedicti essent, qui ex Sem, et qui ex Japhet; cumque ut posteri Sem domos Chanaan primi tenerent, decretum esset ac prædictum rursus ab eis easdem possessiones posteros Japhet accepturos; cumque duobus populis unus populus ex Chanaan ortus in servitutem

[1] Gen. IX, 24.

traditus fuisset; Christus secundum omnipotentis Patris virtutem ipsi traditam advenit, ac in amicitiam et benedictionem et pœnitentiam et convictum vocans, futuram in eadem terra sanctorum omnium possessionem, ut jam demonstratum est, promisit. Unde quacumque ex regione, sive servi, sive liberi, credentes in Christum, et eorum quæ tum ab ipso, tum a Prophetis tradita sunt, veritatem agnoscentes, sciunt se una cum eo in illa terra futuros et æterna ac incorrupta bona hæreditate accepturos.

CXL. Hinc etiam Jacob, ut jam dixi, cum ipse etiam esset Christi figura, duas ancillas duarum liberarum conjugum suarum duxerat, et ex illis filios suscepit, ut prænuntiaretur Christum eos qui in Japhet genere, omnes ex Chanaan orti, versantur, pariter ac liberos suscepturum, et in filiorum cohæredum loco habiturum. Atque hi quidem nos sumus, sed intelligere non potestis, quia ex vivo Dei fonte non potestis bibere, sed ex confractis cisternis nec aquam continere valentibus, ut ait Scriptura. *Confractæ* autem cisternæ nec aquam continentes, eæ sunt quas vobis foderunt magistri vestri, ut nominatim declarat Scriptura, *docentes doctrinas, mandata hominum*[1]. Præterea et vos et seipsos ludificantur, dum existimant omnibus ex semine Abrahæ secundum carnem editis, etiam si peccatores et increduli et in Deum contumaces fuerint, regnum æternum datum iri; quod aliter se habere demonstrat Scriptura. Nunquam enim profecto dixisset Esaias : « Et nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma et » Gomorrha facti essemus[2]. » Et Ezechiel : « Etiamsi Noe, » et Jacob, et Daniel deposcerent filios aut filias, non dabuntur tamen eis[3]. » Sed nec pater pro filio, nec filius pro patre, sed unusquisque proprio peccato interibit, et unusquisque propriis justitiæ operibus salvabitur. Et rursus

[1] Esai. XXIX, 13. — [2] Esai. I, 9. — [3] Ezech. XIV, 18.

Esaias : « Videbunt cadavera eorum qui prævaricati sunt, » vermis eorum non quiescet et ignis eorum non exstinguetur, et erunt in visionem omni carni[1]. » Neque etiam noster secundum voluntatem Patris, a quo missus est, et dominatoris omnium Dominus dixisset : « Venient ab Occidente et Oriente, et recumbent cum Abraham, Isaac et » Jacob in regno cœlorum. Filii vero regni ejicientur in » tenebras exteriores[2]. » Quod autem qui futuri iniqui prænoscebantur, sive angeli, sive homines, non Dei culpa improbi fiunt, sed suo quisque vitio tales sunt qualis quisque apparebit, id etiam supra demonstravi.

CXLI. Sed ne vobis dicendi locus relinquatur oportuisse ut Christus crucifigeretur, ac in vestro genere essent qui prævaricarentur, neque aliter evenire potuisse; paucis antevertens dixi Deum, cum angelos et homines suæ voluntati parere vellet, liberos ad justitiæ observationem creare voluisse, indita eis ratione, qua cognoscerent a quo creati sint et per quem existant, cum antea non essent; imposita etiam hac lege, ut ab eo judicarentur, si præter rectam rationem facerent. Quamobrem per nos ipsi, homines et angeli, improbitatis arguemur, nisi pœnitentiam occupemus. Quod si verbum Dei prædicit omnino quosdam angelos et homines punitum iri, idcirco hæc prædicit, quod eos citra ullam immutationem improbos futuros prænosceret, nequaquam autem quod eos Deus tales fecerit. Quapropter si pœnitentiam agant, licet omnibus, quicumque voluerint, misericordiam a Deo consequi; eosque beatos Scriptura prædicat his verbis : « Beatus cui non imputa» verit Dominus peccatum[3]. » Id autem hanc vim habet ut, peccatorum pœnitentiam agendo, peccatorum a Deo remissionem accipiat, nequaquam autem ut vosmetipsos decipitis, et alii quidam vobis hac in re similes, qui dicunt

[1] Esai. LXVI, 24. — [2] Matth. VIII, 12. — [3] Psal. XXXI, 2.

pellat. Quemadmodum enim et vos ad iracundiam la concitastis, dum simulacra colitis, ita et illos, cum sim lacrorum cultores essent, hac gratia dignatus est, ut c gnoscerent ipsius voluntatem, et hæreditatem quæ ap illum est acciperent.

CXXXI. Proferam autem verba ex quibus omnes g a Deo divisas fuisse ostenditur. Sunt autem ejusmodi: » terroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; majores tu » et dicent tibi, quando dividebat Altissimus gentes, qua » dispergebat filios Adam. Constituit terminos ge » secundum numerum filiorum Israel, et facta est p » Domini populus ejus Jacob : funiculus hæreditatis » Israel[1]. » Et cum hæc dixissem, addidi : Septuaginta terpretes ita exposuerunt : « Constituit terminos popu » juxta numerum angelorum Dei. » Sed vestram inter tationem retuli, quia nihil ex ea re mihi imminuitur cinatio. Vos autem, si verum fateri vultis, non nos, qui per abjectum et probri plenum crucis mysterium a Deo vocati (quorum confessioni et obedientiæ et pietati supplicia ad mortem usque a dæmonibus et exercitu boli per vestrum, quod illis exhibuistis, ministerium guntur) omnia perferimus ne Christum voce tenus neg per quem ad præparatam a Patre salutem vocati sumus; inquam, fideliores Deo esse quam vos, qui in brachio celso et visitatione magnæ gloriæ redempti estis ex Æg cum vobis mare divisum est ac siccum iter effectum, in eos qui vos cum magna prorsus potestate et splendidis ribus persequebantur occidit Deus, effuso in eos mari propter vos calcabile factum erat; quam vos, inquam, bus columna luminis affulsit, ut etiam præter alium q libet in terrarum orbe populum propria et defectum occasum nescienti luce uti possetis; quibus panem, a

[1] Deut. xxxii, 7.

et adjuvante Deo, adhortor vos ut in hoc maximum pro salute vestra certamen incumbentes, magistris vestris Christum omnipotentis Dei anteponere studeatis. Post hæc ita discessere, ut mihi et a navigatione et ab omni malo salutem precarentur. Ego autem pro eis orans, Nihil majus, aiebam, vobis precari possum, quam ut hac via mentem omni homini dari agnoscentes, ipsi quoque idem omnino ac nos sentiatis, Jesum esse Christum Dei.

EJUSDEM JUSTINI

EPISTOLA AD DIOGNETUM.

EX INTERPRETATIONE HENRICI STEPHANI PLURIBUS LOCIS EMENDATA.

Primus hanc Epistolam Justino abjudicavit Tillemont, sed immerito, ut non levibus momentis astruit D. Maran in præstantissima Justini editione: ideoque hanc Epistolam ab operibus sancti Justini non sejunximus.

R. P. Halloix Diognetum ipsum illum esse existimavit, quo M. Aurelius et pingendi magistro et aliorum rerum longe meliorum hortatore usus est.

I. Quandoquidem video te, Diognete, vir præstantissime, acerrimo studio teneri discendi quis sit divinus cultus Christianorum, ac valde aperte accurateque percontari de iis, in quo Deo fiduciam collocantes, et quam religionem colentes, et mundum ipsum aspernentur omnes, et mortem contemnant; ac neque eos qui a Græcis dii existimantur, pro diis habeant; neque Judæorum superstitionem observent; et quis sit ille amor quo se mutuo prosequuntur; et cur novum hoc genus aut institutum in consuetudinem vitæ nunc cœperit, ac non prius: acceptum habeo tuum hoc desiderium, et peto a Deo, qui et loquendi et audiendi nobis facultatem suppeditat, ut ab eo detur, mihi quidem ita verba facere ut in primis contingat te, postquam au-

dieris, meliorem evadere; et tibi, ita audire, ut tristitia non afficiatur is qui verba fecerit.

II. Age igitur, postquam teipsum a cunctis cogitationibus mentem tuam præoccupantibus purgaveris, et consuetudinem quæ te decipit, tanquam impedimentum aliquod, rejeceris, et factus fueris, velut ab initio, novus homo, utpote sermonis novi (sicut et ipse confessus es) auditor futurus: vide non solum oculis, sed etiam prudentia, cujus sint substantiæ, aut cujus formæ, ii quos vocatis et existimatis deos. Nonne eorum alius quidem est lapis, ei qui calcatur similis? alius autem est æs, nihilo melius quam quæ in usum nostrum fabricata sunt vasa? alius lignum, et quidem etiam putridum? alius argentum, cui opus est homini custodituro, ne furto auferatur? alius ferrum rubigine corruptum? alius testa, nihilo speciosior ea quæ ad abjectissimum ministerium facta est? Nonne ex materia corruptioni obnoxia sunt hæc omnia? nonne ferri et ignis ope fabricata? nonne eorum aliud sculptor lapidum, aliud faber ærarius, aliud argentarius faber, aliud figulus finxit? minimeque in talem formam unumquodque mutatum erat priusquam arte alicujus horum hæc impressa ei fuisset? Nonne quæ nunc eadem e materia sunt vasa, similia his reddi queant, si eosdem artifices nanciscantur? nonne hæc quæ a vobis adorantur, ab hominibus vasa reliquis similia fieri rursum possint? Nonne surda sunt omnia? nonne cæca? nonne inanima? nonne sensus omnis expertia? nonne immobilia? Nonne omnia putrescunt? nonne omnia corrumpuntur? Hæc deos vocatis, his servitis, hæc adoratis; et omnino similes istis redditmini. Idcirco sunt vobis odio Christiani, quoniam hos esse deos non arbitrantur. Atqui vos qui esse deos nunc existimatis, annon multo magis quam illi contemptui habetis? annon multo magis quam illi, irridetis et injuria afficitis? dum lapideos quidem et testaceos veneramini, custodi-

bus carentes, argenteos autem et aureos includitis noctu ac interdiu custodes apponitis, ne furto auferantur. Et vero illis honoribus quibus vos prosequi eos existimatis, pœnis supplicio afficitis, si quidem sensu præditi sunt : sin expertes sunt sensus (hujus rei), convincentes, sanguine et ni-ribus eos colitis. Quis vestrum hæc sufferat? quis hæc ei fieri patiatur? sed nullus quidem hominum hoc supplicia nisi invitus, patietur; sensu enim et ratione est præditus at lapis patitur; sensu enim caret. Quamobrem illos sensu expertes esse convincitis. Ac de eo quod Christiani diis hujusmodi in servitutem addicti non sunt, multa quidem et alia habeam quæ dicam : si cui tamen vel hæc ipsa sufficere non videantur, supervacaneum arbitror et plura dicere.

III. Deinceps autem de eo quod non est illis idem cultus divinus qui Judæis, te maxime cupidum esse audiendi puto. Judæi igitur, quamvis abstineant eo de quo verba feci cultu et Deum unum venerari, dominumque omnium existimare velint; si tamen eodem quo ii de quibus dictum est modo, cultu illo eum prosequuntur, in errore versantur. Nam quæ Græci sensus expertibus et surdis offerentes, dementiæ dant argumentum, hi dum se Deo præbere ea cogitant, tanquam ea indigenti, stultitiam potius quam cultum divinum mereri existiment (id quod faciunt). Qui enim cœlum et terram atque omnia quæ in iis sunt condidit, et nobis omnibus ea suppeditat quibus indigemus, fieri non possit ut ullo eorum indigeat quæ ipse iis præbet qui se illi dare existimant. Alii qui per sanguinem et nidorem et holocausta facere se illi sacrificia putant, atque his eum honoribus ornare, mihi videntur, dum putant se aliqua præbere ei qui nullius rei indiguus est, nihil differre ab iis qui sensu carentia eodem honore studiose prosequuntur, quæ percipere honorem hujus non possunt.

IV. At eorum circa cibos meticulosam cautionem, et su-

perstitionem circa sabbata, et jactantiam de circumcisione, et quæ de jejunio ac noviluniis simulant, quæ ridicula sunt et relatu indigna, te a me discere necesse habere non arbitror. Nam eorum quæ a Deo in usum hominum creata sunt, alia quidem tanquam recte creata admittere, alia vero ut inutilia et supervacanea recusare, quomodo fas est? De Deo autem hoc mentiri, eum vetare aliquid quod honestum sit facere die sabbati, quomodo impium non sit? Jam vero et de carnis imminutione, tanquam electionis testimonium sit, gloriari, et tanquam eam ob rem Deus eximio illos amore prosequatur, quomodo subsannatione non sit dignum? Quinetiam eos, (tanquam) assidentes astris et lunæ, observationi mensium et dierum deditos esse, et Dei œconomias ac tempestatum mutationes ad ea accommodare ad quæ mentes suæ propensæ sint, alias quidem ad festos dies, alias vero ad luctus; quis divini cultus et non dementiæ multo magis indicium existimabit? Communi igitur vanitate et impostura, et *Judæorum* curiositate atque jactantia, jure Christianos abstinere, te abunde didicisse existimo. Sed divini cultus illis proprii mysterium ne te ab homine ullo doceri posse speres.

V. Christiani enim neque regione, neque sermone, neque politicis vitæ institutis a cæteris hominibus sunt distincti. Nam neque proprias civitates incolunt, neque sermone utuntur qui ab aliorum sermone differat, neque vitæ genus habent quod re aliqua sibi peculiari sit notabile; neque aliquid a curiosis hominibus excogitatum proponunt *sibi discendum*; neque alicui dogmati humano patrocinantur, sicut nonnulli : sed incolentes partim Græcas, partim barbaras civitates, prout cujusque sors tulit, et indigenarum instituta sequentes in vestitu victuque et cæteris quæ ad vitam pertinent, mirabilem et haud dubie incredibilem suæ politiæ statum oculis nostris proponunt. Patrias pro-

prias habitant, sed tanquam inquilini. Omnia cum aliis communia habent, tanquam cives; et omnia patiuntur, tanquam peregrini. Omnis peregrina regio, patria est eorum: et omnis patria, est peregrina. Uxores ducunt, ut omnes, et liberos procreant; sed non abjiciunt fœtus. Mensam communem apponunt; minime vero cubile. In carne sunt; sed non secundum carnem vivunt. In terra degunt; sed in cœlo politiam suam habent. Obsequuntur legibus quæ sancitæ sunt, et suo vitæ genere leges superant. Amant omnes, et omnes illos persequuntur. Ignorantur, et condemnantur: morte afficiuntur, et vivificantur. Mendici sunt, et multos ditant. Rebus omnibus indigent, et omnia illis redundant. Dedecorantur, et inter dedecora gloria afficiuntur. Eorum fama laceratur, et justitiæ eorum testimonium perhibetur. Maledictis ac conviciis incessuntur, et bonis verbis prosequuntur. Injuria afficiuntur, et honore prosequuntur. Quum se gerant ut probos decet, tanquam improbi puniuntur: dum puniuntur, gaudent tanquam vivificentur. Adversus eos, tanquam alienigenas, Judæi bellum gerunt, et Græci eos persequuntur: et osores eorum causam inimicitiarum dicere nequeunt.

VI. Atque ut semel omnia complectar, quod est in corpore anima, hoc sunt in mundo Christiani. Dispersa est per omnia corporis membra anima; et Christiani per mundi civitates (dispersi sunt). Habitat quidem in corpore anima, sed non est e corpore: (*sic*) et Christiani in mundo habitant, sed e mundo non sunt. Invisibilis anima in visibili corpore, tanquam in præsidio, constituta est: (sic) et Christiani cognoscuntur, dum in mundo commorantur; sed invisibilis est eorum cultus divinus. Odio prosequitur animam caro, et bellum ei movet nulla affecta injuria, quod voluptatibus frui prohibeatur: odio prosequitur et mundus Christianos, nulla affectus injuria, quoniam voluptatibus repu-

gnant. Anima carnem amat, quæ ipsam odit, et (amat) membra : (sic) etiam Christiani amant osores. Inclusa quidem est anima corpore, sed ipsa corpus conservat : (sic) et Christiani detinentur quidem in mundo, tanquam in custodia, sed ipsi mundum conservant. Immortalis anima in mortali tabernaculo habitat : et Christiani illa quæ corruptioni sunt obnoxia tanquam inquilini incolunt, incorruptibilitatem cœlestem exspectantes. Anima, dum cibo et potu male tractatur, fit melior : et dum Christiani suppliciis afficiuntur quotidie, numerus eorum crescit. Deus illos tam insignem tenere locum voluit, quem illis nefas est defugere.

VII. Non enim terrenum, ut dixi, inventum, hoc illis traditum est; neque mortalis est commentatio, quam adeo accurate custodiendam sibi censent; neque humanorum mysteriorum œconomia illis commissa est : sed ipse vere Deus, qui est omnipotens, et omnium conditor, ac invisibilis, e cœlis Veritatem et Verbum sanctum ac incomprehensibile inter homines locavit, et in cordibus eorum firmam habere sedem voluit; non, quemadmodum aliquis conjicere possit, misso hominibus ministro aliquo, aut angelo, aut principe, aut aliquo eorum qui terrena gubernant, aut quopiam eorum quibus commissa est rerum in cœlis administrandarum cura, sed ipso Opifice et creatore omnium, quo cœlos condidit, quo mare suis terminis conclusit, cujus mysteria fideliter ab omnibus elementis observantur, a quo certa spatia diurnorum cursuum (sol) observanda accepit; cui paret luna, jubenti eam lucere nocti; cui astra obtemperant, lunæ cursum sequentia ; a quo omnia disposita sunt, et suis limitibus circumscripta; et cui sunt supposita cœli et quæ in cœlis sunt, terra et quæ in terra sunt, mare et quæ in mari, ignis, aer, abyssus, quæ in altitudinibus, quæ in profunditatibus, quæ in medio (locata sunt). Hunc ad eos misit : an, ut aliquis hominum cogitare possit, ty-

rannidis exercendæ et terrorem incutiendi causa? Minime vero : sed in clementia, in lenitate, tanquam rex mittens filium regem, misit; tanquam Deum misit, tanquam ad homines misit, tanquam servans misit : tanquam cum obsequentibus agens, non tanquam violentiam adhibens, violentia enim Deo non inest. Misit ut vocans, non persequens : misit ut amans : mittet enim eum condemnaturum; et quis ejus adventum sustinebit? . . . .
Non vides objectos feris, ut abnegent Dominum, et non vinci? Non vides, quo plures qui suppliciis afficiunt, tanto majorem aliorum esse numerum? Hæc non videntur ab homine fieri; hæc sunt Dei potentia : hæc adventus ejus sunt indicia.

VIII. Nam quis ex omnibus hominibus norat quid esset Deus, priusquam ipse venisset? An vana et nugacia dicta illorum fide scilicet dignorum philosophorum approbas? Quorum aliqui ignem esse Deum dixerunt (id ad quod profecturi sunt ipsi, Deum vocantes), alii aquam, alii aliud ex elementis quæ a Deo sunt creata. Atqui si horum dictorum aliquod approbatione dignum est, possint et cæterarum rerum quæ sunt creatæ, unamquamque similiter pronuntiare Deum esse. Verum hi sermones sunt prodigiosa mendacia et imposturæ præstigiatorum : ac hominum quisquam neque vidit ipsum, neque aliquam ipsius notitiam habuit : sed ipse seipsum ostendit. Ostendit autem per fidem, cui soli Deum videre concessum est : nam dominus et opifex omnium Deus, qui omnia fecit, et suo quæque ordine disposuit, non solum hominum amator, sed patiens etiam fuit. Sed hic fuit quidem semper talis, estque, et erit, benignus et bonus, et iræ expers, ac verax, et solus bonus : concepit autem mente aliquid magnum et ineffabile, de quo cum solo Filio communicavit. Quamdiu igitur suum prudens consilium in mysterio retinebat, neglectui nos habere,

nullamque nostri curam gerere videbatur : at postquam per dilectum Filium revelavit et patefecit quæ jam inde ab initio erant præparata, omnia simul præbuit nobis, et frui suis beneficiis, et videre. Quæ quisnam nostrum exspectavisset? Omnia igitur apud se sciebat una cum Filio, œconomica sua scientia.

IX. Cæterum usque ad superius tempus sivit nos pro libito incertis motibus agitari, dum a voluptatibus et cupiditatibus transversi raperemur : non quidem quod ullo modo peccatis nostris gauderet, sed ea tolerans; neque illud quo injustitia exercebatur tempus approbans, sed mentem justitiæ creans : ut quum eo tempore convicti essemus e propriis operibus, vita esse indigni, nunc Dei benignitas nos ea dignaretur; et quum manifestum fecissemus, non posse ex eo quod in nobis situm est in regnum Dei ingredi, per potentiam Dei nobis id posse daretur. Quum autem ad cumulum malitia nostra pervenisset, et plene manifestum factum foret, mercedem peccati esse supplicium, et mors exspectaretur, advenissetque tempus a Deo præstitutum ad suam deinceps benignitatem ac potentiam declarandam, et quomodo præ immenso quo homines prosequitur amore, nos odio non habuerit, neque rejecerit, neque improbitatis nostræ memorem se ostenderit, sed patienter eam tulerit ac sustinuerit; ipse peccata nostra suscepit : proprium ipse Filium pretium redemptionis pro nobis dedit, sanctum pro iis qui legem transgressi erant; nihil minus quam malum, pro malis; justum pro injustis, corruptionis nescium pro *obnoxiis* corruptioni, immortalem pro mortalibus. Quid enim aliud peccata nostra potuit tegere quam ejus justitia? in quo alio nos iniqui et impii justificari possumus, quam in solo Dei Filio? O dulcem permutationem! o impervestigabile artificium! o beneficia exspectationem omnem superantia! ut iniquitas quidem multorum in justo uno abscondatur,

justitia autem unius faciat ut multi injusti justificentur. Quum igitur superiori tempore (hujus) nos (rei) convicisset, non posse nostram naturam vitam consequi, nunc autem Servatorem ostendisset, qui servare posset ea etiam quæ servari non poterant; utrimque nos benignitati suæ fidem habere voluit, ipsum existimare altorem, parentem, magistrum, consiliarium, medicum, mentem, lucem, honorem, gloriam, robur, vitam; de vestitu et victu sollicitos non esse.

X. Hujus etiam tu fidei si desiderio tenearis, et Eam accipias, primum quidem cognosces Patrem. Deus enim homines dilexit, propter quos mundum creavit, quibus omnia subjecit quæ in mundo sunt; quibus rationem, quibus mentem dedit; quibus solis ad ipsum oculos attollere permisit; quos ad imaginem suam formavit; ad quos Filium suum unigenitum misit; quibus cœleste regnum promisit et dabit, quod ipsum dilexerint. Postquam autem illum cognoveris, quanta te impletum iri lætitia existimas? aut quantum diliges eum qui prior te ita dilexerit? Quum autem diligere cœperis, imitator benignitatis ejus eris. Ac ne mireris, posse hominem esse imitatorem Dei. Potest, eo volente. Non enim imperium in proximos obtinere, neque velle potiore conditione esse quam ii qui sunt infirmiores, neque divitem esse, et vim inferre inferioribus, est beatum esse; neque in his Deum imitari quisquam potest, sed hæc extra ejus majestatem sunt. At qui proximi onus in se recipit, qui qua in re superior est, alium qui est inferior, beneficio vult afficere; qui quæcumque habet, a Deo accepta ea indiguis suppeditans, Deus fit eorum qui accipiunt: is Dei est imitator. Tunc perspicies, in terra degens, Deum in cœlis mundum, velut aliquam rempublicam, gubernare: tunc mysteria Dei loqui incipies: tunc eos qui puniuntur quod abnegare Deum nolint, et diliges et miraberis: tunc

imposturam mundi et errorem damnabis, cum vere in cœlo vivere didiceris, cum ejus quæ hic mors esse censetur, contemptor esse, et mortem, quæ revera est mors, formidare cœperis, quæ servatur iis qui ad ignem æternum damnabuntur, qui sibi traditos afficiet supplicio ad finem usque. Tunc admirationi tibi erunt qui pro justitia ignem patiuntur; tunc beatos prædicabis, cum ignem illum cognoveris.

XI. Non facio verba de rebus peregrinis, neque secus quam rationi consentaneum sit, quæro : sed quum Apostolorum *fuerim* discipulus, fio gentium doctor : quæ tradita sunt (mihi) subministro iis qui discipuli fiunt digni veritate. Quis enim recte edoctus, non studet discere aperte quæ per Sermonem clare ostensa sunt discipulis, quibus declaravit Sermo conspicuus factus; libere loquens, quum ab incredulis non intelligeretur, sed discipulis enarraret : qui fideles ab eo existimati, cognoverunt Patris mysteria. Cujus rei gratia Sermonem misit, ut a mundo conspiceretur : qui a populo contemptus, Apostolorum præconio promulgatus, a gentibus est creditus. Hic qui ab initio erat, qui novus apparuit, etc. inventus, et semper novus in sanctorum cordibus nascens. Hic qui semper, hodie Filius habitus, per quem Ecclesia ditatur : et gratia expansa, in sanctis incrementum accipit, præbens mentem, patefaciens mysteria, annuntians tempora, gaudens super fidelibus, quærentibus donans : quibus limites fidei non perfringuntur, neque limites patrum transiliuntur. Deinde metus Legis decantatur, et Prophetarum gratia cognoscitur, et Evangeliorum fides stabilitur, et Apostolorum traditio custoditur, et Ecclesiæ gratia exsultat. Quam gratiam molestia non afficiens, cognosces ea de quibus Sermo instruit, per quos vult quum ei libet. Quæcumque enim voluntate jubentis Sermonis excitati sumus ad eloquendum, cum labore, ex

dilectione, eorum quæ revelata sunt nobis sumus vobiscum participes.

XII. Quæ quum legeritis et audieritis studiose, scietis quæcumque prebet Deus diligentibus recte : facti paradiso deliciarum, lignum genus omne fructus ferens, belle germinans, in vobis ipsis producentes, variis fructibus ornati. In hoc enim loco lignum cognitionis et lignum vitæ plantatum fuit. Verum non quod est cognitionis, id est quod e medio tollit; sed inobedientia e medio tollit. Neque enim ea sunt obscura quæ scripta sunt, Deum ab initio lignum vitæ in medio paradisi plantasse, per cognitionem vitam ostendentem, qua quum pure usi non essent qui ab initio fuerunt, impostura Serpentis nudati fuerunt. Neque enim vita sine cognitione, neque cognitio tuta sine vita vera. Ideo in propinquo utrumque plantatum fuit. Quam facultatem quum perspexisset Apostolus, reprehendens cognitionem quæ sine veritate mandati in vitam exercetur, dicit : « Cognitio inflat, » dilectio autem ædificat[1]. » Qui enim putat se scire aliquid, sine cognitione vera, et cui testimonium perhibetur a vita, non cognoscit, a Serpente decipitur, quia vitam non dilexit. At qui cum timore cognitionem est adeptus, et vitam quærit, in spe plantat, fructum exspectans. Esto tibi cor, cognitio; vita autem, sermo verus qui recipitur. Cujus lignum ferens, et fructum, percipies semper quæ apud Deum desiderantur, quæ Serpens non attingit, neque impostura se ei applicat : neque Eva corrumpitur, sed virgo creditur : et Salutare ostenditur, et Apostoli intelligentia instruuntur, et Domini pascha progreditur, et chori congregantur, et decenter ordinantur : ac docens sanctos Sermo lætatur, per quem Pater glorificatur. Cui gloria in sæcula. Amen.

[1] 1 Cor. VIII, 1.

ACTA

MARTYRUM LUGDUNENSIUM.

ADMONITIO.

INTER primævæ Ecclesiæ scripta eminent Acta Martyrum Lugdunensium. Nec omittendum curavimus, quanquam incerto auctore, tam pretiosum ecclesiæ Gallicanæ monumentum. Venerandam hanc Epistolam Eusebius Cæsariensis libro v Historiæ suæ Ecclesiasticæ inseruit. Nos vero eam ex Valesiana Eusebii versione proferimus, aliquando nonnulla ipsius Eusebii verba intermixta relinquentes quæ ad Epistolæ sensum capiendum necessaria judicavimus.

EPISTOLA

ECCLESIARUM VIENNENSIS ET LUGDUNENSIS

E MARTYRIO S. POTHINI EPISCOPI,

ET ALIORUM PLURIMORUM,

EX EUSEBII HIST. ECCLES. LIB. V, CAP. 1 ET SEQQ. EDITIONIS VALESIANÆ.

I. Servi Christi, qui apud Viennam et Lugdunum Gal-
e degunt, fratribus per Asiam et Phrygiam constitutis,
ui eamdem nobiscum fidem et spem habent redemptionis,
ax et gratia et gloria a Deo Patre, et Christo Jesu Do-
ino nostro. (*Post hæc deinde quædam alia præfati, nar-
ztionem ipsam ordiuntur his verbis.*) Et gravitatem qui-
em ipsam ærumnarum, et gentilium adversus sanctos
ırorem ac rabiem, quæque et quanta beati Martyres per-
essi sunt, nec nos exprimere dicendo, nec quisquam scri-
endo complecti accurate possit. Omni siquidem virium
npetu in nos irruit adversarius, adventus sui, in quo cum
mni licentia grassaturus est, jam tum nobis initia ac pri-
ıordia exhibens. Nihil quippe intentatum reliquit, dum mi-
ıistros suos assuefacit, et quibusdam quasi proludiis exercet
ıdversus servos Dei. Adeo ut non solum ab ædibus, a bal-
ıeis, a foro arceremur; verum etiam interdictum fuerit ne
[uis nostrum quocumque demum in loco appareret.

II. Sed gratia Dei pro nobis adversus diabolum depugna-
it: et infirmiores quidem servavit, viros autem illi opposuit
olumnarum instar firmos ac stabiles qui fortitudine sua uni-

versum dæmonis impetum in semetipsos pertrahere v
rent. Hi ergo cominus congressi, omne genus oppr
sustinuerunt; et quæ alii diuturna et gravia existimant,
levia ducentes, ad Christum ire properabant; exemplo
ostendentes, non esse dignas passiones hujus sæculi
conferantur cum gloria quæ in nobis revelanda est. Ac p
mum quidem quæcumque a populo universo acervatim a
gerebantur, constantissime tolerarunt : acclamationes
licet, plagas, raptationes, spoliationes bonorum, lapidu
jactus, carceres, cuncta denique quæ vulgus furore et r
concitatum adversus hostes et inimicos comminisci sol
Perducti deinde in forum a tribuno militum et a magistr
bus civitatis, coram universo populo interrogati confe
que, usque ad præsidis adventum conjecti sunt in carcer

III. Post hæc cum ad præsidem deducti essent, atque
omni genere sævitiæ ferretur adversus nostros, Vettius Ep
gathus, unus ex fratrum numero, immensa quadam chari
tis copia erga Deum simul et proximum exuberans, qui adeo
districtam ac severam vivendi rationem instituerat, ut quam
vis adhuc juvenis, Zachariæ tamen senioris elogio æquare
tur : (Incesserat quippe in omnibus mandatis et justifica
tionibus Domini sine querela : ad omne genus obsequii
ministerii proximo exhibendum promptissimus, zelo Dei
fervore spiritus plenus.) hic, inquam, cum esset hujusmodi
adeo injustum adversus nos judicium pati non potuit: s
indignatione commotus postulavit, ut sibi quoque licere
pro fratribus causam dicere, palamque ostendere, nihil apud
nos impium aut irreligiosum reperiri. Verum cum illi q
circum tribunal adstabant, adversus eum inclamassent
(erat quippe inter suos clarus), et præses ipse petitionem
alioqui justissimam ægre ferret, idque unum ex eo quære
ret, essetne Christianus : ille Christianum se esse clarissim
voce professus, in martyrum numerum relatus est, advoc

tus quidem Christianorum judicis elogio appellatus; habens autem in se ipso advocatum Spiritum sanctum multo abundantius quam Zacharias. Quem quidem charitatis exuberantia declaravit; quippe qui sustinuerit pro fratrum defensione morti semet objicere. Fuit enim et est germanus Christi discipulus, sequens Agnum quocumque ierit.

IV. Exinde etiam reliqui dignosci ac distingui cœpere. Et prompti quidem ac parati erant protomartyres, qui summa animorum alacritate solemnem illam Martyrum confessionem ediderunt. Qui vero imparati et inexercitati, nec firmis adhuc erant viribus ad impetum tanti certaminis sustinendum, tunc manifeste patuerunt. Ex quibus decem circiter collapsi, maximum nobis dolorem et incredibilem luctum attulerunt; et aliorum alacritatem fregerunt qui nondum comprehensi, licet gravissima paterentur incommoda, tamen Martyribus præsto aderant, nec ab eorum conspectu discedebant. Omnes tunc temporis gravissimo metu perculsi hærebamus ob incertum confessionis eventum: non quod tormenta, quæ inferebantur, magnopere timeremus; sed quoniam exitum rei animo prospicientes, ne quis corrueret verebamur. Comprehendebantur quotidie qui digni erant ut numerum illorum supplerent: adeo ut ex utraque Ecclesia præstantissimi quique, et quorum maxime labore atque industria res hic constitutæ fuerant, simul omnes tenerentur. Capti sunt etiam quidam nostrorum servi, qui gentiles erant; quandoquidem præses nos omnes requiri palam jusserat. Qui dæmonis impulsu, cum tormenta reformidarent quæ sanctos perpeti videbant, militibus ad hoc ipsum eos incitantibus, Thyesteas quasdam cœnas et incestos Œdipi concubitus, et alia quæ nec proloqui nobis nec cogitare fas est, ac ne credere quidem sustinemus apud homines unquam gesta fuisse, adversus nos ementiti sunt. His in vulgus sparsis, omnes continuo

rem injiceret reliquis : non modo nihil ejusmodi illi contigit, sed, præter omnium opinionem, corpus ejus sub relevatum erectumque constitit in tormentis posterioribus et pristinam speciem, usumque membrorum recuperavit; prorsus ut secunda illa excarnificatio, divina opitulante gratia, medelam potius quam pœnam ei attulisse videretur.

VII. Sed et Bibliadem quamdam ex eorum numero qui Christi fidem abnegaverant, cum jam diabolus a se absorptam crederet, velletque insuper damnationem illius cumulare blasphemia, ad supplicium duxit adigens eam, utpote fragilem jam et ignavam, impia de nobis proloqui. Verum illa resipuit inter cruciatus, ac veluti ex altissimo somno excitata est, præsente supplicio de æternæ gehennæ cruciatibus ipsam submonente. Et contradicens impiis : « Qui » fieri posset, inquit, ut infantes comederent, quibus » sanguinem quidem animantium degustare licet? » ab Christianam se esse confessa, in consortium Martyrum relata est.

VIII. Porro cum universa tyrannorum tormenta per Martyrum constantiam a Christo essent hebetata ac retusa, alias machinas diabolus excogitavit : ut scilicet in obscurissimum ac molestissimum carceris locum conjicerentur, utque pedes in nervo ad quintum usque foramen distensos haberent, ac reliqua hujusmodi cruciatuum genera perferrent quibus ministri, utpote infensi et a dæmone incitati, vexare inclusos consueverunt : adeo ut eorum numero quam plurimi in carcere suffocati interierint, quos scilicet Deus, qui suam in omnibus gloriam ostendit, hoc mortis genere defungi voluerat. Alii siquidem qui acerbissime cruciati fuerant, ita ut ne vivere quidem diutius posse crederentur, quamvis omni curationis genere refocillati fuissent, permanserunt in custodia, homin

quidem auxilio destituti, verum roborati a Deo, et tam animi quam corporis vigore firmati : qui quidem accendebant cæteros, et consolabantur. Alii vero novelli, qui recens comprehensi fuerunt, quorum corpora cruciatibus perferendis nondum assueverant, cum gravitatem carceris pati non possent, in ipsa custodia exspirarunt.

IX. Beatissimus autem Pothinus, qui episcopatum Lugdunensis ecclesiæ administrabat, nonagenario major, et corpore admodum infirmo ob præsentem quidem corporis imbecillitatem ægre spiritum trahens, cæterum præ cupiditate imminentis martyrii mirabili alacritate animi firmatus, etiam ipse ad tribunal ferebatur : corpore quidem partim ob senectutem, partim vi morbi penitus exhausto ac soluto; animam vero adhuc retinens, ut per eam Christus triumpharet. Perlatus igitur a militibus ad tribunal, prosequentibus ipsum magistratibus civitatis, et universa plebe variis eum acclamationibus impetente, tanquam ipse Christus esset, egregium edidit testimonium. Interrogatus vero a præside, quisnam esset Christianorum Deus, respondit : *Si dignus fueris, cognosces.* Post hæc absque ullo humanitatis respectu raptatus, atque innumeris plagis affectus est : cum ii quidem qui propius adstabant, calcibus et pugnis illum contumeliose appeterent, nec ullam ejus ætati reverentiam exhiberent; qui vero longius distabant, quidquid ad manum erat in ipsum conjicerent; omnes denique gravissimi delicti ac piaculi reos se existimarent, nisi pro sua quisque parte ei petulanter insultare studuissent. Quippe hoc modo injuriam deorum suorum ulturos se arbitrabantur. Exinde vix adhuc spirans in carcerem projectus est, tandemque post biduum animam exhalavit.

X. Hic vero singularis quædam Dei dispensatio, et immensa Jesu Christi misericordia apparuit : raro quidem inter fratres exemplo, sed a dexteritate ingenioque Jesu

Christi minime alieno. Omnes siquidem qui a prima statim comprehensione fidem negaverunt, ipsi quoque in carcerem conjecti, eadem quæ cæteri martyres perferebant; neque enim illis quidquam tunc profuit fidei suæ negatio. Vero illi quidem qui sese, id quod revera erant, esse profitebantur, tanquam Christiani conjiciebantur in vincula, nullo alio crimine ipsis objecto. Hi vero, perinde ac homicidæ et scelerati homines, deinceps detinebantur, duplo graviorem quam reliqui supplicium perferentes. Illos enim gaudium martyrii, spesque promissæ beatitudinis, et charitas erga Christum, et Dei Patris Spiritus recreabat: hos vero graviter torquebat conscientia; ita ut dum traducerentur, ipso vultu atque aspectu facile discernerentur a cæteris. Quippe illi quidem hilares accedebant, majestatem quamdam venustati intermixtam vultibus præferentes, adeo ut vincula præcipuum ipsis ornatum addidisse viderentur, instar sponsæ fimbriis aureis variegatis ornatæ: ad hæc suavem Christi odorem spirantes, ita ut nonnulli terreno eos unguento delibutos putarent. Hi vero demisso vultu, abjecti et squalidi ac sordidi, omnique deformitatis genere cooperti, ab ipsis quin etiam gentilibus probro affecti, utpote ignavi atque imbelles, qui homicidarum quidem sibi ipsis crimen imposuissent, Christianorum autem venerandum et gloriosum ac salutare nomen amisissent. Quæ cum cæteri viderent, magnopere confirmabantur, et si quem postea comprehendi contigerat, is statim absque ulla cunctatione confitebatur, ne cogitatione quidem tenus consilium ac suggestionem dæmonis admittens.

XI. *Paucis deinde interjectis, iterum hæc subjiciunt.* His ita gestis, *inquiunt,* deinceps ipsorum martyria in varias mortis species divisa sunt. Ex omni quippe florum genere diversisque coloribus unicam texentes coronam, beatissimi Martyres Deo Patri obtulerunt. Æquum sane erat ut fortissimi

thletæ, qui multiplex certamen subierant, atque insignem ictoriam retulerant, insignem immortalitatis coronam ac-iperent. Maturus igitur et Sanctus cum Blandina et Attalo ucti sunt ad bestias in amphitheatrum, ad publicum specaculum inhumanitatis gentilium : præbito de industria aunerum die propter nostros. Et Maturus quidem ac Sancus rursus omnia tormentorum genera in amphitheatro suberunt, quasi nihil antea perpessi essent; aut potius quasi thletæ, qui multis jam vicibus adversarium superassent, et le corona ipsa jam decertarent, rursus consueta illic flaorum verbera pertulerunt, et bestiarum ipsos trahentium aorsus, et quæcumque alia vulgus insanum pro suo quisue arbitrio variis acclamationibus imperabat; ipsam posremo ferream cathedram, cui superposita Martyrum memora cum torrerentur, illorum nares molestissimus nidor mplebat. Verum illi ne sic quidem finem sæviendi fece-unt; sed contra eos vehementius accendebatur eorum fuor, cum expugnare Martyrum constantiam contenderent. Nullam tamen ab ipso Sancto vocem elicere potuerunt, ræter illam quam ab initio proferre consueverat confesionis suæ vocem. Hi ergo maximo certamine perfuncti, um vitalem spiritum diu protraxissent, tandem jugulati unt : eo die spectaculum facti mundo, loco multiplicis llius varietatis quæ in gladiatorum spectaculis cernitur. Blandina vero ad palum suspensa, bestiis objecta est; quæ cum in crucis speciem suspensa cerneretur, Deoque contentissime supplicaret, maximam alacritatem addebat certantibus : quippe qui in ipso certamine, sub sororis persona, corporeis oculis cernerent illum qui pro ipsorum salute crucifixus ideo fuerat, ut credentibus in ipsum persuaderet, quicumque pro Christi gloria pateretur, hunc Dei viventis consortem futurum. Cumque nulla tunc bestia corpus illius attigisset, deposita ex stipite, rursus in carcerem

conjicitur, in aliud certamen reservata : ut pluribus prolusionibus adversario superato, tortuosi quidem Serpenti condemnationem certam atque inevitabilem redderet, fratres vero exemplo suo accenderet; quippe quæ, tametsi pusilla infirmaque et contempta, Christi tamen, magni illius invictique athletæ, robore induta, et adversarium multis vicibus superasset, et glorioso certamine coronam immortalitatis reportasset. Attalus quoque vehementer a populo postulatus ad supplicium, utpote vir valde celebris, paratus ad certamen accessit, fretus conscientia recte factorum; quippe in Christianorum disciplina solide exercitatus, testisque apud nos veritatis semper exstiterat. Cumque per amphitheatrum circumduceretur, præcedente ipsum tabella in qua Latino sermone inscriptum est : HIC EST ATTALUS CHRISTIANUS, populo adversus illum vehementius incitato, præses postquam civem Romanum eum esse comperit, reduci in custodiam cum cæteris jubet. Inde litteris ad Cæsarem datis, de his omnibus qui inclusi tenebantur sententiam ejus exspectabat.

XII. Enimvero hujus temporis mora nequaquam inutilis neque infructuosa illis fuit : sed per ipsorum tolerantiam immensa Christi misericordia tandem illuxit. Quippe mortua jam Ecclesiæ membra, viventium ope atque auxilio ad vitam revocata sunt; et Martyres gratificati sunt iis qui fidem negaverant; ingentique gaudio mater eademque virgo Ecclesia cumulata est, cum eos quos tanquam exstinctos abortu ejecerat, vivos jam ac spirantes recuperaret. Etenim per illos sanctissimos Martyres, hi qui fidem negaverant, rursus in utero delineabantur, rursus concipiebantur, et vitali calore reparato rursus fidem confiteri discebant; cumque jam ad vitam revocati, roboratique essent, Deo, qui non vult mortem peccatoris, sed pro sua benignitate ad pœnitentiam potius invitat, mitiorem eis succum infundente,

d tribunal accessere, quo iterum a præside interrogarenır. Quippe rescriptum fuerat a Cæsare, ut confitentes quiem; gladio cæderentur hi vero qui negarent, dimitterentur ıcolumes. Ineunte igitur solemni apud nos mercatu, qui naxima hominum frequentia celebratur, utpote ex omnibus opulis ac provinciis eo conveniente virorum multitudine, ræses beatissimos Martyres ad tribunal adduci jussit tanuam in theatrali pompa eos populo ostentans. Cumque llos denuo interrogasset, quicumque cives Romani reperti unt, capite truncati, reliqui traditi sunt bestiis.

XIII. Cæterum ingens gloria accessit Christo per eos qui rius quidem negaverant, tunc vero confitebantur fidem Christi præter spem atque exspectationem gentilium. Hi siuidem seorsum interrogati sunt quasi mox absolvendi, qui um se Christianos confessi essent, reliquorum Martyrum umero adscripti sunt. Foras autem manserunt ii quorum nimis nec vestigium ullum fidei, nec reverentia vestis nupialis, nec sensus timoris Dei impressus unquam insederat; ilii scilicet perditionis, qui sua ipsorum conversatione reigionem quam profitebantur infamaverant. Verum cæteri mnes aggregati sunt Ecclesiæ; de quibus cum quæstio haberetur, Alexander quidam natione Phryx, professione melicus, qui plures jam annos moratus fuerat in Galliis, vir mnibus notissimus ob amorem Dei et eximiam in prædianda fide libertatem (quippe Apostolicæ gratiæ minime expers erat), tribunali adsistens, cum illos ad fidei confesionem nutibus hortaretur, cunctis qui tribunal circumdabant, tanquam parturiens videbatur. At vulgus moleste ferens, quod qui antea fidem negaverant eamdem de integro confiterentur, adversus Alexandrum tanquam hujus facinoris auctorem conclamare cœpit. Instans illico præses, interrogavit hominem, quisnam esset. Qui cum *Christia-*

num se esse dixisset, iratus judex eum ad bestias damnavit. Postridie igitur una cum Attalo ingressus est, nam et hunc præses, gratificari populo studens, bestiis rursum tradide-rat. Ambo itaque cum omnia tormentorum genera qu adversus ipsos excogitata fuerant, in amphitheatro per-currissent, maximoque certamine perfuncti essent, tand gladio percussi sunt. Et Alexander quidem nec ingem unquam, nec vocem ullam protulit; sed interius mente se collecta colloquebatur cum Deo. Attalus vero cum ferrea cathedra collocatus undique torreretur, et ambust corpus nidorem gravissimum exhalaret, Latino serm populum allocutus : « En, inquit, hoc demum est homi- » vorare quod agitis. Nos vero neque homines voram- » neque omnino quidquam mali facimus. » Interroga etiam quod nomen Dei esset : « Deus, inquit, nomen n » habet perinde ac nos mortales. »

XIV. Post hos omnes, ultimo tandem spectaculorum d Blandina rursus illata est una cum Pontico adolescente quindecim circiter annos nato. Qui etiam quotidie ante introducti fuerant, ut reliquorum cruciatus intuerentur: adactique per simulacra gentilium jurare, cum in propo-sito constantes permanerent, deosque illorum nihili fac-rent, tantus in eos exarsit multitudinis furor, ut nec ætat pueri miserarentur, nec mulieris sexum ulla prosequerent reverentia. Cunctis igitur cruciatibus eos vexare, ac p omnia pœnarum genera circumagere cœperunt, jurare il subinde compellentes. Nunquam tamen id quod voleba perficere valuerunt. Nam Ponticus quidem sororis exh tationibus incitatus, ita ut gentiles quoque ipsam esse c nerent quæ puerum hortaretur et confirmaret, cuncta su plicia generoso perpessus, animam exhalavit. Beata v Blandina, omnium postrema, tanquam nobilis mater, q

filios ad fortiter certandum accenderat, et victores ad Regem præmiserat, eosdem certaminum cursus quos filii confecerant remetiens, ad eosdem ire properabat, de exitu suo læta atque exsultans, prorsus quasi ad nuptiale convivium invitata, non bestiis objecta esset. Denique post flagra, post ferarum vellicationes, post sartaginem, reticulo inclusa, tauro objecta est; a quo diu in altum jactata, nihil jam eorum quæ fiebant penitus sentiens, tum ob spem et comprehensionem eorum quæ credebat bonorum, tum ob familiarem congressum quem cum Christo in oratione habebat, tandem et ipsa victimæ instar jugulata est: ipsis etiam gentilibus ingenue fatentibus, nullam unquam apud se feminam exstitisse, quæ tot ac tanta pertulerit.

XV. Sed ne sic quidem furor illorum et immanitas adversus sanctos conquievit; quippe feræ et barbaræ gentes ab immani illa Bestia concitatæ, pacari facile non poterant: quin potius aliud quoddam initium sæviendi in Sanctorum corporibus protervia illorum invenit. Neque enim ex eo quod a Martyribus victi fuissent, pudore ac verecundia suffundebantur, quippe qui humano sensu ac ratione penitus essent destituti; sed contra præsidis simul ac populi, tanquam immanis belluæ, magis inde accendebatur furor: qui quidem nullo jure adversus nos æquali odio ferebantur, ut impleretur Scriptura, quæ dicit: « Iniquus adhuc inique » agat, et justus adhuc justificetur. » Eorum enim corpora qui in carcere suffocati perierant, canibus objecerunt: sollicite observantes noctu atque interdiu, ne quis nostrorum ea sepulturæ mandaret. Post hæc quidquid aut a bestiis aut ab igne reliquum fuerat, partim laniata, partim ambusta membra exponentes, reliquorum denique capita cum ipsis corporum truncis similiter insepulta per plurimos dies additis militum excubiis custodierunt. Et alii

quidem infremebant ac dentibus stridebant in mortuo-
adhuc exquisitiore quodam supplicio eos afficere cupien-
tes; alii vero irridebant insultabantque, simulacra sua la-
dibus extollentes, ac pœnas de Martyribus sumptas eis a
scribentes. Nonnulli paulo æquiores, et qui vicem nostr-
dolere quodammodo videbantur, exprobrabant identid-
hæc dicentes : Ubi est Deus eorum? et quid illis pro-
hæc religio, cui vitam quoque suam postposuerunt? i
gentilium quidem insectatio talem habuit varietatem. N-
vero gravissimo interim dolore premebamur, quod hum-
cadavera nobis non liceret. Nam neque noctis tenebræ n-
juvare, neque auri vis flectere, neque preces ullæ ani-
eorum commovere potuerunt : sed omni studio atque i-
dustria cadavera custodiebant, quasi ingens lucrum fa-
si sepultura caruissent. *Nonnullis deinde interjectis h-*
addunt.

XVI. Igitur Martyrum corpora postquam omni gen-
contumeliæ traducta, et sub dio per sex dies exposita j-
cuerunt, tandem cremata atque in cineres redacta, a præ-
terfluentis Rhodani alveum sparsa sunt ab impiis, ne ull-
deinceps eorum reliquiæ in terris superessent. Atque -
agebant prorsus, quasi Deo superiores esse et resurrecti-
nem illis adimere possent : ut, quemadmodum ipsi dic-
bant, ne spes quidem ulla resurgendi eis relinqueret.
qua freti, novam quamdam ac peregrinam nobis invehu-
religionem, et gravissima quæque tormenta contemnu-
promptique et alacres mortem subeunt. Videamus nu-
an sint resurrecturi, et utrum adesse ipsis Deus suus,
de manibus nostris ipsos eripere valeat.

Hæc supradicti Imperatoris temporibus Christi ecc-
siis contigerunt, ex quibus ea quæ in reliquis provinc-
gesta sunt conjectura assequi licet. Sed et alia quædam -

eadem epistola hic adjungere operæ pretium fuerit, quibus benignitas atque humanitas illorum, quos memoravimus Martyrum describitur his verbis.

XVII. Qui quidem Christum æmulari atque imitari tantopere studuerunt, qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, ut quamvis in tantum gloriæ culmen evecti essent, nec semel atque iterum, sed sæpius martyrium subiissent, et a bestiis denuo in carcerem relati essent; quamvis ignium impressa vestigia, quamvis vibices et vulnera toto corpore circumferrent; tamen nec seipsos martyres prædicarent nec a nobis ita se appellari paterentur. Verum si quis nostrum per litteras, aut in familiari colloquio, eos martyres compellasset, objurgabant graviter atque increpabant. Martyris enim appellationem libentissime concedebant Christo, utpote fido veroque testi, et primogenito mortuorum, vitæque cœlestis principi et auctori. Eos quoque qui jam ex hac vita migraverant martyres, nobis commemorabant, aiebantque : Hi jam sunt martyres, quos in ipsa confessione Christus assumi voluit, professionem ipsorum morte tanquam annulo obsignans; nos vero viles atque abjecti confessores. Simul profusis lacrymis obsecrabant fratres, ut continuæ ad Deum preces fierent, quo tandem ipsi perfectum finem adipisci mererentur. Ac reipsa quidem virtutem martyrum exhibebant, cum ingenti libertate ac fiducia gentilibus respondentes : et egregiam animi indolem, partim tolerantia, partim quod metus ac pavoris expertes essent, perspicue testabantur. Ipsam vero martyrum appellationem a fratribus sibi oblatam, utpote timore Dei constricti, refugiebant. *Et paulo post :* Deprimebant se, *inquiunt,* sub manu potenti, a qua nunc sublimius elevati sunt. Tunc vero omnium defensionem suscipiebant, neminem accusabant, cunctos absolve-

bant, neminem ligabant. Quinetiam pro illis a quibus acer-bissime cruciati fuerant, exemplo perfectissimi martyris Stephani, Deum precabantur : Domine, ne imputes illis hoc peccatum! Quod si ille pro lapidantibus orabat, quanto magis pro fratribus eum orasse credibile est? *Nec non post hæc addunt.* Hoc enim maximum certamen illis fuit adversus diabolum, ob sinceram ac minime fucatam charitatem : ut quos ille malignus Serpens vivos jam se devorasse crediderat, elisis faucibus revomere cogeretur. Neque enim fastu et arrogantia intumuerunt adversus lapsos; sed ea quibus abundabant bona, indigentibus liberaliter subministrabant, materna quædam misericordiæ viscera gestantes, magnamque vim lacrymarum pro illorum salute coram Deo Patre fundentes. Vitam petierunt, et largitus est eis Deus; quam etiam illi proximis suis communicarunt, ubique victores ad Deum profecti. Cumque pacem dilexissent, pacemque nobis commendassent, ipsi cum pace migraverunt ad Deum : non dolorem matri, non fratribus dissidium ac bellum, sed gaudium et pacem et concordiam charitatemque omnibus relinquentes.

Atque hæc de beatorum illorum affectu erga eos fratres qui lapsi fuerant, ad legentium utilitatem hic posita sint, propter eos qui inhumano quodam ac truci animo præditi, inclementer adversus Christi membra postmodum sævierunt. Porro in eadem Epistola quæ res supra memoratas complectitur, alia etiam habetur narratio prorsus memoria dignissima, quam quidem nihil vetat quominus hoc loco lectoribus proponamus. Sic autem habet.

XVIII. Alcibiades quidam, unus ex illorum Martyrum numero, durum et squalidum vivendi genus sectabatur, nullumque omnino cibum admittens, solo pane et aqua hactenus vesci consueverat. Cumque, in carcere positus

ımdem vivendi rationem vellet retinere, Attalo post priıum quod in amphitheatro confecerat certamen, revelatum ;t, non recte neque ordine facere Alcibiadem, qui et creaıris Dei minime uteretur, et aliis exemplum scandali fieret. 'aruit itaque Alcibiades, et cunctis deinceps cibis promisue uti cœpit, gratias agens Deo. Neque enim divina gratia os præsentia sua destituerat : sed consultorem habebant piritum sanctum.

EXPLICIT TOMUS PRIMUS.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO PRIMA, pag. 342.

Sed cum omnino demonstratum sit hunc esse Christum Dei quacumque ille sit.— Hæretici qui Remonstrantes dicuntur ex his rbis contendunt, sanctum Justinum hoc tantum a Judæis pere, ut credant Jesum esse Christum, et illis proponere exemum nonnullorum Christianorum qui, quamvis Jesum negarent eum, Christum tamen non negabant.

Verum hæc sententia a mente sancti Justini aliena nobis letur; nihil enim aliud intendit quam Tryphonem inconsntem constringere, ut assensum suum, iis quæ jam disputata erant, non revocaret; et ut iterum, Jesum non esse Christum, n contenderet.

ADNOTATIO SECUNDA, pag. 342.

Sunt enim quidam ex genere nostro. — Sanctus Justinus hæreos, *nostros* appellat, eos paganis et Judæis opponentes, qui *genere nostro* nunquam dicuntur. Ita Origenes, sanctus Grerius Nazianzenus, etc., etc.

ADNOTATIO TERTIA, pag. 391.

Et mille annos in urbe Jerusalem ædificata, et ornata et amplifia regnatorum novimus.—Inter errores qui sancto Justino meo tribuuntur, opinio Millenariorum, primum locum occupat. l observandum est, sanctum Justinum non eam proponere fidei articulum, ut ex ejus verbis apparet. Unde merito conıditur hanc opinionem particularem auctoritatem traditionis n evertere circa hanc sententiam ab Ecclesia reprobatam.

ADNOTATIO QUARTA, pag. 420.

Samuelis anima a Pythonissa evocata. — Cum crederet sanctus stinus animam Samuelis vere artis magicæ opera evocatam sse, inde colligebat animas justorum nondum ab omni maum virtutum dominatu ante incarnationem liberas fuisse; a vero eas pro arbitrio vexari, ut somniarunt quidam.

Ex hoc articulo arbitrarunt alii, sanctum Justinum credidisse mas justorum post mortem statim cœlum non ingredi. Ve-

rum notat P. Maran: Licet sanctus Justinus plenam merced... in cœlo in tempus resurrectionis rejiciat, attamen eas nihilo... nus jam tum beatitudine æterna et Dei visione perfrui non ob... scure declarat in Apol. prima, n. 8, et in Apol. secunda, n.:

ADNOTATIO QUINTA, pag 434.

Preces et gratiarum actiones... sola esse... Deo accepta sacrif...: et ipse pronuntio. — Asserendo preces et gratiarum actiones e... perfecta sacrificia, non magis excludit sanctus Justinus sacri... cium Christianorum quam baptismum exteriorem, tot in al... locis in quibus carnis circumcisioni successisse ait circum... sionem cordis, quamvis cordis circumcisionem solum es... verum baptisma contendat.

ADNOTATIO SEXTA, pag. 445.

Deus autem est, eo quod Filius primogenitus sit omnium crea... rarum. — In hoc loco sicut in aliis, v. g. n. 6, 125, 12... generatio æterna intelligenda est.

ADNOTATIO SEPTIMA, pag. 448.

Neque Pater universorum in aliquem locum venit, etc.—Ex h... concludunt hæretici sanctum Justinum admisisse in Patr... Filio naturam esse dissimilem. Verum observandum est sanctum Justinum existimasse has formas assumere indignum esse Patri, non vero Filio; non quia dissimilis in utroque na... tura, sed quia Filius ministrat Patri, ac Deus est de Deo e... Patre mittitur. Quidquid ergo discriminis inter Patrem et Fili... ponit, hoc uno nititur quod memorati in Scriptura ascens... descensus cum majestate Patris conciliari non posse si Patri... buantur, secus si Filio, qui a Patre mittitur.

ADNOTATIO OCTAVA, pag. 448.

Ex eo quod ministret ipsius voluntati.—Hæc loquendi ratio... merito suspecta esset in hominibus generationem ex subs... tia rejicientibus, nihil prorsus habet suspicionis in ore Jus... qui paulo post declarat Verbum ex Patris substantia geni... esse, ut lumen de lumine. Quapropter cum Filium secun... voluntatem Patris Filium et Deum esse dicit, non alio con... id dicere potuit, nisi ut hanc ex substantia generationem e... meret, ac Filium demonstraret a Patre divinam naturam cepisse, nec eo invito, ut de secundo principio fingebant Ma... nitæ, existere.

INDEX TOMI PRIMI.

FINIS INDICIS.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

PATRES APOSTOLICI.

II.

PARISIIS, E TYPIS DECOURCHANT,
VIA D'ERFURTH, N° 1.

COLLECTIO
SELECTA
S. ECCLESIÆ PATRUM,
COMPLECTENS
EXQUISITISSIMA OPERA
TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. CAILLAU,
MISSIONUM GALLICARUM PRESBYTERO,

ET NONNULLIS CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,
IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE,
PRÆDICATORE REGIO, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICÈ:
BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

TOMUS SECUNDUS.

BRUXELLIS,
APUD MÉQUIGNON-HAVARD, EDITOREM,
VIA VULGO DICTA DE LA CHANCELLERIE.

M. DCCC. XXIX.

TATIANUS.

ORATIO ADVERSUS GRÆCOS.

TATIANUS,

ENCRATITARUM PRIMICERIUS.

(CIRCA AN. C. 180.)

GRÆCUS.

Tatianus, origine Assyrius, ab infantia pagano-um fabulis doctrinisque Græcorum imbutus est. ;um *magna terræ parte peragrata*, *studia* Romano-um *professus*, *artes et inventiones multas exercuis-et, tandem Romæ versatus, et varias illuc delatas 'atuas aspiciens* (Tat. Orat. contra Græcos) obscœ-os eorum mores exsecratus, perlectis quibusdam arbarorum, id est, Christianorum libris, ad veri-ıtis cognitionem se contulit.

« Justini martyris auditor et sectator, floruit in Ecclesia, quamdiu ab ejus latere non discessit. Postea vero inflatus eloquentiæ tumore, et præ-sumptione magistri elatus, Roma profectus in Orientem, in absurdas opiniones incidit, ac nes-cio quos Æones e Valentinianis fabulis, et prin-cipia quædam ac propagationes commentus est; sed Antiochia præsertim, quæ ad Daphnem est, illius dogma derivatum in Cilicia ac Pisidia cum-primis coaluit. » (Iren. I, 20; Hieron. Cat. 29; piph. Hæres. XLVI, 2.) Non tantum a matrimonio, :d ab animalium carne, et a vino abstinendum esse ɔcebat; cujus discipuli *Encratitæ* dicti sunt græce,

quod latine idem ac *Continentes* sonat. Cum aute a vino abhorrerent, puram ad oblationem mis aquam adhibebant : unde et *Hydroparastatæ* di sunt.

« Tatianus infinita scripsit volumina, e qui » unus contra Gentes florentissimus exstat liber, » [inter] omnia opera ejus fertur insignis. » Hi Cat. 29.) In hoc libro ante lapsum confecto n erroris labes deprehenditur; imo plurima utili religioni consentanea occurrunt, quæ illius lect nem maxime commendant. Hic profanarum di plinarum cognitio profunda, stylus vivus et eleg negligentia multa : methodus ubique desideratur Quo anno defunctus fuerit Tatianus incertum e quanquam ad annum 180 referenda mors ejus r deatur.

Oratio ad Græcos græce excusa est, curante Conrado Ges cum S. Theophili scriptis an. 1546, in-fol. Zurich. Græce et latine tum in Bibliothecis Patrum, tum in Orthodox tum in Bibliothecæ Patrum auctuario, tum ad calcem S. Justini an. 1515 et 1636, in-fol. et Wittembergæ a in-fol. et Oxonii an. 1700, in-8° : quæ quidem editio cæteris curatior a Guillelmo Worth, Worchesterensi archidiacon publicum emissa est. Recentiorem et magis probatam ed ann. 1742, R. Maran ad calcem operum S. Justini, quam se sumus.

TATIANI

ORATIO ADVERSUS GRÆCOS.

I. Ne infensum omnino in barbaros animum, o Græci, gerite, nec eorum invidete placitis. Quod enim apud vos institutum non a barbaris originem accepit? Nam Telmessensium spectatissimi divinandi ex somniis artem invenerunt, prænoscendi ex astris Cares, Phryges et Isaurorum antiquissimi auspicia, haruspicinam Cyprii, astronomiam Babylonii, magiam Persæ, geometriam Ægyptii, litterarum elementa Phœnices. Quapropter desinite inventa dicere quæ imitatione expressa sunt. Poesim enim excolere et cantare docuit vos Orpheus, idem et initiari; plasticen Tuscani; historias adornare commentarii temporum apud Ægyptios. Marsyæ autem et Olympi tibiarum modulationem adscivistis. Ambo Phryges, ambo homines agrestes, fistulæ concentum invenerunt; tubam Tyrtheni; fabricam ærariam Cyclopes; epistolas scribere mulier, Persarum, ut ait Hellanicus, olim regina, cui nomen erat Atossæ. Deponite igitur hunc fastum, nec verborum elegantiam ostentate; qui illum vosmetipsos laudatis, domesticos adhibetis patronos. Oportet autem ut qui hanc laudem sibi arrogant, ii, si sapiant, aliorum testimonium exspectent, ac in ipsa sermonis pronuntiatione inter se consentiant. Nunc autem vobis solis contigit ne in colloquiis quidem similes sonos edere; neque enim Doricorum eadem dictio est ac Atticorum, nec Æoles similiter ut Iones loquuntur. Cum ergo tantum sit inter eos dissidium, inter quos minime oportebat, statuere non possum quem a me Græcum oporteat appellari. Nam quod

omnium absurdissimum est, dictiones quæ vobis affines sunt in pretio habetis, et barbaris interdum vocibus abutentes, sartaginem loquendi linguam vestram effecistis. Quare obrem sapientiæ vestræ valediximus, quamvis in hoc genere præclarus omnino et spectatus aliquis essem. Nam, ut Comicus :

> Infructuosi hæc sunt Pampini et loquacitas,
> Musæa hirundinum : inferunt damnum haud leve
> Et turpe clamant hujus artis aucupes
> Corvique ructantur sonos.

Rhetoricam enim ad injustitiam et calumniam instituistis, pretio addicentes sermonum vestrorum libertatem, et id quod nunc justum, alias haud bonum asserentes; poeticam vero, ut pugnas describeretis, et deorum amores, animæ corruptelam.

II. Quid enim egregii philosophando protulistis, aut ex iis qui præstantissimi fuerunt, extra arrogantiam constitutus fuit? Diogenes, qui dolii ostentatione de frugalitate gloriabatur, cum polypum crudum vorasset, morbo intestinorum correptus, propter intemperantiam periit. Aristippus in veste purpurea ambulans gratuito nepos erat. Plato philosophatur, a Dionysio propter gulam venditus. Aristoteles, qui fines providentiæ imperite posuit, et felicitatem iis rebus quibus delectabatur admodum inscite circumscripsit, Alexandro assentabatur, adolescentem esse oblitus. Qui quidem amicum suum prorsus Aristotelice, quod adorare se nollet, instar ursi aut pardi inclusum circumferebat. Omnino igitur parebat magistri decretis fortitudinem in conviviis et virtutem demonstrans, et amicum in primis carum hastili transfigens, ac postea plorans, seque per causam doloris inedia, ne in odium suorum incurreret, macerans. Rideo equidem illius etiamnum opinionis sectatores, qui cum sublunaria negent providentia regi, ...

ciniores terræ quam luna, ejusque orbe inferiores, rebus providentia desertis provident. Quibus autem non adest ılchritudo, non divitiæ, non robur corporis, non nobiliıs, ab iis abest secundum Aristotelem felicitas. Ac tales uidem homines philosophentur.

III. Heraclitum enim minime probaverim, qui cum esset seipso doctus et arrogans, dicebat: « Ego ipse me investigavi. » Nec laudaverim quod carmen in templo Dianæ ccultaverit, ut postea instar mysterii ederetur. Nam quius ista curæ sunt, ii Euripidem tragicum dicunt, cum eo entitaret et legeret, memoriæ paulatim Heracliti tenebras iligenter tradidisse. Hujus autem imperitiam mors redaruit. Aqua enim intercute correptus, cum medicinam eoem modo ac philosophiam pertractasset, seque stercoribus oum circumlevisset, fimo indurato ac totum corpus conellente dilaceratus interiit. Neque etiam audiendus Zeno, ui per conflagrationem pronuntiat eosdem rursus homines d eadem resurgere, id est, Anytum et Melitum ad accuandum, Busirim ad hospites necandos, Herculem ad repeendos certaminum labores. Qui quidem in hac conflagraionis ratione plures inducit improbos quam justos, cum nus tantum Socrates fuerit, unus Hercules, et alii ejusıodi non multi exstiterint, sed pauci. Mali enim omnino lures inveniuntur, quam boni. Deus quoque malorum seundum illum auctor esse deprehendetur, et in cloacis et ermibus et nefanda patrantibus versari. Empedoclis autem ırrogantiam ignis in Sicilia eruptiones coarguerunt, quia ;um Deus non esset, parum abfuit quin se Deum esse meniretur. Rideo etiam Pherecydis aniles fabulas, et ejus de:retorum Pythagoram hæredem, et Platonem, etiamsi id ıegent nonnulli, imitatorem. Quis autem caninas Cratetis ıuptias testimonio suo comprobaverit; ac non potius reecta ejus similium arroganti linguæ insania, ad id quod

vere bonum est inquirendum sese convertat? Quare ... vos abripiant philosophorum, qui philosophi non sunt, ... lemnes conventus : qui secum ipsi pugnant, et ut quæ ... res in mentem venerit, ita eam quisque effutiunt. ... autem etiam apud eos offensiones : odit enim alter alter... æmulis inter se opinionibus certant; præstantiora loc... arrogantiam eligunt. Oportebat autem, ut nec imperi... ticipatis officiis colerent, nec principibus assentarentur, ... exspectarent dum magni ad eos veniant.

IV. Quid est igitur, o Græci, cur tanquam in pu... aliorum instituta incitare in nos velitis! Ac si nonnull... institutis uti nolo, cur tanquam scelestissimus odio hab... Jubet rex tributa pendere? paratus sum solvere; ... et ministrare dominus? servitutem agnosco. Homo ... ut hominem decet, colendus est : solus autem Deus ... tuendus, qui nec oculis humanis cerni potest, nec arte ... prehendi. Hunc negare si jubear, hac tantum in re ... rebo, moriarque potius, ne mendax et ingratus ... Deus noster non esse cœpit in tempore, cum ... principio, ipse omnium sit principium. Spiritus Deus ... tamen materiam permeans spiritus, sed materialium ... tuum et figurarum, quæ in materia sunt, opifex : ... et tactu indeprehensus, quippe cum ipse sensibilium ... visibilium exstiterit parens. Hunc ex his quæ creati ... gnoscimus, et potentiam invisibilem ex operibus appre... dimus. Opus ab eo nostra causa conditum adorare ... Sol et luna propter nos creata sunt : quomodo ergo ... tros meos adorem! quomodo ligna et lapides pronunt... deos! Est enim Spiritu diviniore inferior ille spiritus, ... materiam pervadit : qui quidem cum animæ assimilatus ... non eodem ac perfectus Deus honore colendus est. Neque ... etiam illum non enarrabilem Deum munerari debemus. Nam qui nullius rei indiguus est, is ut indigere existimetis

minime a nobis committendum est. Apertius autem nostra exponam.

V. Deus erat in principio : principium autem Verbi potentiam esse accepimus. Universorum enim dominus, quatenus quidem mundus nondum erat creatus, solus erat; quatenus autem ipse potentia omnis, et eorum quæ videntur et non videntur hypostasis sive sustentatio erat, omnia cum eo per rationalem potentiam sustentabat ipsum etiam illud Verbum, quod erat in eo. Voluntate autem simplicitatis ejus prosilit Verbum[1] : Verbum autem, non in vacuum progressum, fit opus primogenitum Patris. Hoc scimus esse mundi principium. Natum est autem per communicationem, non per abscissionem : nam quod abscissum est, a primo separatur; quod autem per communicationem progreditur voluntariam administrationem suscipiens, id eum non imminuit ex quo desumptum est. Quemadmodum enim ex una face multi ignes accenduntur, nec tamen primæ facis, ob plures accensas faces, lux imminuitur : sic Verbum ex Patris potentia prodiens, genitorem Verbi expertem non fecit. Nam et ego loquor et vos auditis : nec propter transmissionem sermonis ego qui alloquor sermone vacuus fio; sed vocem meam proferens materiam in vobis inornatam ornare instituo. Et quemadmodum Verbum in principio

[1] Tatianus hic post S. Joannem Evang. docet *quod Deus erat in principio*, et per illud principium intelligendum esse Verbum divinum : *Principium autem Verbi potentiam esse accepimus*; in quo cum cæteris veteribus ante illum convenit. Item ait «Deum fuisse solum, quatenus mundus non-»dum creatus erat, quatenus vero est omnis potentia, et eorum quæ viden-»tur et non videntur sustentatio erat.» Item agnoscit hic coæternitatem Verbi cum Patre, et actualem ejus existentiam, quæ differt ab existentia Patris; ex quo manifeste infertur, 1° identitas naturæ in Patre et Verbo, quia juxta verum veterum ratiocinium, id quod est coæternum est etiam consubstantiale, ex qua ratione etiam Tatianus æternitatem materiæ non admittit. 2° Infertur personalis differentia inter Patrem et Verbum : nam si supponamus, uti supponit Tatianus, utrumque ab æterno actualem existentiam habuisse, necessario sequitur, personam Patris a persona Filii differre, licet eadem in utroque sit natura et essentia.

genitum, vicissim mundum nostrum genuit, cum sibi materiam produxisset; sic ego quoque ad imitat. Verbi regeneratus, et veritatis illustratus cognitione teriæ mihi cognatæ confusionem emendo. Non enim initio materia, quemadmodum Deus; nec Deo, ut pr expers, parem habet potestatem : verum creata est, alio facta, sed a solo universorum opifice producta.

VI. Propterea etiam corporum resurrectionem f credimus, cum omnia fuerint absoluta : non, ut Sto cernunt, secundum quosdam orbium circuitus iisde per nascentibus et pereuntibus, nullam ob rem utile semel, sæculis nostris absolutis, et in perpetuum hominum solorum constitutionem, judicii causa. Ju autem de nobis nec Minos nec Rhadamanthus faciu rum ante mortem nulla prorsus, ut fabulantur, dicabatur; sed arbiter est ipse creator Deus. Etiam vobis omnino nugatores et blaterones videamur, dimus; cum hac ratione adducti crediderimus modum enim cum non essem antequam nasce bam quis essem ac tantum in substantia carne existebam; genitus autem qui olim non eram, et tione consequutus sum ut me existere non dubite dem modo genitus ac per mortem esse ac videri des denuo existam : quemadmodum olim cum non essem tea genitus sum. Etiamsi mea caro igne evanescat; sam instar vaporis materiam mundus excepit. Etiam fluminibus, etiamsi in mari absumar, etiamsi a fer nier; thesauris recondor divitis Domini. Ac inopem dem et atheum latent quæ recondita sunt : regnator Deus conspicuam sibi soli substantiam, ubi volet, in num statum revocabit.

VII. Verbum enim illud cœleste, Spiritus a Patre tus, et Verbum ex rationali potentia, ad imitationem

a quo genitum est, imaginem immortalitatis hominem fecit; ut quemadmodum immortalitas est apud Deum, sic homo, Dei portionis particeps factus, immortalitatem etiam habeat. Verbum quidem ante homines creatos angelorum sit opifex. Utraque autem opificii species libera creata est, non habens naturam boni, id enim soli Deo inest, ab hominibus autem libera animi inductione perficitur : ut malus merito puniatur per se improbus factus; justus autem ob recte facta jure laudetur, ut qui libero utens arbitrio voluntatem Dei transgressus non sit. Atque ita quidem se habent quæ angelos et homines spectant. Verbi autem potentia, cum in se prævideret quid esset, non illud quidem fato sed libera eligentium voluntate, eventurum; futurarum rerum eventus prædicebat, ac nequitiam interdictis prohibebat, eos autem laudabat qui boni permanerent. Postquam autem homines unum aliquem præter cæteros, propterea quod primogenitus erat, callidiorem assectati sunt, ac eum etsi legi Dei obluctabatur, pro Deo habuere; tum Verbi potentia et incœptorem profligatæ temeritatis, et ejus sectatores a sua consuetudine exclusit. Atque is quidem, qui ad imaginem Dei factus erat, discedente ab eo potentiore Spiritu, fit mortalis; ille autem primogenitus propter transgressionem et ignorationem dæmon esse incœpit, et qui inania illius visa fuerant imitati dæmonum exercitus evaserunt, ac propter arbitrii libertatem suæ stultitiæ traditi sunt.

VIII. Materia autem defectionis homines illis fuerunt. Nam cum eis tabulam positionis siderum ostendissent, velut qui tesseris ludunt; fatum induxerunt, rem valde injustam. Nam qui judicat et qui judicatur, tales secundum fatum facti sunt; et qui occidunt et qui occiduntur, divites et pauperes, ejusdem sunt fati effectus : ac tota illis genitura, tanquam in theatro, oblectamentum præbet, apud quos

Inexstinctus risus exortus est beatis diis.

Nam qui singulare certamen spectant et alter alteri cer-
tium favent; qui nubit et pueros stuprat et mœchatur
ridet et irascitur, qui fugit et vulneratur, quomodo m
non existimetur! Per quæ enim se ipsi hominibus
essent aperuerunt, per ea audientes ad similia facinor
tati sunt. Atque an non ipsi dæmones cum duce
Jove sub fatum cecidere, iisdem ac homines cupidi
superati! Præterea, quomodo colendi apud quos p
opinionum dissensio? Nam Rheam, quam Cybelem
Phrygiorum montium incolæ, pudendorum exsectione
propter Atyn, quem amabat, lege sancivisse. Venus
complexibus delectatur: magus est Diana, medicus A
Et post abscissum Gorgonis Neptuni amicæ caput, un
gasus equus et Chrysaor prosiluerunt, sanguinis gutt
nerva et Æsculapius partiti sunt: atque ex iis quid
salutem afferebat, illa autem ex simili cruore homic
bellorum auctor exstitit. Videntur mihi Athenienses
de ejus fama detrahere nollent, filium ex Vulcani
tudine genitum etiam terræ attribuisse; ne, ut
Meleagro, ita Minervæ a Vulcano virilitas erepta vid
Hic enim utrimque claudus, fibularum et flexarum
rium opifex his, ut verisimile est, puellarum orn
orbatam matre et pupillam infantem decepit. Neptun
vigat: Mars delectatur bellis: citharœdus est Apoll
rannus Thebarum Bacchus, Saturnus tyrannicida. Jup
cum filia miscetur, et ex eo filia concipit. Testes mihi
erunt Eleusis et Draco mysticus, et Orpheus qui dicit:

Portas obserate profanis.

Pluto rapit Proserpinam, ejusque facinora fiunt myst
Ceres filiam luget, et quidam per Athenienses decipiur
In templo Apollinis est locus qui Omphalus dicitur: E
autem sepulcrum Omphalus. Laudo te nunc, o Dap
quæ victa Apollinis intemperantia illius divinationem

iceris; quippe cum nihil sua illum ars juverit, ut res tuas præenosceret. Dicat nunc mihi jaculator Apollo, quomodo Hyacinthum Zephyrus occiderit. Zephyrus eum vicit; et cum tragicus poeta dicat,

Aura deum cursus pretiosior,

ipse ab exigua victus aura perdidit amasium.

IX. Tales sunt dæmones : hi sunt qui fatum definierunt. Elementum autem illis fuit animalium in cœlo collocatio. Nam animalia, quibuscum cœlo ejecti degebant, sive in terris repentia, sive in aquis natantia, sive in montibus quadrupedes, cœlesti honore dignati sunt, ut et ipsi in cœlo versari existimarentur, et vitam in terris a ratione alienam, rationi consentaneam esse per siderum positionem persuaderent. Quapropter iracundus et patiens, et temperans et intemperans et pauper ab iisdem genituræ legislatoribus tales exstitere. Nam Zodiaci circuli descriptio deorum est opus. Quod si lux eorum unius dominetur (ita enim ipsi loquuntur), cæteris honorem præripit: et qui nunc vincitur, rursus vincere solet. Delectantur autem septem planetis, velut qui tesseris ludunt. Nos autem et fato superiores sumus, et pro errantibus dæmonibus unum Dominum non errantem didicimus; et cum fato non regamur, ejus legislatores rejicimus. Dic, age, per Deum, fruges sevit Neoptolemus, et post luctum beneficium in Athenienses contulit? Sed cur Ceres, antequam filiam amitteret, bene de hominibus non merebatur? Canis Erigones in cœlo monstratur, et Scorpius Dianæ auxiliator, et Chiron Centaurus, et Argo dimidiata et Callistus ursa : quomodo igitur antequam isti prædicta facinora ederent, inornatum erat cœlum? Quis autem non rideat Deltotum illud propter Siciliam, ut nonnullis placet, vel, ut aliis, propter primam Jovis appellationis litteram, inter astra consecratum? Cur enim non Sardiniæ quoque et Cypro cœlum concessum? Aut quam ob

causam Jovis fratrum, qui regna partiti sunt, non ipsæ etiam litterarum figuræ inter astra sunt relatæ? Quomodo vinctus Saturnus et regno ejectus fati moderator constituitur? et quomodo regna donat qui non jam regnat? Projicite igitur has nugas, nec injusto in nos odio fas et jura violate.

X. Narratur fabulosa hominum transformatio: transmutantur apud vos et dii. Rhea fit arbor; Jupiter draco propter Proserpinam; populi Phaetontis sorores; Latona vile animal, propter quam Ortygia vocata quæ nunc Delos est. Deus, dic age, fit olor, et aquilæ formam capit, et eam Ganymedem a poculis habet, de turpi puerorum amore gloriatur! Quid attinet deos colere munerum aucupes, et [illegible] acceperint irascentes? Habeant illi fatum: ego stellas errantes adorare nolo. Quis est ille Berenices capillus? [illegible] ubi stellæ ejus antequam ipsa moreretur? Quomodo [illegible] tuus Antinous, formosus in luna adolescens consecratus? Aut quis illum eo evexit? nisi forte (quemadmodum [illegible] invenit si quis reges mercede conductus in cœlum ascendisse non sine perjurio ac deorum irrisione affirmet) ita etiam hunc aliquis in deos simili ratione referens, [illegible] et muneribus ornatus est. Cur in Deum estis sacrilegi? Cur ejusdem opus dedecoratis? Mactas ovem, et eamdem [illegible] oras: taurus est in cœlo, et ejus imaginem trucidas. Is [illegible] vocant Engonasin premit animal noxium: honore afficitur aquila opificem hominis Prometheum peredens. Præclarus sane Cycnus, quoniam adulter erat. Egregii illi alternis [illegible] bus viventes filii Jovis, filiarum Leucippi raptores. Præstantior his Helena, quæ relicto flavicomo Menelao mitrigerum et abundantem auro Paridem sequuta est? Æquus etiam extitit Sophron, qui hanc meretricem in campos Elysios transtulit. Sed neque Tyndaris immortalitate donata est, ac sapienter Euripides eam ab Oreste occisam tradit.

XI. Quomodo igitur illam ex fato genituram proba[illegible]

cum tales ejus moderatores videam? Regnare nolo : ditescere non libet : præturam recuso, scortationem odi : navigare ob insatiabilem avaritiam non cupio : de coronis consequendis non dimico : liber sum ab insana gloriæ cupiditate : mortem contemno : quovis morbi genere superior sum : mœror animum non peredit. Si servus sum, servitutem sustineo; si liber, ingenuitatem non ostento. Solem video omnium eumdem, unam omnium mortem, sive in voluptate vivas, sive inopia labores. Dives seminat, et pauper eodem semente perfruitur. Moriuntur ditissimi : eumdem vitæ exitum habent mendici. Pluribus rebus indigent divites, quamvis fides illis et honos habeatur : pauper autem et moderatissimus quisque id quod sibi satis est desiderans, facilius consequitur. Quid est quod ex fato præ avaritia vigilas? Cur ex fato sæpe appetens, sæpe moreris? Mundo morere, ejus insaniam rejiciens : vive Deo, per ipsius cognitionem, veterem generationem repudians. Non facti sumus ut moreremur, sed nostra culpa morimur. Perdidit nos libera voluntas : servi facti sumus, qui liberi eramus : per peccatum venditi sumus. Nihil mali factum est a Deo : nos ipsi improbitatem produximus. Eam vero qui produxerunt, denuo repudiare possunt.

XII. Duo spirituum discrimina novimus, quorum alter anima vocatur, alter, anima præstantior, Dei imago et similitudo. Uterque primis hominibus inerat, ut partim ex materia constarent, partim materia præstantiores essent. Sic autem se res habet. Universam videre est mundi constructionem, ac universum opus ex materia perfectum, ipsam autem materiam a Deo creatam; ita ut partim rudis et informis intelligatur antequam divisionem acciperet, partim ornata et digesta post peractam in ea divisionem. Cœlum igitur et quæ in eo stellæ, ex materia constant; et terra ac quidquid ea continetur similem habet constitutionem,

ita ut eadem sit communis omnium generatio. Quamvis autem hæc ita se habeant, sunt tamen quædam eorum quæ ex materia constant, discrimina, ita ut aliud pulchrius sit, aliud vero pulchrum illud quidem, sed tamen ab alio pulchriore superatum. Quemadmodum enim corporis constitutio unius est descriptionis et circa illud versatur nascendi causa, sed tamen, quamvis hæc ita se habeant, sunt quædam in eo dignitatis discrimina, atque aliud est oculus, aliud est auris, aliud capillorum ornatus et intestinorum medullarumque distributio, ac ossium et nervorum compages; et cum aliud ab alio differat, summus est in communi distributione concentus : similiter mundus secundum auctoris sui potestatem quædam splendidiora, quædam his dissimilia continens, materialem spiritum, ita volente opifice, accepit. Hæc autem singulatim perspicere potest qui non superbe despuit in divina oracula quæ variis temporibus consignata litteris, studiosos sui amicos Deo prorsus faciunt. Dæmones igitur (ita enim appellatis) cum ex materia compacti fuissent, et spiritum ex ea traxissent, intemperantes et gulosi evaserunt, alii quidem ad puriorem materiam conversi, alii autem viliorem eligentes, et ad illius similitudinem vitam instituentes[1]. Istos adoratis, o Græci, factos quidem ex materia, longe autem a recto ordine remotos. Sua enim ipsorum stultitia ad inanem gloriam conversi, frænisque excussis, latrones divinitatis fieri conati sunt. Universorum autem Dominus tamdiu illudere eos sivit, dum mundus ad finem perductus dissolvatur, ac judex adveniat, et quicumque perfecti Dei cognitionem, licet a dæmonibus oppugnati, concupiverint, perfectius propter certamina testimonium in die judicii consequantur. Spiri-

[1] Tatianus hic contendit, angelos materia constare et spiritu, imo hunc spiritum extrahi a materia; item supplicia dæmonum ad extremum diem judicii differri. Item animam humanam materialem esse arbitrari videtur. Circa hæc quatuor capita errasse catholica doctrina docet.

tus igitur in stellis, spiritus in angelis, spiritus in plantis, spiritus in hominibus, spiritus in animalibus; et quamvis unus et idem sit, habet tamen in se discrimina. Atque hæc quidem nobis, non lingua nec probabili ratione nec sophistarum apparatu disserentibus, sed divinioris cujusdam vocis sermone utentibus, qui discere vultis, festinate. Et qui in Scytham Anacharsim non despuitis, neque etiam nunc indignum vobis ducite ab his qui barbaricam disciplinam sequuntur, erudiri. Dogmata nostra saltem ut illam Babyloniorum divinationem adsciscite : aurem nobis dicentibus, saltem ut quercui vaticinanti, accommodate. Sunt hæc quidem quæ recensuimus, dæmonum furentium stratagemata : nostra autem doctrina sublimior, quam ut eam mundus possit comprehendere.

XIII. Non est immortalis per se ipsa, o Græci, anima, sed mortalis[1]. Potest tamen eadem non mori. Moritur enim *et dissolvitur* cum corpore, si veritatem ignoret : postea autem resurgit in fine mundi una cum corpore, mortem per supplicia in immortalitate accipiens. Rursus autem non moritur, etiamsi solvatur ad tempus, si Dei cognitione instructa sit. Per se enim nihil aliud est quam tenebræ, nec quidquam in ea luminosum. Atque id ipsum est quod dicitur : « Tenebræ lucem non comprehenderunt[2]. » Neque enim anima spiritum servavit, sed ab eo servata est, et lux tenebras apprehendit. Est autem Verbum divina lux : tenebræ vero imperita anima. Quapropter si degat solitaria, deorsum ad materiam vergit, una cum carne moriens. Cum divino au-

[1] *Multi* immortalitatem animæ a Tatiano everti existimant. Sed præter dicta in *Dial.* cum Tryph. S. Just. n. VI, R. P. Maran in præf. observat, Tatianum non eam animæ immortalitatem denegare quæ ex Dei voluntate et omnipotentia dependeat, sed quæ ipsius animæ viribus et naturæ tribuatur : nam, uti ex toto contextu patet, animæ mortem interpretatur non dissolutionem, et destructionem, sed peccatum, et vitiosum rerum corporearum amorem.

[2] Joan. I, 5.

tem Spiritu copulata, non caret auxilio, sed eo ascendit, quo deducitur a Spiritu. Hujus enim sedes in superis, istius generatio in inferioribus locis. Ac initio quidem Spiritus animæ convictor erat; sed eam sequi nolentem deseruit. Illa autem cum ejus virtutis quasdam veluti scintillas retineret, sed ab eo separata intueri res sublimiores non posset, dum Deum quærit, opinionis errore multos effinxit, doli artifices dæmones sequens. Porro Spiritus Dei non omnibus inest, sed in quibusdam juste viventibus residens, cum eorum animo complicatus, per prædictiones cæteris animabus res absconditas nuntiavit. Atque illæ quidem quæ sapientiæ paruerunt, cognatum sibi Spiritum attraxere; quæ vero non paruerunt et ministrum Dei passi rejecerunt, cum Deo potius deprehensæ sunt pugnare, quam eum colere.

XIV. Tales et vos estis, o Græci, lingua quidem expoliti, mente autem absurdi; ac multorum principatum potius quam unius professi estis, dum dæmones, quasi præpotentes essent, statuitis assectari. Quemadmodum enim latro, cum inhumanus sit, audacia solet similes sui domare; sic dæmones ad summam improbitatem progressi solitarias apud vos animas ignoratione et inanibus visis deceperunt. Qui quidem non facile moriuntur, sunt enim carnis expertes, sed viventes mortis instituta profitentur, toties nimirum et ipsi morientes quoties ad peccandum sectatores suos erudiunt. Itaque quod nunc præcipuum illis est, ut similiter ac homines non moriantur, id eis adfuturum est, quando suppliciis tradentur; neque tunc vitæ æternæ participes erunt, sed mortem quamdam in immortalitate sortientur. Quemadmodum enim nos, quibus nunc facile mori contingit, postea cum voluptate immortalitatem, vel dolorem cum immortalitate percipimus; sic et dæmones, qui præsenti vita ad peccandum abutuntur, ac per totam vitam moriuntur, rursus immortalitatem habebunt, eamdem quidem ac dum vive-

rent, statu autem similem illorum hominum qui ex animi sui sententia gessere quidquid viventibus dæmones præscripserunt. An non enim hominibus pauciores peccatorum species ob vitæ brevitatem efflorescunt; prædictis autem dæmonibus ob infinitum ævum magis peccare contingit?

XV. Jam vero oportet, ut quod habentes amisimus, id nunc quæramus, et animam cum Spiritu sancto copulemus et ad conjunctionem cum Deo enitamur. Non igitur simplex est hominum anima, sed ex multis partibus constat[1]. Est enim composita, ita ut per corpus manifesta fiat. Neque enim unquam ipsa sine corpore apparuerit; nec caro resurgit sine anima. Est enim homo, non, ut quidam instar corvorum crocitantes decernunt, animal ratione utens, mentis et scientiæ capax : nam ipsæ secundum illos belluæ mentis et scientiæ capaces ostendentur. Solus autem homo imago et similitudo Dei. Hominem autem dico non eum qui similia belluis faciat, sed qui procul ab humanitate constitutus ad Deum pervenerit. Atque id equidem in libro de animalibus accuratius disserui. Nunc autem id quod instat disserendum, qualis sit illa secundum Deum imago et similitudo. Quod comparari non potest, nihil aliud est quam ipsum ens : quod autem comparatur, nihil aliud quam quod simile est. Carnis quidem expers perfectus Deus : homo autem caro. Vinculum est carnis anima : animam caro continet. Ac talis quidem naturæ species, si se instar templi habeat, libenter illud incolit Deus per legatum Spiritum. Si vero tale non fuerit tabernaculum, præstat homo belluis sola voce articulata; cætera vero ejusdem est ac illæ vivendi rationis, ut qui non sit similitudo Dei. Porro dæmones om-

[1] Hic iterum Tatianus animam corpoream esse, asserere videtur, sed non satis explicat quid nomine corporis intelligat. Deinde eum solum esse hominem contendit, in quo Spiritus sanctus habitat; secus vero a belluis distare negat : ubi Spiritus gratiam commendat, et hominis imbecillitatem agnoscit, qui nisi adjuvetur a Spiritu sancto in vitium deflectit.

nes nullam habent carnem, sed spiritalis est eis compages, ut ignis et aeris. Iis autem solis qui Spiritu Dei communiti sunt, facile videri possunt etiam dæmonum corpora; cæteris vero nequaquam, id est, psychicis. Nam præstantius ab inferiore comprehendi non potest. Propterea ergo dæmonum natura pœnitentiæ locum non habet. Sunt enim materiæ et nequitiæ quidam splendores. Materia autem animam in servitutem redigere voluit: ac secundum liberum arbitrium isti quidem leges mortis hominibus tradiderunt: homines vero post immortalitatis jacturam morte per fidem obeuntes mortem superaverunt, ac per pœnitentiam vocatio eis concessa secundum hunc sermonem: « Quoniam paulo minores » ab angelis imminuti sunt[1]. » Potest autem quisquis victus est rursus vincere, si mortis causam repudiet. Quænam autem illa sit facile perspicere possunt, qui immortalitatem concupiscunt.

XVI. Dæmones autem qui hominibus imperant, non sunt hominum animæ. Quo enim pacto efficaces etiam post mortem fuerint? Nisi forte homo, quamdiu vivit, insipiens et invalidus est: mortuus efficaciore creditur præditus potestate. Sed res ita se non habet, ut alibi demonstravimus; ac perdifficile est existimare animam immortalem, quæ corporis membris impeditur, sagaciorem, cum ex eo migraverit, fieri. Dæmones enim, dum pro sua nequitia in homines bacchantur, deorsum vergentes eorum animos variis et fallacibus machinationibus pervertunt, quo minus ad vias cœlorum erigi possint. Sed nec ea nos latent quæ in mundo sunt; et divina facile a nobis comprehendi possunt, si vis illa, quæ animos immortales facit, ad nos accesserit. Videntur autem et a psychicis dæmones, ac sese nonnunquam hominum adspectui exhibent; vel ut aliquid esse existimentur vel etiam aliquid tanquam inimicis noceant amici mali

[1] Psal. VIII, 4.

mente præditi, vel ut sui similibus causas ipsorum colendorum innectant. Nam si possent, cœlum ipsum profecto cum cæteris rebus creatis subverterent. Nunc autem nequaquam id faciunt; neque enim possunt; sed materia inferiore materiam sibi similem oppugnant. Hos ergo si quis vincere velit, materiam repudiet. Lorica enim Spiritus cœlestis armatus servare poterit quidquid ab eo circumdatum fuerit. Habet quidem materia nostra morbos et tumultus, qui cum acciderint, eorum causas sibi dæmones adscribunt, morbo invadenti supervenientes. Ipsi etiam interdum nequitiæ suæ tempestate habitum corporis nostri concutiunt; sed verbo virtutis Dei percussi, discedunt exterriti et æger sanatur.

XVII. De occultis enim secundum Democritum consensionibus et dissensionibus quid dicere habeamus, nisi id quod communi sermone contritum est, abderiloquum esse hominem Abderitam. Quemadmodum autem is a quo civitas illa nomen accepit, Herculis, ut ferunt, amicus, ab equis Diomedis devoratus est; sic et iste, qui de mago Ostane gloriatur, in die consummationis igni depascendus tradetur. Ac vos quoque, nisi risum desinatis, eadem ac magi supplicia luetis. Quocirca velut ex loco excelso clamantem me, Græci, audite, nec cachinnando dementiam vestram in præconem veritatis transferte. Non tollitur morbus per occultam dissensionem, nec furiosus pelliculis appensis curatur. Sed dæmones ventitant : et qui ægrotat et qui amare se dicit, et qui odit et qui ulcisci cupit, hos capiunt adjutores. Modus autem eorum machinationis sic se habet. Quemadmodum enim litterarum figuræ et versus qui ex eis constant, non possunt per se ipsa id quod cogitatur et componitur demonstrare, sed sibi homines signa cogitationum instituerunt, ex certa eorum constructione id percipientes cujus significandi causa etiam litterarum ordo institutus est; similiter nec radicum varietates, nec

nervorum et ossium appositiones per se ipsa quidquam ef-ciunt, sed sunt dæmonum improbitatis elementum, qui ad quid valeret unumquodque illorum definierunt. Ubi autem vident consentire homines ut sibi per eas res ministre-tunc supervenientes efficiunt ut sibi homines serviant. Quo-modo enim honestum sit adulteriis ministrare, aut præci-rum auxilio adesse nonnullis ut oderint; aut materiæ deo-rum attribuere furentium curationem ac non Deo! Ar enim a Dei cultu homines avertunt, dum eos adducunt c herbis et radicibus fidem habeant. Deus autem, si hæc ad efficiendum creasset quod hominibus libet, malarum se rerum opifex esset. Verum ipse omnia bene se haben-creavit; sed dæmonum intemperantia iis quæ in mu-sunt, ad male agendum abusa est: eorumque est nequ-species, non perfecti Dei. Quo enim pacto vivus ego t-nime sim malus, mei autem mortui, nihil agente me, re-liquiæ, quæ non moventur, imo nec sentiunt, aliquid quod sentiatur efficiant? Et qui morte miserrima mortuus est, quomodo poterit ad alterius ultionem operam navare? Hoc enim si ita esset, multo magis a se ipso proprium inimicum propulsaret: nam qui opem etiam aliis ferre potest, mu-magis sui ipsius ultor erit.

XVIII. Medicandi autem ratio et quidquid ea contine-ejusdem est artificii. Nam si quis materia curatur ei co-fidens, multo magis curabitur si ad virtutem Dei confugi-Quemadmodum enim ea quæ nocent compositiones su-materiales, sic et quæ sanant ejusdem sunt naturæ. Qu-si deteriorem materiam recusamus, sæpe nonnulli etiam per malæ alicujus rei cum alia conjunctionem mederi co-nantur, et malis ad bonum abutuntur. Sed quemadmodum is qui cum latrone cœnavit, etiamsi ipse non sit latro, qui tamen convivatus est, pœnæ fit particeps: sic qui minime malus est, sed cum eo quod malum est implicatur, coqu-

ad opinatum bonum utitur, propter commercium, quod cum eo habuit, a Deo judice condemnabitur. Cur enim qui materiæ dispositioni credit, Deo non vult credere? Aut quam ob causam ad potentiorem dominum non accedis, sed potius ipse tibi mederis, ut canis gramine, cervus vipera, sus cancris fluvialibus, leo simiis? Cur iis quæ in mundo sunt divinitatem tribuis? Cur proximum sanans, beneficus vocaris? Verbi potentiam sequere? Non sanant dæmones, sed arte homines capiunt et in servitutem redigunt. Ac recte admirandus ille imprimis Justinus eos latronibus similes esse declaravit. Quemadmodum enim nonnullos isti vivos capere solent, ac deinde suis eos pretio restituere; sic et qui existimantur dii, postquam nonnullorum corporibus obrepsere, ac deinde opinionem præsentiæ suæ per somnia fecere, in publicum eos prodire jubent, ac omnibus spectantibus, cum rebus mundanis potiti fuerint, ab ægris avolant, et morbo quem inflixerant deleto, hominem pristinæ valetudini restituunt.

XIX. Cæterum vos qui hæc non perspicitis, a nobis qui perspicimus, discite. Qui mortem a vobis contemni et animum nihil extra se quærentem exerceri dicitis, (Vestri enim philosophi tantum absunt ab hoc studio, ut quotannis nonnulli a Romanorum rege sexcentos aureos accipiant, nullam ad rem utilem, sed ne gratis barbam promissam gerant. Crescens quidem ille, qui in magna urbe nidum posuerat, puerorum amore superabat omnes, et omnino pecuniæ studio attentus erat. Iste autem mortis contemptor ita mortem metuebat, ut eam Justino, non secus ac mihi, veluti malum aliquod, machinationibus inferre conatus sit, quia veritatem prædicans gulæ et fraudis philosophos arguebat. Quosnam autem philosophorum, nisi nos solos insectari solebat?) si mortem metuendam non esse dicitis, decretis nostris consentientes; ne mortem, ut Anaxarchus, propter insanum

hominum laudis amorem appetatis, sed propter Dei cogni-
tionem, contemptores mortis efficiamini. Mundi enim con-
structio præclara, sed prava in eo vivendi ratio; ac vide-
est eos qui Deum ignorant, tanquam in solemni conv-
admiratione et plausu excipi. Quid enim est divinatio;
ab ea decipimini? Ministra est tibi vigentium in mundo c-
piditatum. Vis bellum gerere, et Apollinem consiliar-
cædium capis. Vis rapere virginem, et dæmonem tibi
auxilio venire. Ægrotas per te ipse, et ut Agamemno-
cem consiliarios, ita deos tibi cupis adesse. Quædam
aqua pota, et adhibito thure amens fit : hanc tu vatic-
dicis. Præscius erat futurorum Apollo et vaticinantium
gister: se ipse in Daphne frustratus est. Quercus, dic
divinat, rursumque aves futura prænuntiant? Tu vero
malibus et plantis ignobilior es? Præclarum tibi erat
lignum præsagum et avium volatum sumere! Qui te
avarum, idem et de re facienda vaticinatur : qui sedi-
et pugnas excitat, idem et de belli victoria prædicit.
turbationes animi viceris, omnia quæ in mundo sunt con-
temnes. Cum tales simus, nolite nos odio prosequi;
dæmonibus rejectis, solum Deum sectamini: « Omnia
» ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil[1]. » Si
autem veneni est in his quæ nascuntur, id propter pec-
tum nostrum supervenit. Horum imaginem demonst-
licet; tantum vos auscultate, et qui credit intelliget.

XX. Etiam si te pharmacis cures, quod quidem tibi
indulgentiam concedo; oportet tamen ut testimonio
rem Deo assignes. Trahit enim nos adhuc mundus, et
teriam propter imbecillitatem quæro. Alæ enim erant
mæ Spiritus sanctus, quem cum peccando projecisset,
lavit instar pulli, et humi decidit : cœlesti autem conv-
delapsa, inferiorum commercium appetivit. Transmigra-

[1] Joan. 1, 3.

dæmones, primi homines ejecti sunt; ac isti quidem e cœlo detrusi, hi autem e terra, non ista quidem, sed hoc rerum ornatu præstantiore. Deinceps oportet ut, antiquæ conditionis desiderio commoti, quidquid obstat removeamus. Non enim infinitum est cœlum, o bone, sed finitum, et terminis circumscriptum. Supra illud autem sæcula præstantiora, quæ tempestatum, ex quibus varii morbi nascuntur, vicissitudinem nesciunt, sed temperie omni prædita diem habent perpetuum ac lumen nostris hominibus inaccessum. Qui autem terræ descriptiones elaboraverunt, ii, quantum homini fas erat, regiones descripserunt; sed cum non haberent quod de iis quæ ultra sunt dicerent, propterea quod invisi non possint, maris æstus causati sunt, et quod marium aliud alga, aliud luto plenum sit, et locorum alia torrida, alia frigida et gelu concreta. Nos autem quæ a vobis ignorantur per Prophetas didicimus; qui quidem cum certo tenerent corpus simul cum anima indumentum cœleste mortalitatis immortalitatem adepturum, plurima cæteris animabus abscondita prænuntiabant. Potest autem quisquis nudus est hoc ornamentum consequi et ad veterem cognationem redire.

XXI. Non enim desipimus, o Græci, nec nugas prædicamus, Deum sub hominis forma natum nuntiantes. Qui nobis convicium facitis, fabulas vestras conferte cum nostris narrationibus. Deiphobus erat, ut ferunt, Minerva propter Hectorem, et in gratiam Admeti intonsus Apollo flexipedes boves pascebat: anusque venit ad Semelem Jovis conjux. Qui talia excolitis, quomodo nos irridetis? Obiit Æsculapius vester, et qui quinquaginta virgines una nocte Thespiis violavit, cum se voraci flammæ tradidisset, vitam reliquit. Prometheus Caucaso affixus pœnas ob collatum in homines beneficium persolvit. Jupiter secundum vos invidus est et somnium hominibus abscondit, eos perire

volens. Quapropter propria monumenta intuentes, illos nos, ut similia fabulantes, approbate. Ac nos quidem desipimus : vestra autem meræ sunt nugæ. Si generationem deorum memoratis, etiam mortales eos declar[illegible] Cur enim nunc Juno non prægnat? Utrum consenuit deest qui vobis nuntium afferat? Credite nunc mihi Græci, nec fabulas, nec deos vestros ad allegoriam trah[illegible] Nam si id facere tentetis, vestra etiam a vobis [illegible] evertuntur. Vel enim dæmones improbis sunt moribus tales sunt quales apud vos dicuntur; vel si transfer[illegible] ad naturam, non ii sunt qui dicuntur. Equidem ad [illegible]dam elementorum naturam nec adducar ipse, nec [illegible]quam adduxerim. Metrodorus autem Lampsacenus [illegible] de Homero stolide prorsus disseruit, omnia ad ph[illegible]giam revocans. Nam nec Junonem, nec Minervam, [illegible] Apollinem id esse dicit quod existimant qui ædes [illegible] templa constituerunt, sed naturæ partes et elementorum dispositiones. Hectorem etiam et Achillem et Agamemnonem, ac omnes omnino Græcos et barbaros cum Helena et Paride, ad eamdem naturam referri dicetis, et artis [illegible] dispensationis causa introductos fuisse, cum prædictorum hominum nullus extitisset. Atque hæc quidem animi [illegible] protulimus; nostram enim Dei cognitionem ne c[illegible] quidem fas est cum iis qui in materia et luto volutan[illegible]

XXII. Quales enim sunt disciplinæ vestræ? Quis [illegible] rideat solemnes vestros et publicis peractos sumptibus [illegible]dos, qui pravorum dæmonum occasione celebrati, homines in ignominiam impingunt? Vidi sæpenumero quemdam cum viderem miratus sum, et postquam miratus sum c[illegible]tempsi, ut qui alius sit intus, foris autem id quod non [illegible] mentiatur : hunc, inquam, vidi luxu valde diffluentem mollitie omni fractum, ac modo oculis rutilantem, modo manus huc et illuc versantem et lutoso vultu insanientem

nunc Veneri, nunc Apollini similem; unum omnium orum accusatorem, superstitionis compendium, vitupetorem actionum heroicarum, cædium histrionem, adulrii monstratorem et avaritiæ, cynædorum doctorem, ocsionem sententiarum capitalium; eumdem tamen ab nnibus laudatum. Ego autem illum omnia mentientem, jusque impietatem et studia, ac totum denique hominem ejeci. Vos autem capiunt ejusmodi homines: et qui communia vobiscum studia non habent, eos conviciis exagitatis. Hiare nolo multis canentibus: ab eo qui innuit oculis et movetur præter naturam, nolo me in eosdem affectus vocari. Quid mirabile apud vos aut egregium peragitur? Resonante naso turpia loquuntur: moventur indecore: et dum in scena mœchandi artem docent, filii vestri spectant ac filiæ. Præclara apud vos auditoria, quidquid nefarie noctu perpetratur prædicantia, et turpium sermonum declamationibus auditores oblectantia! Laude etiam digni sunt mendaces poetæ vestri, qui etiam per gestus fucum auditoribus faciunt.

XXIII. Vidi homines corporis exercendi studio aggravatos et pondus carnium suarum circumferentes, quibus præmia et coronæ, adhortantibus eos agonothetis, proponuntur, non ad præclarum facinus, sed ad faciendæ injuriæ et excitandæ discordiæ contentionem; et qui magis percussor fuerit, coronatur. Atque hæc quidem minora sunt mala: majora autem quis non dicere refugiat? Quidam, inertiam profitentes, propter luxuriam seipsos vendunt occidendos. Vendit se pauper: emit dives homicidas: sedent qui testimonium de his ferant, ac singulare certamen ineunt gladiatores nullam ob causam; nec quisquam descendit qui auxilietur? An hæc præclare a vobis peraguntur? Qui enim inter vos dignitate præstat, exercitum homicidarum colligit, seque latrones alere profitetur. Prodeunt ab

eo latrones, vosque omnes ad spectaculum convenitis, judices futuri, partim agonothetæ improbitatis, partim ipsorum gladiatorum. Dolet qui cædi non interfuit, si spectandis nefariis et impiis et scelestis facinoribus fuerit damnatus. Occiditis animalia ut carnem edatis, homines emitis ut humanæ carnis epulum apponatis animæ, eamque valde impia sanguinis effusione pascatis. Occidit latro ut accipiat : dives emit gladiatores ut occidat.

XXIV. Quid me juverit ille apud Euripidem furiosus Alcmæonem matricidam agens; qui nec oris sui formam retinet, ac majorem in modum hiat, ensemque circumfert, clamansque incenditur, et stolam inhumanam gerit? Valeant Hegesilai fabulæ; valeat Menandri lingua versuum conditoris. Quid est quod fabulosum tibicinem admirer, et Aristoxenus de Thebano Antigenide curiosius laboret? Concedimus vobis res inanes. Vos ergo vel credite dogmatibus nostris, vel nostra nobis similiter relinquite.

XXV. Quid magnum aut mirabile faciunt apud vos philosophi? Alterum humerum negligunt, plurimam demittunt comam, barbam alunt, ungues ferinos circumferunt. Atque nullius quidem sese dicunt egere; sed tamen, Protei more, coriario indigent propter peram, textore propter vestem, lignario propter baculum, divitibus propter ingluviem, coquo. O canis æmulator homo, Deum ignoras, et ad belluarum imitationem declinas : qui publice clamas, non sine quadam hominis haud egeni confidentia, ulcisceris te ipsum, ac nisi accipias conviciaris; tibique fit ars lucrandi philosophia. Platonis decreta sequeris? Ecce tibi Epicureus sophista palam et aperte adversatur. Rursus Aristotelem vis sectari; tibique Democriti sectator aliquis conviciatur. Pythagoras Euphorbum se fuisse ait, et Pherecydis doctrinæ est hæres. Aristoteles animæ immortalitatem exagitat. Vos autem qui tumultuosas habetis dogmatum successiones

iscordes cum concordibus pugnatis. Est qui Deum corpus se dicat, ego incorporeum; mundum esse indissolubim, ego dissolvendum; conflagrationem variis temporibus venire, ego semel eventuram; judices esse Minoem et hadamanthum, ego Deum ipsum; solam animam immorilitate donari, ego carnem quoque cum anima. Quid vos edimus, o Græci, aut cur eos qui Verbum Dei sequuntur, inquam scelestissimos odistis? Carnem humanam non ediius; falsi testes estis, qui edocti estis ut id diceretis. Apud os fit Pelops deorum cœna, quamquam a Neptuno amatus; aturnus filios devorat; Jupiter Metim deglutit.

XXVI. Desinite alienos sermones velut in triumpho ostenre, et velut gracculus pennis ornari non vestris. Unaquæ1e civitas si propriam a vobis dictionem repetitum veniat, estra vos deficient sophismata. Dum quæritis quid sit Deus, iid in vobis agatur ignoratis, et in cœlum hiantes in foveas eciditis. Similes sunt labyrinthis librorum vestrorum peractationes, et qui eos legunt Danaidum dolio. Quid mihi mpus dividitis, aliud quidem præteritum dicentes, aliud æsens, aliud futurum? Quomodo enim futurum elabi pos-, si præsens adest. Sed quemadmodum navigantes prærlabente nave putant præ imperitia montes currere; ita vos non perspicitis vos quidem prætercurrere, ævum aum stare, quamdiu illud esse voluerit qui creavit. Cur enim ea exponens incusor, et cur mea omnia evertere studetis? onne enim simili ac nos modo nati estis, ejusdem mundi lministrationis participes? Cur sapientiam apud vos esse los dicitis, cum nec alium solem, nec alios siderum ors, nec generationem præstantiorem, nec mortem præter eteros homines eximiam habeatis? Initium nugandi vobis ere grammatici, et qui sapientiam dividitis, a vera sapien- abscissi estis, ac partium illius nomina hominibus attriistis. Ac Deum quidem ignoratis: dum autem inter vos

digladiamini, vos invicem evertitis. Propterea nihil præ-
estis omnes; et quamvis sermones vobis quasi proprie
vindicetis, velut cæcus cum surdo disseritis. Quorsum
netis fabrilia instrumenta, qui fabricari non scitis? Ser-
mones profitemini, qui longe ab operibus distatis?
nimirum inflati, in calamitatibus autem demissi. Habi-
tiones vestræ speciem a ratione alienam; nam in p
cum pompa inceditis, sermones autem in angulis occ
tis. Missos vos fecimus cum tales cognosceremus; ne
de vestris rebus quidquam adtingimus, sed verbum
sectamur. Cur enim, o bone, litterarum bellum excit
earum pronuntiationes tanquam in pugilatu, attri-
butiendo, collidis, cum te magis apte ad naturam
deceret? Nam si, cum Atheniensis non sis, sermone
cum affectas, dic mihi cur non doricum? Cur alter
barbarus videtur, alter ad colloquia hilarior?

XXVII. Quod si te istorum tenet eruditio; cur mihi
matum quæ mihi placent, opiniones eligenti bellum ind-
cis? Quomodo enim non absurdum latrones pro-
ter nomen illud quo appellantur, non puniri
veritas diligenter explorata fuerit; nos autem per
patam ex conviciis sine examine opinionem odio h
Diagoras Atheniensis erat, sed ei pœnam irrogastis,
Atheniensium mysteria vulgasset : et qui Phrygios
legitis libros, odio nos habetis; qui Leonis comment
servatis, moleste fertis vos a nobis argui; et qui App
de diis Ægyptiis opiniones apud vos habetis, nos tanq
impiissimos putatis exterminandos. Sepulcrum Jovis
pii apud vos monstratur, licet quidam Cretenses
dicat. Nihil est illa multitudinis deorum congregatio. Q
vis Epicurus eorum contemptor tædiferi munere fung
nihilo magis quid de Deo ejusque universorum princ
sentiam, principes et magistratus celabo. Quid mihi

ut meum institutum mentiar; et qui mortem a te con-mni dictitas, cur hortaris ut eam astu declinem? At ego r cervi non habeo : vestrarum autem litterarum studia ıuacissimum Thersitem imitantur. Quomodo credam di-nti solem esse massam ignitam lunamque terram? Hæc ım verborum pugna sunt, non veritatis illustratio. Quo-odo enim non stultum Herodoti de Herculis historia libris edere, terram superiorem prædicantibus, ac inde delap-m leonem quem Hercules occidit? Quid enim prodest ylus atticus et philosophorum sorites, et syllogismorum obabilitates et terræ mensuræ et astrorum positiones et lis cursus? Ejusmodi enim quæstionibus occupari homi-ım est sibi dogmata instar legis imponentium.

XXVIII. Quapropter vestras quoque legum institutiones ntempsi. Unam enim oportebat esse et communem om-um vivendi normam. Nunc autem quot civitates, tot le-ım institutiones; ita ut quæ apud nonnullos turpia sunt, ud alios sint præclara. Græcis nimirum fugiendum vide-r ne quis cum matre conjungatur : at id præclarissimum ud Persarum magos institutum. Puerorum amor a bar-ıris damnatur, a Romanis autem prærogativa donatur, ıi puerorum greges, instar equorum gregalium, cogere ıdent.

XXIX. Hæc cum vidissem ac præterea mysteriorum ırticeps factus, varias ubique religiones, quæ quidem ab feminatis et androgynis procurantur, explorassem; cum-ıe reperissem Latiarem apud Romanos Jovem cruore hu-ano et sanguine ex homicidiis delectari; Dianam non ocul Megalopoli similes actiones profiteri, et aliorum ibi dæmonum molitione multa nefarie fieri; ut me ipse llegi, quomodo verum invenire possem inquisivi : cum-ıe animum per optima quæque versarem, forte in quos-ım barbaricos libros incidi, antiquiores quam ut cum

Græcorum disciplinis, diviniores quam ut cum eorum erroribus conferri possint. Usu mihi evenit ut his fidem haberem propter dicendi genus minime arrogans, scriptorum ingenium artificii expers, universi creationis explicationem captu facilem, futurorum præcognitionem, præceptorum excellentiam, ac singularem universorum principatum. Itaque mente mea divinitus edocta intellexi ista quidem condemnationi affinia esse, ab his autem servitutem illam quæ in mundo est, dissolvi, nosque a multis principibus et infinitis tyrannis liberari, ac dono augeri non illo quidem alias non concesso, sed quod acceptum retinere error non siverat.

XXX. Horum cognitione initiatus et instructus, volo instar puerorum infantium exui et nudari. Nequitiæ enim naturam minimorum seminum naturæ similem esse scio, quippe cum ex parvis momentis iste corroboretur; rursus tamen dissolvendus, si verbis Dei fidem adjungamus, et nos ipsi dissipemus. Nostra enim invasit ope occulti cujusdam thesauri, quem dum fodimus, pulvere quidem impleti sumus, ipsi autem consistendi copiam præbuimus. Omnia enim suam possessionem esse ducens, pretiosiores divitias in suam potestatem redegit. Atque hæc quidem nostris dicta sint. Vobis autem Græcis quid aliud dicam, nisi ut ne melioribus convicium faciatis, nec, si barbari dicuntur, inde ansam arripiatis cavillandi? Nam cur alii aliorum linguam invicem intelligere non possint, causam, si vultis, reperire poteritis. Nostra enim inquirere si velitis, facilem vobis copiosam narrationem instituam.

XXXI. Nunc autem convenire arbitror, ut philosophiam nostram Græcorum disciplinis antiquiorem esse demonstrem. Termini nobis erunt Moses et Homerus, quod uterque sit vetustissimus, ac iste quidem poetarum et historicorum antiquissimus, hic autem barbaræ omnis sapientiæ princeps.

Eos ergo in comparationem vocemus. Nostra enim reperiemus non solum Græcorum disciplinis, sed etiam litterarum inventione antiquiora. Testes autem non domi assumam, sed potius Græcis utar adjutoribus. Alterum enim insulsum, quia ne admittendum quidem a vobis est. Alterum vero admirabile ostenditur, si vestris vobiscum armis pugnans, non suspecta a vobis argumenta desumam. Nam de Homeri poesi, ejusque genere, et tempore quo floruit, nvestigarunt antiquissimi, Theagenes Rhegius, qui regnante fuit Cambyse; Stesimbrotus Thasius, Antimachus Colophonius, Herodotus Halicarnasseus, et Dionysius Olynthius. Post hos Ephorus Cumæus, Philocorus Atheniensis, Megaclides et Chamæleo Peripatetici : deinde grammatici Zenodotus, Aristophanes, Callimachus, Crates, Eratosthenes, Aristarchus, Apollodorus. Ex his Crates Homerum ante Heraclidarum reditum floruisse ait, intra annos post bellum Trojanum octoginta; Eratosthenes, post annum centesimum ab Ilio capto; Aristarchus, circa Jonicam migrationem, quæ post Troica annis centum et quadraginta contigit; Philochorus, post Jonicam migrationem, Archonte Athenis Archippo, annis post Iliaca centum et octoginta; Apollodorus, post Jonicam profectionem annis centum, id est, post Iliaca ducentis et quadraginta. Quidam illum ante Olympiades vixisse dixerunt annis nonaginta, id est, post Trojam captam trecentis supra decem et septem. Alii tempus infra deducunt, et Homerum Archilocho æqualem fuisse dicunt : floruit autem Archilochus circa Olympiadem vigesimam tertiam tempore Gygis Lydi, annis a bello Trojano quingentis. Atque hæc quidem a nobis de prædicti poetæ, id est, Homeri ætate, ac eorum qui de ipso loquuti sunt dissensione, satis multa his qui diligenter investigare possunt, et breviter et compendiose dicta sint. Falsi enim argui possent et quæ de rebus ipsis feruntur opiniones. Ubi enim

hominem

tionem, (

structio

est eos (

administ

ab ea d

pidita

cadum

auxili

cum (

aqua

dicis

gistr

divi

mal

ligi

aw

et

tr

te

d

...nes, primi homines ejecti sunt; ac isti quidem e cœlo
...si, hi autem e terra, non ista quidem, sed hoc rerum
...u præstantiore. Deinceps oportet ut, antiquæ condi-
... desiderio commoti, quidquid obstat removeamus.
... enim infinitum est cœlum, o bone, sed finitum, et ter-
... circumscriptum. Supra illud autem sæcula præstan-
..., quæ tempestatum, ex quibus varii morbi nascuntur,
...itudinem nesciunt, sed temperie omni prædita diem
...nt perpetuum ac lumen nostris hominibus inaccessum.
...autem terræ descriptiones elaboraverunt, ii, quantum
...ni fas erat, regiones descripserunt; sed cum non ha-
...nt quod de iis quæ ultra sunt dicerent, propterea
... invisi non possint, maris æstus causati sunt, et quod
...um aliud alga, aliud luto plenum sit, et locorum alia
...da, alia frigida et gelu concreta. Nos autem quæ a vo-
...gnorantur per Prophetas didicimus; qui quidem cum
... tenerent corpus simul cum anima indumentum cœ-
... mortalitatis immortalitatem adepturum, plurima cæ-
... animabus abscondita prænuntiabant. Potest autem
...uis nudus est hoc ornamentum consequi et ad vete-
...cognationem redire.

XI. Non enim desipimus, o Græci, nec nugas prædi-
..., D...um sub homi... forma natum nuntiantes. Qui
... s vestras c... forte cum nos-
... at, ut f... erva prop-
... neti ... llo flexi-
... ver... em Jovis
... nod... tis? Obiit
... gi... una nocte
... n... set, vitam
... x... collatum
... ndum vos
... eos perire

volens. Quapropter propria monumenta intuentes, saltem nos, ut similia fabulantes, approbate. Ac nos quidem non desipimus: vestra autem meræ sunt nugæ. Si generationem deorum memoratis, etiam mortales eos declaratis. Cur enim nunc Juno non prægnat? Utrum consenuit, an deest qui vobis nuntium afferat? Credite nunc mihi, Græci, nec fabulas, nec deos vestros ad allegoriam trahite. Nam si id facere tentetis, vestra etiam a vobis numina evertuntur. Vel enim dæmones improbis sunt moribus, tales sunt quales apud vos dicuntur; vel si transferuntur ad naturam, non ii sunt qui dicuntur. Equidem ad celestem elementorum naturam nec adducar ipse, nec quemquam adduxerim. Metrodorus autem Lampsacenus in libro de Homero stolide prorsus disseruit, omnia ad physiologiam revocans. Nam nec Junonem, nec Minervam, nec Apollinem id esse dicit quod existimant qui ædes illis et templa constituerunt, sed naturæ partes et elementorum dispositiones. Hectorem etiam et Achillem et Agamemnonem, ac omnes omnino Græcos et barbaros cum Helena et Paride, ad eamdem naturam referri dicetis, et artis ... dispensationis causa introductos fuisse, cum prædictorum hominum nullus extitisset. Atque hæc quidem animi causa protulimus; nostram enim Dei cognitionem ne conferre quidem fas est cum iis qui in materia et luto volutantur.

XXII. Quales enim sunt disciplinæ vestræ? Quis ... rideat solemnes vestros et publicis peractos sumptibus ... dos, qui pravorum dæmonum occasione celebrati, homines in ignominiam impingunt? Vidi sæpenumero quemdam, ... cum viderem miratus sum, et postquam miratus sum contempsi, ut qui alius sit intus, foris autem id quod non ... mentiatur: hunc, inquam, vidi luxu valde diffluentem, mollitie omni fractum, ac modo oculis rutilantem, modo manus huc et illuc versantem et lutoso vultu insanientem

corporibus. Vestra autem invidiæ plena ac plurimæ socordiæ.

XXXIII. Quapropter ex iis rebus, quas vos in pretio habetis, planum facere decrevi, nostra instituta temperantiam servare, vestra vero insania referta esse. Nam qui nos inter mulieres et adolescentes, inter virgines et anus nugari dicitis, et quia vobiscum non sumus, irridetis; quid nugarum ferant res Græcorum audite. Nugantur enim eorum artes, dum majore in pretio sunt quam vestri dii, et circa gynæceum indecore vos geritis. Praxillam enim, quæ nihil utile carminibus dixit, æream fecit Lysippus; Learchidem Menestratus, Sappho meretricem Silanion, Erinnam Lesbiam Naucydes, Boiscus Myrtidem, Myrum Byzantiam Cephisodotus, Praxigoridem Gomphus, Clitum Amphistratus. Quid enim dicam de Anyta, Telesilla et Mystide? Primæ Euthycrates et Cephisodotus, secundæ Niceratus, tertiæ Aristodotus, opifices fuerunt; Mnesarchidis Ephesiæ Euthycrates, Corinnæ Silanion, Thalarchidis Argivæ Euthycrates. Has recensere volui, ne quid novi apud nos existimetis fieri, atque ut obversantia oculis monumenta comparantes, eas quæ apud nos philosophantur non irrideatis. Ac Sappho quidem meretrix et impudica muliercula; ac suam ipsius lasciviam canit. At omnes pudicæ apud nos sunt, et circum cola virgines, multo præclarius quam vestra illa puella, divina oracula pronuntiant. Quapropter pudere vos debet, quod ipsi quidem mulierculárum discipuli sitis, mulieres autem instituto nostro addictas, cum solemnibus quas illæ obeunt conventibus exagitetis. Qualem enim vobis et quam præclaram prolem edidit Glaucippe, quæ monstrum peperit! quemadmodum demonstrat illius statua, opifice Nicerato Atheniensi Euctemonis filio. Etsi enim elephantem peperit Glaucippe, quid causæ est cur publico honore perfruatur? Phrynen vobis meretricem Praxiteles et Herodotus fecerunt,

Pantheuchydem e scortatore gravidam Euthycrates. Besantidem Pæonum reginam, quod nigrum infantem peperisset, arte sua Dinomenes hominum memoriæ commendavit. Le autem et Pythagoram, qui Europam tauro imposuit, et vos condemno, qui Jovis accusatorem honore ob ipsius artem afficitis. Rideo et Myronis artem, qui buculam effinxit, eique victoriam imposuit, quod rapta Agenoris filia adulterii et intemperantiæ præmium reportasset. Glyceram meretricem et Argivam psaltriam Herodotus Olynthius expressit. Bryax-Pasiphaen statuit, cujus lasciviam commemorantes tantum non studio habetis, ut tales sint hodie mulieres. Quædam Melanippe sapiens erat, eamque idcirco Lysistratus effinxit: at vos sapientes esse apud nos mulieres non creditis.

XXXIV. Egregius sane Phalaris tyrannus, qui pueros lactentes vorans, Polystrati Ampraciotæ arte etiamnunc, quasi vir quidam admirandus, monstratur. Ac talem quidem illius vultum Agragantini ob humanæ carnis esum intueri reformidant; at qui eruditioni dant operam, gloriantur quod eum per imaginem adspiciant. Annon flagitiosum est fraternam cædem apud vos honorari, qui Polynicis et Eteoclis imagines aspicitis, ac non potius eas cum opifice Pythagora defodistis, ut nequitiæ monumenta interirent? Quæ causæ est cur mulierem tringinta pueros enixam, pro Periclymenum, veluti admirandum quidpiam, intuear contempler! Nam cum multæ intemperantiæ fructus tulset, præclarum erat illam detestari, utpote illi apud Romanos Scrophæ assimilatam, quæ et ipsa sacrum aliquem tum ob similem partum fertur assequuta. Mœchatus Mars cum Venere, et natam ex illis Harmoniam An vobis expressit. Sophron, qui nugas et ineptias litteris m davit, clarior fuit ob æream fabricam, quæ etiamnum stat. Fabulatorem Æsopum immortalitati non solum fal commendarunt, sed etiam Aristodemi ars decus illi et c

britatem conciliavit. Quomodo ergo qui tot poetrias nullam ad rem utilem, innumeras meretrices et tot improbos viros habetis, mulierum apud nos temperantiam calumniari non pudet? Quid præclari fecerim, si Evanthen in Peripato discam peperisse, aut Callistrati arti inhiem, aut in Calliadæ Neæra oculos defigam? Erat enim meretrix. Lais scortata est, eamque Turnus scortationis monumentum statuit. Cur non vobis pudori est Hephæstionis scortatio, quamvis eum Philo affabre expresserit? Aut qua de causa, propter Ganymedem Leocharis, Cynædum, veluti præclarum quidpiam possidentes, honore afficitis? Spilumenen etiam Praxiteles mulierculam effinxit. Satius erat, omnibus ejusmodi rebus amandatis, quæ vere præclara et honesta sunt quærere; nec Philænidis et Elephantidis nefanda inventa adsciscentes, instituta nostra detestari.

XXXV. Hæc equidem non ab alio accepta exposui, qui multas regiones peragravi, ac partim in vestris exercitatus sum disciplinis, partim in artes et inventa multa incidi, ac tandem in Romanorum urbe commoratus, statuarum varietates a vobis illuc exportatas vidi. Non enim, ut plerique solent, alienis opinionibus mea confirmare, sed quæcumque vidi, ea litteris mandare aggredior. Vale igitur dicto et Romanorum jactantiæ, et frigido Atheniensium sermoni, male sartis opinionibus, barbaram nostram philosophiam complexus sum : quæ quomodo vestris institutis antiquior sit cum scribere incœperim, sed propter instantem narrationem distulerim, nunc, cum tempus est, de illius decretis disserere instituam. Ne ergo stomachum vobis faciat eruditio nostra; nec refertam nugis et scurriliter dictis confutationem in nos elaboretis, dicentes : Tatianus supra Græcos, supra infinitam philosophorum multitudinem, novus est barbarorum doctrinæ sectator. Quid enim incommodi homines quorum imperitia monstrata est, nunc ab homine

ejusdem naturæ argui? Aut quid absurdi, more vestri sophistæ, semper aliquid discentes senescere?

XXXVI. Sit sane Homerus non modo non junior Iliacis rebus; sed ipsi bello æqualis, et cum Agamemnone militasse, ac, si quis velit, ante litteras inventas extitisse existimetur. Perspicuum erit prædictum Mosem Trojæ excidio omnino antiquiorem esse multis annis, ut qui Ilii constructionem, et Trois ac Dardani ætatem antecedat. Cujus rei demonstrandæ causa testibus utar Chaldæis, Phœnicibus et Ægyptiis. Quid plura dicam? Oportet enim, ut qui persuadendi operam profitetur, res quasque audientibus breviter et compendiose enarret. Berosus Babylonius, Beli apud Babylonios sacerdos, qui Alexandro æqualis fuit, et tertio post eum Antiocho historiam Chaldæorum tribus libris inscripsit, ac res gestas regum exposuit, quemdam ex iis commemorat nomine Nabuchodonosor, a quo suscepta in Phœnices et Judæos expeditio. Hæc a Prophetis nostris prædicata scimus, ac multo quidem Mosis ætate serius contigisse, annis videlicet ante Persarum imperium septuaginta. Est autem Berosus longe doctissimus scriptor, cujus rei argumentum est, quod Juba de rebus Assyriorum scribens historiam se a Beroso didicisse declarat. Scripsit autem libros duos de rebus gestis Assyriorum.

XXXVII. Post Chaldæos sic se habent res Phœnicum. Extiterunt apud eos tres viri, Theodotus, Hypsicrates, Mochus: horum libros in græcam linguam convertit Lætus, qui et vitas philosophorum accurate conscripsit. In his autem historiis narratur sub quodam rege raptus Europæ, Menelai in Ægyptum adventus, ac res etiam a Chiramo gestæ, qui filiam suam Salomoni Judæorum regi in matrimonium dedit, ac omne lignorum genus ad Templi constructionem suppeditavit. Eadem scribit Menander Pergamenus. Ac Chirami quidem ætas Iliacis rebus vicina est

Salomon autem Chiramo æqualis multo recentior est Mosis ætate.

XXXVIII. Sunt etiam Ægyptiorum tempora accurate descripta, rerumque apud eos gestarum interpres est Ptolemæus, non ille quidem rex, sed sacerdos Mendesius. Is regum res gestas exponens, Judæos sub Amose Ægyptiorum rege ex Ægypto in ea quæ occuparunt loca, duce Mose, profectos esse testatur. Sic autem loquitur: « Amosis autem erat æqualis Inacho regi. » Post hunc Appion grammaticus vir doctissimus, in quarto Ægyptiacorum (sunt enim quinque illius libri) inter alia multa testatur Avarim evertisse Amosis Argivo Inacho *æqualem*, ut in Annalibus scripsit Ptolemæus Mendesius. Tempus autem quod ab Inacho ad Ilii excidium effluxit, ætates implet viginti; idque hoc modo demonstratur.

XXXIX. Hi fuerunt Argivorum reges, Inachus, Phoroneus, Apis, Criasis, Triopas, Argius, Phorbas, Crotopas, Stenelaüs, Danaüs, Lynceus, Prœtus, Abas, Acrisius, Perseus, Stenelaüs, Arreus, Thyestes, Agamemnon, cujus regni anno decimo octavo capta est Troja. Debet autem quisquis sapit diligenter observare, nullum historiæ monumentum apud Græcos, quemadmodum ipsi perhibent, litteris consignatum fuisse. Nam Cadmus, qui litteras eis tradidit, post multas generationes in Bœotiam venit. Post Inachum autem sub Phoroneo vix tandem homines, ab efferata nomadum vita, ad liberaliorem cultum traducti sunt. Quamobrem si Inacho æqualis Moses, annis quadringentis bello Trojano antiquior. Atque id etiam demonstratur ex regum Atticorum, et Macedonum, et Ptolomæorum et Antiochorum successionibus. Unde si post Inachum clariores quæque res gestæ apud Græcos scriptæ ac notæ fuerunt; nimirum etiam post Mosem. Nam Phoroneo, qui successit Inacho, Ogygus apud Athenienses æqualis fuit, sub quo

primum diluvium contigit; Phorbanti autem Actæus, a quo et Actæa dicta Attica regio; Triopæ Prometheus, et Epimetheus, et Atlas, et Cecrops ille Diphyes, et Yo. Sub Cecrope Phaetontis incendium et Deucalionis diluvium. Sub Sthenelo regnum Amphyctionis, Danai in Peloponesum adventus, et Dardania a Dardano condita, et Europæ ex Phœnicia Cretam reditus. Sub Lynceo Proserpinæ raptus, templi in Eleusine constructio, Triptolemi agricultura, Cadmi Thebas adventus, Minois regnum. Sub Prœto Eumolpi bellum adversus Athenienses. Sub Acrisio Pelopis ex Phrygia descensus, et Jonis Athenas adventus, quemadmodum et Cecrops secundus, et Persei ac Bacchi res gestæ, et discipulus Orphei Musæus. Sub Agamemnonis regno captum Ilium.

XL. Ex his ergo perspicitur Mosem vetustis heroibus et bellis et dæmonibus antiquiorem esse. Quamobrem, cum antiquitate præstet, credendum ei potius quam Græcis, qui ex fonte hauserunt, non grato animo, illius dogmata. *Multi* enim apud eos sophistæ, cum curiosius indagarent, quæcumque a Mose, et ab iis qui similiter ac ille philosophati, cognoverunt, ea adulterare conati sunt: primum quidem, ut aliquid proprie suum dicere viderentur; deinde, ut quæ minus intellexerunt, ea disertis quibusdam commentis obvolventes, fabulæ speciem affingerent veritati. De nostro igitur instituto, ac de legum nostrarum historia quænam eruditi apud Græcos dixerint, quamque multi et quales sint qui his de rebus meminere, in libro adversus eos qui de rebus divinis asseveraverunt, demonstrabitur.

XLI. Nunc autem, quod instat, quam diligentissime demonstrandum est, non solum Homero antiquiorem esse Mosem, sed etiam vetustioribus Homero scriptoribus, Lino, Philammone, Thamyride, Amphione, Musæo, Orpheo, Demodoco, Phemio, Sibylla, Creta Epimenide qui Spartam

venit, Aristæo Proconnesio qui scripsit Arimaspia, Asbolo Centauro, Isatide, Drimone, Eumiclo Cyprio, Horo Samio, Prosnautide Atheniensi. Nam Linus Herculis magister fuit: Hercules autem una ætate bellum Trojanum antecedit, ut planum est ex ejus filio Tlepolemo, qui adversus Ilium profectus est. Orpheus autem Herculi æqualis: nam quæ sub illius nomine feruntur, ea ab Onomacrito Atheniensi, qui Pisistratidis regnantibus circa Olympiadem quinquagesimam degebat, composita existimantur. Orphei discipulus fuit Musæus: Amphion autem, cum duabus ætatibus Iliaca antecedat, plura discendi cupidis proferre prohibet. Demodocus et Phemius ipsius belli Trojani tempore fuerunt: erat enim alter apud Procos, alter apud Phæaces. Thamyris et Philammon non multo his antiquiores sunt. Igitur de scriptis ad unamquamque doctrinam spectantibus, ac de temporibus et temporum descriptione, arbitror me satis multa quam accuratissime scripsisse. Sed ut ea etiam quæ hactenus supersunt expleamus, adhuc et de iis qui existimati sunt sapientes, demonstrationem instituam. Minos enim, qui in omni sapientiæ genere, ac prudentia et legum institutione præivisse existimatus est, sub Lynceo Danai successore extitit, undecima post Inachum ætate. Lycurgus, multo post captum Ilium natus, annis centum ante Olympiades Lacedæmoniis leges præscribit. Draco circa trigesimam nonam Olympiadem reperitur extitisse; Solon circa quadragesimam octavam; Pythagoras circa sexagesimam secundam. Olympiades autem annis post Iliaca septem et quadringentis institutas demonstravimus. Sed his ita demonstratis, non jam multa et de septem sapientium ætate adscribemus. Nam cum horum antiquissimus Thales circa Olympiadem quinquagesimam floruerit, ea etiam quæ ad minores natu pertinent, fere a nobis compendiose dicta sunt.

XLII. Hæc vobis, o Græci, ego Tatianus barbaræ philosophiæ addictus composui, natus in terra Assyriorum, et primum quidem vestris disciplinis imbutus, deinde iis quas me profiteor prædicare. Jam vero cum noverim quis sit Deus et quod ejus opus, paratum me vobis ad examen dogmatum exhibeo, manente mihi citra inficiationem colendi Dei ratione.

ATHENAGORAS.

LEGATIO PRO CHRISTIANIS,

DE RESURRECTIONE MORTUORUM

LIBER.

Quapropter lenitatem vestram et mansuetudinem, et in
omnes placabilitatem ac humanitatem admirantes, singuli
quidem æquo jure vivunt; civitates autem pro sua quæ-
dignitate æquabilem honorem sortiuntur, ac universu-
prudentiæ vestræ beneficio, summa pace perfruitur. Nos
autem, qui Christiani dicimur, quia non etiam nobis pro-
videtis, sed nihil agentes mali, vel potius omnium, ut pro-
gressu orationis patebit, sanctissime et æquissime de De-
ac de imperio vestro sentientes exagitari, rapi et vexari si-
nitis, plerisque bellum nobis ob solum nomen inferentibus:
nos, inquam, ipsi res nostras in lucem proferre ausi sumus
(docebit autem vos oratio præter fas ac præter legem ratio-
nem et rationem hæc nos pati), ac vos obsecramus, ut et
de nobis aliquid cogitetis, quo tandem aliquando a syco-
phantis mactari desinamus. Neque enim ad pecunias spec-
tat inimicorum injuria, neque ad mulctam ignominiæ, vel
ad aliud quidpiam rei majoris illata damna (hæc enim con-
temnimus, quamvis studio digna multis videantur; ut qui
non modo non repercutere, nec invadentibus et rapienti-
bus diem dicere, sed istis, etiam si colaphum inflixerint
alteram capitis partem percutiendam præbere, his autem
si tunicam abstulerint, pallium superaddere didicerimus:
sed corporibus ac vitæ nostræ, postquam pecunias pro-
cerimus, insidiantur, criminum acervum in nos effunden-
tes, quæ nobis quidem nec cogitatione tenus, his autem
qui hæc effutiunt, et illorum similibus inhærent.

II. Ac nos quidem magni minorisve criminis si quis ar-
guere habeat, non deprecamur pœnam, sed acerbissimam
et sævissimam quamque nobis infligendam censemus. Si
autem in solo nomine hæret accusatio (hactenus enim quæ
de nobis dictitant, promiscuus est et temerarius hominum
rumor, nec ullus malefacti Christianus convictus est), ve-
trum jam fuerit, maximi et humanissimi et litteratissimi

Reges, injuriam a nobis lege propulsare; ut quemadmodum in toto orbe et unumquemque et civitates beneficia vestra complectuntur, ita et nos gratiam vobis habeamus gloriantes, quod calumniis appeti desierimus. Neque enim vestræ æquitatis est, ut alii quidem, si in judicium de crimine aliquo vocentur, non ante puniantur quam convicti fuerint; in nobis autem plus nomen valeat, quam in judicio argumenta; non id inquirentibus judicibus, utrum reus aliquid mali admiserit, sed nomini, tanquam sceleri, notam inurentibus. Nullum autem nomen in se et sua sponte bonum aut malum censetur; sed propter subjectas illis bonas aut malas actiones, bona aut mala videntur. Sed hæc clarius ipsi perspicitis, utpote in philosophia et eruditione omni versati. Propterea et qui apud vos judicantur, etiamsi maximis de criminibus in judicium vocati fuerint, confidunt tamen, cum futurum intelligant, ut in eorum vitam inquiratis, ac neque nominibus, si inania fuerint, neque accusationum criminibus, si falsa, moveamini, et damnantem sententiam eodem judicii ordine ac absolventem experiuntur. Quod igitur commune jus est omnium, nos quoque postulamus, ut nequaquam odio habeamur et puniamur, quia dicimur Christiani (quid enim nobis hoc nomen ad nequitiam affert?) sed judicemur de quocumque quis vocaverit, ac vel absolvamur refutato crimine, vel convicta improbitate puniamur; non propter nomen (nemo enim Christianus improbus, nisi doctrinam hanc simulate profiteatur) sed propter crimen. Sic et de philosophis judicium ferri videmus, quorum nemo ante judicium, scientiæ aut artis nomine, bonus aut malus judici videtur, sed improbus deprehensus punitur, nullo in philosophiam redundante crimine (improbus enim ille est, qui non legitime philosophatur, scientia extra noxiam) repulsis autem calumniis dimittitur. Nobis quoque servetur hæc juris æquabilitas: inquiratur in

vitam reorum, nomen crimine omni exsolvatur. Necessarium autem mihi est doctrinam nostram defendere incipienti, vos, maximi Imperatores, orare, ut æquis animis audiatis, nec communi et a ratione alieno rumore abrepti præoccupemini, sed vestrum doctrinæ ac veritatis studium nostris quoque rebus concedatis. Cum enim vos nihil imprudentes peccabitis, tum nos etiam postquam ea exuerimus, quæ temerarius multorum rumor affingit, bello impeti desinemus.

III. Tria nobis affingunt crimina, atheismum, Thyesteas cœnas, Œdipodeos concubitus. Quæ si vera sunt, [illegible] parcite generi : pœnas scelerum repetite : radicitus nos cum uxoribus et pueris delete, si quis ferarum ritu vivit. Quanquam belluæ generis sui belluas non tangunt, ac lege naturæ et ad solum procreandæ sobolis tempus, non ad omnem licentiam miscentur, ac eos etiam a quibus sibi bene fit, agnoscunt. Si quis ergo etiam belluis immanior, quamnam ille talium scelerum pœnam persolvens, vel pro meritis puniri censebitur ? Sin autem hæc verba sunt et inanes calumniæ, quæ inde oriuntur quod vitium virtuti adversetur naturali quadam lege, et contraria divina quadam lege inter se pugnent ; si nihil horum a nobis admitti vos testes estis, qui nomen nostrum deferri vetatis ; vestrum jam fuerit de moribus nostris, de doctrina, de nostro in vos ac domum vestram et imperium studio et obsequio inquirere, ac nobis tandem aliquando non amplius juris quam inimicis nostris concedere. Vincemus enim eos ; ut qui nostram etiam pro veritate vitam libenter profundamus.

IV. Quod igitur spectat ad impietatis crimen, quod a merito nobis affingitur (singulis enim criminationibus occurram, ne ridiculum sit eos qui hæc dicunt non arguere) Diagoram quidem merito atheum judicabant Athenienses qui non solum Orphica verba proferebat in medium.

Eleusinia et Cabirorum mysteria vulgabat, et de statua Herculis secabat, ex quo rapas suas coqueret; sed etiam Deum omnino non esse palam et aperte pronuntiabat. Nobis autem, qui Deum a materia disjungimus, et aliud quidem materiam, aliud vero Deum esse, ac plurimo utrumque intervallo distare demonstramus (Deum enim increatum et æternum esse, ac sola mente et ratione cognosci posse; materiam autem creatam et corruptioni obnoxiam), nonne immerito atheorum nomen imponitur? Nam si idem ac Diagoras sentiremus, cum tot ac tanta habeamus Dei colendi pignora, ratum ordinem, perpetuum concentum, magnitudinem, colorem, figuram, descriptionem mundi; merito in atheismi crimen, et in capitis judicium vocaremur. Sed quia doctrina nostra unum Deum agnoscit, qui ingenitus ipse (quod enim est non fit, sed quod non est) omnia per Verbum suum fecit; utrumque præter rationem patimur, ut et male audiamus et vexemur.

V. Ac poetæ quidem et philosophi nequaquam athei visi sunt, cum de Deo quærerent. Euripides de iis qui inscienter ex præjudicata vulgi opinione appellantur dii, dubius et incertus :

Debebat alto Jupiter si est in polo
Haud perculisse rebus adversis probum.

De eo autem, qui scientia percipitur (quemadmodum idem poeta decernens et asseverans) :

Videsne sublimem hunc, qui et immensum æthera,
Ulnisque terras humidis circum tenet.
Jovem æstimabis hunc, hunc deum decernito.

Horum enim nec naturas, quibus nomina imponi solent, subesse,

(Quis namque Jupiter haud scio præter sonum)

nec nomina rebus subjectis imponi videbat. Quorum ergo

nulla subest natura, quid eis prosint nomina? Illum autem invisibilem ex operibus inquirens, ea videbat quæ manifesta sunt in æthere et terra. Cujus ergo exstant opera, cujusque Spiritu reguntur, hunc Deum esse perspiciebat (ei etiam Sophocle, qui dixit :

> Unus profecto est, unus est tantum Deus
> Cœli atque terræ conditor latissimæ,

assentiente circa Dei naturam, quæ divina opera implet pulchritudine), utrumque et ubi Deum esse oporteat, et unum esse oportere demonstrans.

VI. Philolaüs autem tanquam in carcere, omnia a Deo comprehendi asserens, et unum esse, et supra materiam esse demonstrat. Lysis vero et Opsimus Deum definiunt, alter quidem numerum non enarrabilem, alter autem id quo maximus numerus proximum sibi numerum superat. Igitur si maximus numerus, ut Pythagoricis placet, denarius est, utpote quaternarius, ac numerales omnes rationes et harmonicas in se continens, eumque novenarius proxime antecedit; unitas est Deus, id est unus. Unitate enim maximus numerus eum superat qui proxime minor est ipso. Platonis etiam et Aristotelis sententiam exponam. Nec tamen quasi philosophorum placita accurate demonstrans, ita eorum de Deo dicta persequor. Scio enim quantum prudentia et imperii potentia omnes superatis, tanto etiam accurata omnis eruditionis investigatione omnibus præstare, sic in singulis doctrinæ partibus versantes, ut ne ii quidem qui unam aliquam illius partem avellunt, tantum assequantur. Sed quia demonstrari non potest sine appositione nominum Deum non a nobis solis in unitatem includi, converti me ad opiniones. Ait igitur Plato : « Creatorem et patrem hujus » universi invenire difficile est; inventum apud omnes elo- » qui impossibile : » unum ingenitum et æternum intelligens

Deum. Quod si et alios agnoscit, ut solem, lunam et stellas, ut creatos agnoscit : « Dii deorum, quorum ego opifex, » et pater operum, quæ dissolvi non possunt me nolente. » Quidquid autem vinctum est solvi potest. » Si igitur non atheus Plato unum opificem omnium intelligens ingenitum Deum; neque nos athei, a quo omnia per Verbum creata sunt, et cujus spiritu continentur, eum agnoscentes et tenentes Deum. Aristoteles et qui eum sequuntur unum agnoscentes, veluti compositum quoddam animal, ex corpore et anima constantem inducunt Deum; corpus illius assignantes, et fixarum sphæram, quæ in orbem moventur : animam vero, rationem, quæ corporis motui præest, ipsam quidem minime mobilem, sed efficientem ut illud moveatur. Stoici, etsi secundum materiæ mutationes, per quam Dei spiritum dicunt permeare, Deum nominibus multiplicant, re vera unicum statuunt Deum. Nam si Deus ignis est artificiosus ad mundi generationes via progrediens, ac seminales omnes rationes, secundum quas omnia fato eveniunt, in se complectens; si ejus spiritus totum mundum pervadit; unus est secundum illos Deus, qui Jupiter vocatur pro fervida materiæ parte, Juno pro aere, et aliis nominibus designatur pro singulis materiæ quam permeat, partibus.

VII. Cum igitur unum esse Deum, ut plurimum vel inviti fateantur omnes, ubi ad universorum principia venerunt; cumque nos eum a quo hæc universitas ornata est, Deum esse confirmemus; quid causæ est, cur istis impune de Deo dicere quod libuerit et scribere liceat, nobis autem posita sit lex, qui quod et intelligimus et recte credimus unum esse Deum, id veritatis signis et rationibus demonstrare possumus? Nam poetæ et philosophi, ut res alias, ita hanc quoque conjiciendo attigere, ex quadam divini flatus cognatione, a sua quisque mente impulsi, ut tentarent num verum invenire et intelligere possent. Sed tantum in eis fa-

cultatis minime inventum est, ut rem investigatione assequerentur; quippe cum de Deo non ab ipso Deo, sed a se quisque discendum sibi esse existimassent : unde etiam alius aliter statuit et de Deo et de materia et de formis et de mundo. Nos autem eorum quæ perspicimus et credimus testes habemus Prophetas, qui divino Spiritu afflati de Deo ac rebus divinis pronuntiarunt. Atque id quidem ipsi quoque confirmabitis, qui prudentia et pietate in verum numen cæteros superatis, alienum esse a ratione, ut Dei Spiritui, qui Prophetarum ora tanquam instrumenta pulsavit, credere supersedentes, animum ad humanas opiniones adjungamus.

VIII. Unum igitur ab initio esse hujus universi creatorem Deum, ad hunc modum considerate; ut nostram etiam cum fide conjunctam ratiocinationem perspiciatis. Si dee essent ab initio vel plures dii; vel in uno et eodem loco essent, vel in suo quisque separatim. In uno quidem et eodem esse non possent. Neque enim si dii sunt, similes esse possint; sed quia ingeniti, minime similes. Nam quæ genita sunt, exemplaribus similia sunt : ingenita vero dissimilia, cum nec ab alio orta, nec ad aliud expressa sint. Quod si, quemadmodum manus, oculus, pes circa unum corpus versantur, et dum partes complent unum ex se efficiunt, ita Deus unus est: verum illud quidem est Socratem, quatenus genitus et corruptioni obnoxius est, compositum esse et divisum in partes; Deus autem, cum ingenitus sit et perpessionis ac divisionis expers, non sane constat ex partibus. Si vero seorsum quisque fuerint, cum mundi creator supra mundum sit et circa ea quæ condidit et ornavit, alter ubi reliqui ubi erunt? Nam si mundus, cum sit rotundus, cælestibus sphæris concluditur; mundi autem conditor Deus supra opera sua versatur, ad eorum providentiam advigilans; quis erit alterius Dei aut cæterorum locus? Neque enim in mundo est, cum sit alterius; neque circa mundum

supra hunc enim mundi conditor Deus. Si vero neque in mundo est, neque circa mundum (totus enim ille circuitus ab opifice occupatur), ubinam est? supra mundum et Deum? in alio mundo aut circa alium? Sed si in alio est, vel circa alium, non jam circa nos est; neque enim mundi dominatum tenet, nec potestas ejus magna est, cum in circumscripto loco versetur. Quod si neque in alio mundo est (omnia enim ab isto implentur), neque circa alium (omnia enim ab isto tenentur), jam profecto nullus est, cum nihil sit in quo versetur. Aut quid faciet, si cum ab alio mundus teneatur, ipse supra conditorem mundi, nec tamen in mundo aut circa mundum versetur? Sed estne aliud quidpiam in quo stare possit? Verum quis erit iste locus, cum ab opifice quæ sunt supra mundum impleantur? Num etiam providet? Nihil sane ab eo factum, nisi provideat. Quod si nec facit quidquam, nec providet, nec alius est locus in quo versetur; unus est ille ab initio et solus mundi opifex Deus.

IX. Si ejusmodi tantum rationibus niteremur, doctrina nostra nonnullis humana videretur; sed quia Prophetarum vocibus argumenta nostra confirmantur (non enim vobis, qui litteratissimi et doctissimi estis, ignota esse puto Moysis scripta aut Esaiæ, aut Jeremiæ et aliorum Prophetarum, qui mente et animo extra se rapti, impellente Spiritu sancto, quæ ipsis inspirabantur, ea sunt loquuti; utente illis Spiritu sancto velut si tibiam inflet tibicen). Quid igitur illi? « Dominus Deus noster : non comparabitur alius ad illum[1]. » Et rursus : « Ego sum Deus primus et novissimus, et præter me non est Deus. Similis ante me non fuit Deus, et post me non erit. Ego sum Deus et non est præter me[2]. » Et de magnitudine ejus : « Cœlum mihi thronus est, terra vero scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, aut quis locus requietis meæ[3]? » Sed vobis relin-

[1] Esai. XLI, 4. — [2] Esai. XLV, 5; XLIII, 10. — [3] Esai. LXV, 1.

quo ut ipsos libros adeuntes, eorum expendatis oracula, ut consentanea de causa injuriam a nobis propulsetis.

X. Satis igitur demonstratum a me est atheos nos non esse, qui unum ingenitum et æternum tenemus Deum, invisibilem et impassibilem, qui nec capi aut comprehendi potest, qui sola mente et ratione cognoscitur, ac luce et pulchritudine, et spiritu ac potentia non enarrabili circumdatus est, a quo denique omnia per ipsius Verbum et creata et ornata sunt, et conservantur. Agnoscimus enim et Dei Filium. Nec quisquam ridiculum existimet suum Deo esse Filium. Neque enim, ut poetæ fabulantur, qui nihilo meliores hominibus inducunt deos, ita de Deo et Patre aut de Filio sentimus. Sed est Filius Dei Verbum Patris in idea et operatione[1]; ab eo enim et per eum facta omnia, cum Pater et Filius unum sint. Cum autem Pater sit in Filio, et Filius in Patre, unitate et virtute spiritus, mens et Verbum Patris est Filius Dei. Quod si vobis pro summa vestra intelligentia inquirere subeat, quid sibi velit Filius; dicam breviter primam esse Patris progeniem, non quod factus sit (ab æterno enim Deus habebat in se ipso Verbum, utpote ab æterno rationalis), sed quod prodierit[2] ut omnium materialium rerum, quæ instar informis naturæ et inertis terræ, partibus crassioribus commixtis cum levioribus, jacebant, idea et actus foret. Hæc sanctus ipse Spiritus confirmat.

[1] Petavius ex illis verbis, *in idea et operatione*, immerito accusat Athenagoram quod Verbum cum Patre usque ad mundi creationem confundat: nam dictas voces Athenagoras ipse explicat, et ostendit Dei Filium esse Verbum Patris in idea et operatione, quia secundum ipsum et per ipsum omnia creata sunt : adeoque declarat Verbum esse personam Patri æqualem, utpote quæ omnes Patris ideas possideat, et æque ac Pater omnipotens sit.

[2] Ex illo verbo, *prodierit*, nullo modo inferri potest, quod Verbum tum productum fuerit cum mundus creatus est; nam Athenagoras ideo omnia per Filium creata esse dicit, quia Pater et Filius unum sunt : quia una in utroque est divinitas quæ jam ante mundi creationem erat. Hinc non tum Verbum productum esse, sed prodiisse, ut idea et effectio foret.

« Dominus enim, inquit, condidit me initium viarum ejus » ad opera ejus[1]. » Atque ipsum illum Spiritum sanctum, qui in Prophetis operatur, effluentiam Dei esse dicimus, emanantem et redeuntem veluti radium solis[2]. Quis igitur non miretur, cum atheos vocari audiat eos qui Deum Patrem, et Filium Deum et Spiritum sanctum asserunt, ac eorum et in unione potentiam et in ordine distinctionem demonstrant? Neque his tamen theologiæ nostræ ratio continetur : sed et multitudinem angelorum et ministrorum agnoscimus, quos creator et opifex mundi Deus distribuit et ordinavit, ut circa elementa, cœlos, mundum et quæ in eo sunt, eorumque temperationem versarentur[3].

XI. Quod si accurate persequor doctrinæ nostræ rationem, non est quod miremini; nam ne communis vos et a ratione aliena abripiat sententia, atque ut verum videre possitis, idcirco diligens et accuratus sum : si quidem ex ipsis etiam quibus adhæremus præceptis, utpote non humanis, sed a Deo pronuntiatis et traditis, persuadere vobis possumus, ut ne nos atheos existimetis. Quænam sunt igitur illa placita, in quibus enutrimur? « Dico vobis : Diligite inimi» cos vestros, benedicite maledicentibus, orate pro per» sequentibus vos : ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis » est; qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et

rum creandarum ; et ejusdem Verbi æternitati consulit dicens : *Ab æterno enim Deus habebat in seipso Verbum* ; ac proinde et ipse Pater in Verbo.

[1] Prov. VIII, 22.

[2] Athenagoras dum Spiritum sanctum *emanantem et redeuntem* dicit, sabellianismi argui nequit : idem enim hic dicit de Spiritu sancto quod antea de Filio. Sicuti enim Filius ita progressus est ad mundi creationem, ut semper sit in Patre ; ita etiam de Spiritu sancto sentiendum, et paulo post prædicat trium personarum in unione potentiam, et in ordine distinctionem.

[3] Barbeirac in tractatu de Doctrina morali Patrum Athenagoram culpat, quasi acceptum a Platonicis angelorum cultum doceat, et ethnicis suspicionem polytheismi Christianorum ingerat. Verum Athenagoras expresse increatum a creato secernit : unum tantum Deum in tribus personis adorandum astruit, et non nisi æternum Dei nomine donandum statuit.

» pluit super justos et injustos [1]. » Per vos hoc loco mihi liceat, ut apud reges philosophos causam dicenti, in sermonem magno clamore exaudiendum liberius erumpere. Quinam enim, vel ex iis qui syllogismos resolvunt, et ambigue dicta dissolvunt, et voces unde dictæ sint explanant, vel ex iis qui homonyma et synonyma, ac prædicamenta et axiomata, et quid sit subjectum, quid prædicatum docent, atque his et aliis ejusmodi sermonibus beatum auditorem facturos pollicentur; quinam, inquam, ex eis ita puri et insontes vivunt, ut inimicos non modo non oderint, sed etiam diligant, ac iis qui priores maledixerunt, non modo non maledicant, quod tamen moderatissimum videretur, sed etiam benedicant, ac pro iis precentur qui ipsorum vitæ insidiantur? At contra nunquam desinunt malo animo artis suæ arcana sibi ipsis investigare, ac semper mali aliquid facere cupiunt, institutum suum artem verborum, non factorum demonstrationem existimantes. Apud nos autem reperietis imperitos homines, et opifices et anus, si minus verbis præstare possint eam quæ ex doctrina nostra percipitur, utilitatem, at factis eam quæ ex animi inductione proficiscitur, demonstrare. Neque enim verba declamitant, sed recte facta exhibent : percutientem non repercutere, rapienti litem non scribere, petentibus dare, proximum ut seipsum diligere.

XII. Num igitur, nisi Deum humano generi præesse crederemus, ita puri et insontes viveremus? Id profecto dici non potest. Sed quia persuasum habemus reddituros nos totius hujus vitæ rationem ei qui et nos et mundum condidit, Deo; moderatam et humanitatis plenam et aspernabilem vitam sectamur : nihil hic mali, etiamsi quis vitam eripiat, passuros arbitrati, quod quidem cum iis conferendum sit quæ illic a magno Judice ob vitam mansuete et

[1] Matth. v, 44.

benigne et moderate actam consequemur. Dixit quidem Plato Minoem et Rhadamanthum jura daturos et pœnas irrogaturos improbis; nos autem etiam si Minos aliquis aut Rhadamanthus fuerit, etiam si illorum pater, ne illum quidem judicium Dei declinaturum dicimus. Deinde vero qui hanc vitam in his positam putant, « Manducemus et bibamus, cras enim moriemur[1]; » quique mortem gravissimum somnum et oblivionem interpretantur (*somnus enim et mors gemelli*), ii pie existimantur vivere. Nos autem qui hanc vitam instar minimi ponderis habemus; qui hac una re ad futuram perducimur, si Deum ejusque Verbum cognoscamus; tum quæ Filii cum Patre unio, quæ Patris cum Filio communicatio, quid Spiritus, quæ trium unio et in unitate distinctio, Spiritus, Filii, Patris; qui exspectatam vitam multo quam verbis dici possit, præstantiorem esse scimus, si puri ad eam ab omni delicto perducamur; qui humanitatem eo perducimus, ut non amicos solum diligamus : (« si enim diligitis, inquit, eos qui vos diligunt, *et* » mutuum datis iis qui mutuum vobis dant; quam mercedem habebitis[2]? ») tales, inquam, cum simus, ac ejusmodi vitam agamus, ne damnemur in judicio; pie vivere non existimamur? Hæc igitur parva de magnis, et pauca de multis, ne pluribus vobis obstrepamus. Nam qui mel et serum lactis explorant, ex parte exigua de tota re an bona sit dijudicant.

XIII. Sed quia plerique eorum qui nos atheos esse criminantur, cum Dei cognitione ne per somnium quidem informati, sed rudes et ignari naturalium et divinarum rerum, pietatem victimarum norma metiantur, vitio illud etiam nobis vertunt, quod non eosdem ac civitates Deos cognoscamus; spectate, quæso, utrumque, Imperatores; ac primo quidem cur non immolemus. Opifex universorum et parens

[1] Isai. XXII, 13. — [2] Matth. V, 46.

non eget sanguine, nec nidore, nec florum aut suffimentorum odore; sed ipse est suavissimus odor, nec ullius rei intra se indiguus est aut extra : sed victima ei præstantissima si cognoscamus quisnam ille sit qui cœlos extendit et conglobavit, qui terram instar centri stabilivit, qui congregavit aquas in maria, ac lucem a tenebris secrevit, qui astris æthera ornavit, fecitque ut terra omne semen educeret, qui animalia creavit et hominem finxit. Hunc igitur opificem tenentes Deum, qui omnia scientia et arte gubernat et conservat ac inspicit; si puras ei manus tollamus, quod adhuc ei opus est hecatomba?

> Atque illos victimis et precibus mœstis,
> Necnon libamine et nidore placant homines
> Orantes, si quis transgressus fuerit et peccaverit.

Quo mihi holocausta quorum non indiget Deus, cum victimam incruentam offerre et cultum rationalem adhibere oporteat?

XIV. Quod autem queruntur, cur non eosdem ac civitates adeamus et colamus Deos, ineptum sane est. Sed neque ii quidem qui nos atheos esse criminantur, quia non eosdem ac ipsi agnoscimus, inter se de diis consentiunt: sed Athenienses Celeum et Metaniram deos statuunt; Menelaum Macedonii, eique sacrificia et dies festos peragunt; Ilienses vero cum hujus nomen audiant perinviti, Hectorem celebrant; Aristæum Chii, quem eumdem esse ac Jovem et Apollinem putant; Theagenem Thasii, a quo etiam cædes in Olympicis facta; Lysandrum Samii post tot cædes et maleficia, Medeam Alcman et Hesiodus, Nioben Cilices, Philippum Butacidæ filium Siculi, Onesilaum Amathusii, Amilcam Carthaginenses. Deficiet me dies, si singulos percurram. Cum igitur inter se ipsi de diis suis dissentiant, quid nobis crimini vertunt, quod non in easdem ac ipsi opiniones feramur? Quæ autem apud Ægyptios fiunt, nonne

ridicula sunt? In templis enim, cum magnos agunt conventus, pectora feriunt, tanquam ob defunctos, et sacrificant tanquam diis. Neque id mirum, quippe cum ipsas belluas referant in deos, iisque mortuis capillos deponant, easque sepeliant in templis, ac publicos luctus excitent. Si ergo impii sumus, quia non eamdem ac illi pietatem in deos sequimur; civitates omnes, gentes omnes impiæ. Non enim omnes eosdem venerantur deos.

XV. Sed, esto eosdem venerentur. Quid igitur? quia plerique, cum internoscere non possint quid sit materia, quid Deus, et quantum inter utrumque intervallum, supplicant confectis ex materia simulacris; num idcirco nos quoque, qui discernimus et disjungimus ingenitum et genitum, id quod est et quod non est, id quod mente et quod sensu percipitur, et aptum unicuique horum nomen imponimus, adibimus et adorabimus simulacra? Nam si unum et idem materia et Deus, ac duo ejusdem rei nomina; impii sumus, qui lapides et ligna, aurum et argentum non existimemus deos. Sin autem quam longissime et tantum a se invicem distant, quantum artifex et subjectus illius arti apparatus, quid incusamur? Quemadmodum enim figulus et lutum (materia quidem lutum, artifex autem figulus), ita Deus opifex, et quæ ejus arti obsequitur materia. Sed ut lutum per seipsum vasa fieri sine arte non potest; sic omnium formarum capax materia, sine opifice Deo, nec distinctionem, nec figuram, nec ornatum accepisset. Quemadmodum autem figlinum opus pluris non facimus quam figulum, nec phialas et vasa aurea quam fabrum; sed si quid in eis arte elegans, artificem laudamus, isque laudem ex vasis reportat: ita etiam, ubi agitur de materia et de Deo, mundi descriptionis gloriam et honorem non materia sibi merito vendicat, sed materiæ opifex Deus. Itaque si materiæ species existimemus deos, nullum veri Dei sensum

habere videbimur, ut qui æterno adæquemus obnoxia dissolutioni et corruptioni.

XVI. Præclarus quidem mundus tum magnitudine, qua omnia complectitur, tum eorum quæ in obliquo circulo, et eorum quæ circa septentrionem, dispositione, tum etiam figura sphærica; non ille tamen, sed artifex adorandus. Neque enim qui ad vos accedunt subditi, vobis principibus et dominis, a quibus sane ea quibus indigent consequantur, insalutatis, ad palatii vestri magnificentiam confugiunt; sed regiam quidem domum obiter spectantes, præclare adornatam mirantur, vos autem omni prorsus honore prosequuntur : ac vos quidem, Reges, vobis ipsi regias domos adornatis. Mundus autem non ideo factus, quod eo indigeret Deus : omnia enim ipsi sibi Deus est, lumen inaccessum, mundus perfectus, spiritus, potentia, ratio. Quamobrem sive mundus concinnum quoddam est et quod in numerum moveatur instrumentum; eum qui sonos temperat et pulsat, ac numerosum concentum modulatur, non ipsum instrumentum adoro. Neque enim præsides in certaminibus, citharædis prætermissis, citharas eorum coronant. Sive mundus, ut ait Plato, ars Dei est; admirans ejus pulchritudinem ad artificem adeo : sive illius substantia et corpus, ut Peripateticis placet; nequaquam Dei, qui motus corporis auctor est, omisso cultu, ad egena et infirma elementa nos abjicimus, aere, ut ipsi existimant, a perpessione immunem materiam perpessioni obnoxiam adorantes. Sive quis Dei potestates mundi partes existimat; non ad potestates adeo colendi causa, sed ad earum creatorem et dominum. Non ea peto a materia, quibus ipsa caret; nec relicto Deo elementa colo, quibus nihil amplius licet, quam quod jussa sunt : etsi enim visu præclara propter opificis artem, at tamen a materiæ natura discedunt. Testis accedit huic sententiæ ipsæ Plato. « Quod enim cœlum, inquit, et mundum

» appellavit, id multa quidem a Patre felicia consequutum » est; sed tamen corporis est particeps; hinc mutationis » expers esse non potest. » Igitur si cœli et elementorum artem admirans, ea ut deos non adoro, quippe cum impositam illis dissolutionis legem noverim; quorum homines opifices esse scio, ea quomodo appellaverim deos? Rem mihi paucis considerate.

XVII. Necesse est autem causam dicenti, accuratius et de nominibus, ea esse recentia, et de simulacris, heri et nudius tertius, ut ita dicam, facta demonstrare : hæc autem et vos accuratius scitis, ut qui cum omnibus eruditis hominibus, et supra omnes in antiquis scriptoribus versati sitis. Dico igitur Orpheum et Homerum et Hesiodum esse, qui genera et nomina iis quos appellant diis dedere. Testatur id ipse Herodotus. « Hesiodum enim, inquit, et Homerum » annis quadringentis existimo majores natu me esse, nec » pluribus. Hi sunt qui Græcis deorum originem texuerunt, » ac diis cognomina imposuerunt et honores atque artes » distribuerunt, et eorum formas ac figuras designarunt. » Simulacra autem, quamdiu plastice et pictura et ars statuaria non erant, ne cognoscebantur quidem : donec tandem Saurius Samius et Craton Sicyonius et Core virgo Corinthia prodierunt. Ac delineatio quidem a Saurio inventa est, cum is equum ad solem circumscripsisset : pictura autem a Cratone, cum in tabula dealbata umbras viri ac mulieris illevisset : a Core autem coroplastice. Hæc enim, cujusdam amore capta, dormientis umbram in pariete delineavit : tum pater, imagine simillima delectatus (is autem figulus erat), delineationem exculpsit ac luto implevit. Hæc effigies etiamnum servatur Corinthi. His posteriores Dædalus et Theodorus Milesius plasticen et statuariam artem invenerunt. Ætas igitur imaginibus et simulacrorum apparatui tantula est, ut cujusque dei artificem dicere possimus. Nam

Artemidis Ephesiæ simulacrum, et Minervæ, sive Athenæ vel potius Athelæ (Athela enim dicitur ab his qui rem secretius tradunt, sic enim illud ex olea antiquum simulacrum), et Minervam sedentem Endyus fecit Dædali discipulus : Pythius autem opus Theodori et Teleclis : Delius et Artemis, Idectæi et Angelionis ars. Juno Samia et Argiva, Smilidis manus : Phidiæ cætera simulacra. Venus Cnidia meretrix, Praxitelis ars : Epidaurius Æsculapius, opus Phidiæ. Uno verbo nullum est ex his simulacris, quod dici possit factum ab homine non fuisse. Si igitur dii, cur ab initio non erant? cur iis recentiores a quibus facti sunt? Quid hominibus et arte opus habebant, ut fierent? Terra hæc sunt et lapides et materia et ars curiosa.

XVIII. Sed quia dicunt nonnulli simulacra hæc quidem esse, deos autem esse, quorum sunt simulacra; et supplicandi rationem quam simulacris adhibent, et victimas quas illis offerunt, ad deos referri et diis fieri, nec alium esse ad deos accedendi modum (difficile enim est ut *dii clare et aperte videantur*); et quia argumenti loco cur ita se res habeat, nonnullorum simulacrorum efficientias proferunt; age, inquiramus ecquid ex impositis nominibus habeant efficacitatis. Vos autem, orabo, maximi Imperatores, antequam disputationem hanc ingrediar, ut veris ratiocinationibus utenti ignoscatis. Neque enim mihi propositum est simulacra redarguere; sed cum afficta crimina dissolvam, instituti nostri rationem exhibeo. Licet autem ex vobismetipsis cœleste regnum spectetis : quemadmodum enim vobis patri et filio parent omnia, qui cœlitus regnum accepistis (*regis enim anima in manu Dei*[1], inquit propheticus Spiritus), ita Deo ejusque Verbo, quem filium non separabilem esse intelligimus, omnia subjecta. Illud igitur mihi ante omnia perpendite. Ab initio, ut aiunt, dii non erant; sed ita

[1] Prov. xxi, 1.

eorum quisque natus est, ut nos nascimur; qua de re inter eos omnes convenit. Sic enim canit Homerus :

Oceanum deorum originem et matrem Tethyn.

Orpheus autem, qui eorum nomina primus invenit, et nascendi modos persequutus est, et res cujusque gestas narravit, ac verius de rebus divinis pertractasse apud eos existimatus est, quem Homerus in multis, ac præcipue in iis quæ ad deos spectant, imitatur; ipse, inquam, Orpheus primam eorum generationem ex aqua constituit :

Oceanus qui omnibus generatio exstitit.

Aqua enim, secundum illum, omnium principium fuit : ex aqua autem lutum constitit, et ex utroque genitum animal draco, adjunctum habens caput leonis. Horum in medio facies dei, cui nomen Hercules et Chronus. Hic Hercules genuit ovum immensæ magnitudinis, quod cum esset plenum, vehementius a genitore attritum in duas partes disruptum est. Quod superius in eo fuit, cœli formam accepit; quod autem depressum, terræ. Prodiit autem dea Terra corpore instructa. Cœlum autem dum Terræ miscetur, genuit feminas quidem Clotho, Lachesin, Atropon; mares autem centimanos, Cottyn, Gygen, Briareum, et Cyclopes, Brotem, Steropem, Argum : quos etiam constrictos in tartara detrusit, cum se regno a filiis pellendum didicisset. Quapropter irata Terra Titanes peperit.

Filios autem cœlestes genuit veneranda Tellus,
Quos et Titanes cognomine vocant,
Propterea quod ulti sunt Cœlum stellis micans.

XIX. Hoc principium originis fuit, tum eorum quos existimant deorum, tum universarum rerum. Quid hoc igitur sibi vult? Unumquodque enim eorum quibus divinitas tribuitur, ab initio esse intelligitur. Nam si, cum non essent, facti sunt, ut iis placet qui de ejusmodi diis dispu-

discrepant (liquet enim inter res terrenas et ex materia eductas, ac divinum numen, interesse aliquid oportere), non sunt dii. Quid ergo ad eos adimus, qui generantur ut belluæ, facie ferina sunt et deformi?

XXI. Quod si eos carnem tantum habere, et sanguinem ac semen, et iræ ac cupiditatis morbos dicerent; ne hæc quidem oratio nugarum opinionem et risum effugere deberet. Nam nec ira, nec cupiditas, nec semen ad procreandum in Deum cadunt. Constent igitur ex carne, sed tamen ira et furore sint superiores, ne videatur Minerva

Succensens Jovi patri, ira autem illam vehemens ceperat. Il.

Nec Juno hanc speciem exhibeat :

Junonis pectus non continuit iram, sed proloquuta est.
Iliad. Δ, 24.

Sint dolore superiores :

Proh malum! certe dilectum virum fugatum circa murum
Oculis video : meum autem angitur cor. *Il.* X, 168 et 169.

Ego enim etiam homines imperitos et futiles dico, si iracundiæ et dolori cedant. Sed si parens hominumque deumque lugeat filium,

Hei mihi, quod mihi Sarpedonem charissimum virorum
Fatale est a Patroclo Menætiade interfici! *Iliad.* Π, 434 et 4..

nec possit, dum lamentatur, eum periculo eruere;

Sarpedon Jovis filius, ipse autem ne filio quidem suo auxiliatur.
Iliad. Π, 522,

quis non eorum imperitiam incuset qui his fabulis se deorum cultores, vel potius atheos præbent? Carnem habeant, sed Venus nec corpore vulneretur a Diomede :

Vulneravit me Tydei filius superbus Diomedes. *Il.* E, 3..

nec animo a Marte :

Ut me claudum Jovis filia Venus

Semper dehonestat, amat autem perniciosum Martem.
Odyss. Θ, 308, 309.

Cutem autem pulchram dilaceravit. *Iliad.* E, 858.

Terribilis ille in bellis et Jovis adversus Titanes auxiliator, Diomede infirmior apparet.

Furebat autem velut cum Mars hastam vibrans. *Il.* O, 605.

Tace, Homere : deus non furit. Tu vero mihi et cæde inquinatum et perniciosum hominibus,

Mars, Mars, pernicies hominum, cæde inquinate, *Il.* E, 31.

enarras Deum, et illius adulterium describis et vincula :

Illi autem in lectulum ut conscenderunt, dormierunt : vincula [autem
Fabrefacta circumfundebantur prudentis Vulcani,
Neque ullo pacto movere membra poterant. *Od.* Θ, 308, 309.

An non plurimas illas de diis impias nugas projicient? Cœlus castratur : ligatur et in tartarum præcipitatur Saturnus, insurgunt Titanes, Styx moritur in prælio : jam et mortales illos faciunt. Amant se invicem, amant homines :

Æneas, quem sub Anchise peperit diva Venus
Idæ in vertice, Dea mortali mixta. *Iliad.* B, 327, 328.

Nonne amant? Nonne patiuntur? Quatenus enim dii, an eos attinget cupiditas? Etiam si carnem Deus per dispensationem divinam assumat, an idcirco servus erit cupiditatis?

Non enim unquam sic mihi deæ amor, neque mulieris
Animum pectoribus circumfusus domuit :
Neque quando captus fui amore Ixioniæ uxoris,
Neque quando Danaes formosæ Acrisii filiæ,
Neque quando Phœnicis filiæ inclyti,
Neque quando Semeles, neque Alcmenes in Thebis,
Neque quando Cereris pulchricomæ reginæ,
Neque quando Latonæ valde illustris, neque tui ipsius.
Iliad. Ξ, 315.

Genitus est, corruptioni obnoxius est, nec quidquam habet Dei. Quin etiam serviunt hominibus :

O regiam Admeti domum, in qua pertuli
Laudare mensas vernulis deus datas!

et armenta pascunt :

Ingressus hanc terram, hospiti pavi boves,
Domumque servabam hanc.

Est ergo Admetus deo præstantior. O vates et sapiens, et aliis futura præsagiens, non es vaticinatus amasii cædem sed eum ipse manibus tuis occidisti.

Cœleste Phœbi os, nescium mendacii
Ego esse credebam, augurum artibus scatens.

(Ut falsum vatem Æschylus Apollinem exagitat!)

Qui cantat ipse, quique cœnæ ipse interest,
Hæc qui ipse dixit, ipse proh superi! meum
Natum peremit.

XXII. Sed hæc forte commenta poetica; at in illis naturalis quædam ejusmodi ratio :

Jupiter velox, ut ait Empedocles, et Juno vitalis et Pluto
Et Nestis, quæ tingit lacrymis humanos fontes.

Si igitur Jupiter ignis, Juno terra, Pluto aer, et Nestis aqua, hæc autem elementa sunt ignis, aqua, aer; nullus eorum deus est, nec Jupiter, nec Juno, nec Pluto : ex materia enim a Deo divisa eorum constitutio et generatio.

Ignis, aqua, et tellus, blandum aeris atque cacumen,
Adde et amicitiam his.

Quæ quidem sine amicitia permanere non possunt, discordia autem confunduntur. Quo pacto igitur hæc deos esse quisquam dixerit? Imperat amicitia, secundum Empedoclem, parent quæ concreta sunt; quod autem imperat, dominatum tenet. Itaque si illius quod imperat, et illius quod paret, unam et eamdem vim esse ponamus, corruptioni obnoxiam et fluxam et mutabilem materiam imprudenter

ingenito et æterno et sibi semper constanti adæquabimus Deo. Jupiter fervida essentia secundum Stoicos : Juno aer, ipso etiam nomine, si ipsum sibi superimponatur, id sonante : Neptunus potus. Hæc autem alii aliter ad naturam referunt. Quidam enim aerem biformem, masculo-feminam appellant Jovem : alii vero tempestatem, quæ tempus serenat; unde solus Saturnum effugit. Ac cum Stoicis quidem ita licet disputare : Si unum illum Deum, qui supremus et sempiternus et ingenitus est, agnoscitis; totidem autem corpora concrescere quot materiæ mutationes fiunt, ac spiritum Dei, qui materiam pervadit, pro variis ejus mutationibus aliud atque aliud nomen sortiri dicitis; corpus quidem Dei species materiæ fient : intereuntibus autem in conflagratione elementis, necesse est una cum speciebus nomina interire, solo permanente spiritu Dei. Quorum igitur corporum secundum materiam immutatio, corruptio est, ea deos esse quis credat? Quod autem ad eos spectat qui Saturnum tempus esse dicunt, Rheam autem terram; atque hanc quidem ex Saturno concipere et parere, unde etiam omnium mater existimatur, hunc autem gignere et genita devorare; virilium autem abscissionem nihil aliud esse, quam viri cum muliere coitum, quo veluti resecta e viri corpore genitura in uterum demittitur, et homo cui cupiditas, id est Venus, insita est, generatur; furorem vero Saturni nihil aliud, quam temporis mutationem animata et inanimata corrumpentem; vincula et tartarum tempus esse, quod tempestatibus mutatur et evanescit : sic igitur adversus eos disceptamus : Si tempus est Saturnus, mutatur; si tempestas, vertitur; si tenebræ, aut summum frigus, aut humida natura, nihil horum permanet. Deus autem immortalis, et immobilis et immutabilis. Quocirca neque Saturnus, neque ejus simulacrum Deus est. Quod autem spectat ad Jovem, si is est ex Saturno

genitus aer, cujus id quod masculum est Jupiter dicitur, quod autem femineum, Juno (hinc soror et conjux); immutatur: si tempestas, vertitur. Deus autem nec mutatur, nec cadit. Sed quid attinet vobis, qui melius perspicitis quid eorum quisque dixerit qui hæc ad naturam revocarunt, plura dicentem obstrepere, vel quid de natura sentiant scriptores exponendo, vel quid de Minerva, quam mentem omnia pervadentem esse dicunt; vel de Iside, quam ævi naturam, ex qua orta omnia, et per quam existunt omnes; vel de Osiride, quo occiso a Typhone fratre, Isis ejus membra quæsivit, et inventa sepulcro decoravit, quod sepulcrum Osiriacum etiamnum vocatur; vel de Oro ejus filio? Nam dum susdeque circa materiæ species vertuntur, ab eo qui ratione cognoscitur, Deo aberrant: elementa autem et eorum partes deos faciunt, aliter alias appellantes, frumenti sationem Osirim (hinc aiunt in mysteriis ob inventionem membrorum, sive frugum, Isidi acclamari, *Invenimus, gratulamur*), vitis autem fructum Bacchum, ipsam vitem Semelem, ac fulmen solis æstum. Nam quidvis potius quam naturam divinam edisserunt, qui fabulas in deos vertunt: in quo quidem non vident iis quæ ad deorum defensionem adhibent, confirmari quæ de diis dicuntur. Quid Europa et Taurus, Cycnus et Leda ad terram et aerem, ut Jovis nefarius cum istis coitus, terræ et aeris coitus sit. Sed cum a Dei magnitudine aberraverint, nec ratione altius ferri possint (non enim tenentur cœlestis loci cognatione), circa materiæ species tabescunt, ac humi affixi mutationes elementorum deos faciunt: velut si quis navem in qua navigat, gubernatoris habeat loco. Sed ut navis, etiamsi omnibus rebus instructa sit, nihil tamen prodest, nisi gubernatorem habeat: ita nec elementa ordine adornata quidquam juvant sine Dei providentia. Navis enim per se ipsa non navigabit: elementa sine opifice non movebuntur.

XXIII. Ac vos quidem dicetis, cum intelligentia præstetis omnibus: Qua ergo ratione simulacra nonnulla, si dii non sunt ii quibus ea statuimus, efficacia prædita sunt? Neque enim verisimile est inanimas et immobiles statuas quidquam per seipsas posse nemine movente. Ac variis quidem in locis et civitatibus et gentibus nonnullos edi sub nomine simulacrorum effectus ne nos quidem inficiamur. Non tamen si qui adjuti sunt, ac rursus alii male affecti, pro diis habebimus eos qui in utramque partem operati sunt. Sed qua ratione fiat ut simulacra aliquid posse existimetis, et quinam in eis operentur, nomina eorum sibi arrogantes, accurate vestigavimus. Necesse autem mihi est demonstrare instituenti quinam sint ii qui in simulacris operantur, et cur dii non sint, nonnullos etiam ex philosophia testes præmittere. Primus Thales, ut accurate commemorant qui ejus disputationes digerunt, dividit in Deum, in dæmones, in heroes: ac Deum quidem mundi mentem existimat; dæmones autem essentias animales; heroes vero animas hominum separatas, bonos quidem bonas, malos autem malas. Plato autem qui cætera quidem assensum cohibet, idem tamen in Deum ingenitum, et in facta ab ingenito ad ornatum cœli tum errantia tum fixa sidera, et in dæmones dividit. De dæmonibus autem dicere recusans, eos audiri jubet qui de iis dixerunt. « De cæteris, inquit, dæmonibus dicere, eorumque generationem pernoscere vires nostras superat. Credendum autem his qui priores dixerunt, deorum, ut ipsi narraverunt, posteris, qui majores suos probe noverant. Fides ergo deorum filiis derogari non potest, etiamsi sine probabilibus et necessariis demonstrationibus dicant: sed ut res domesticas narrare se profitentibus, ita ut lex jubet, credendum. Sic igitur ut illis placet, de deorum generatione teneamus et dicamus. Ex Terra et Cœlo filii geniti sunt Oceanus et Tethys: ex

illis commiserat Deus : alii vero et naturæ substantia et munere sibi commisso abusi sunt, iste videlicet materiæ ejusque specierum princeps, et alii circa primum hoc firmamentum constituti (scitis autem nihil nos sine testi... dicere, sed quæ a Prophetis prædicata sunt exponere); ... quidem in virginum cupiditatem lapsi, et carnis amore ... perati, ille autem in rerum sibi commissarum administratione negligens et improbus. Ex his igitur virginum amatoribus nati sunt ii qui vocantur gigantes[1] : de quibus ... qua ex parte ipsi quoque poetæ loquuti sunt, ne miremini ... cum divina sapientia tantum distet a mundana quantum verum a probabili, atque hæc quidem cœlestis, ista ... terrena sit. Nam secundum materiæ principem

Scimus falsa loqui, non pauca simillima veris.

XXV. Hi igitur angeli, qui de cœlo lapsi circa aerem et terram versantur, nec jam supra cœlum evehi possunt, ... etiam gigantum animæ, qui errabundi sunt circa mundum dæmones, motiones excitant : isti quidem, nempe dæmones, naturæ et constitutioni quam acceperunt; hi autem, scilicet angeli, cupiditatibus, quas sensere, congruentes. Materiæ autem princeps, ut ex ipsis rebus quæ eveniunt cernere est, contrariam Dei bono administrationem et ... curationem exercet.

Incerta sæpe cura mentem agitat meam,
Casus gubernet, an Deus mortalia.
Spem nempe præter, jusque præter, hos quidem
Domo excidentes, omnibus nudos bonis;
Illos fruentes rebus usque prosperis.

Hi præter spem et præter æquum prosperi aut adversi successus eo redegerant Euripidem, ut eloqui non posset ...

[1] Quæ hic de angelorum lapsu ex impudico mulierum amore et ... neratione gigantum dicit Athenagoras, ex S. Justino accepit, Apol. ...

nam adscribenda sit ejusmodi administratio eorum quæ circa terram sunt, de qua quidem aliquis dixerit:

> Ergo hæc videntes, quomodo deum genus
> Dicamus esse, aut obsequamur legibus?

Id quoque Aristotelem induxit, ut quæ cœlo inferiora sunt nulla regi providentia diceret, quamvis æterna Dei providentia nobis æquabiliter præstetur,

> (Coacta terra, seu velit, seu non velit,
> Producit herbas, et pecus pascit meum)

quæ autem ad singulos pertinet, ad veritatem, non ad opinionem, pro meritis cujusque procedat; cætera autem secundum communem naturæ constitutionem lege rationis gubernentur. Sed quia profectæ a contrario spiritu dæmonicæ motiones et operationes hos impetus inordinatos excitant, ac homines alium aliter, singulos et universos privatim et communiter, pro ratione materiæ et cognationis cum divinis rebus, intus et exterius movent; propterea nonnulli, quorum non levis existimatio est, nullo ordine hoc universum consistere, sed casu temerario agi et ferri censuerunt. In quo non viderunt, ex iis quidem quæ ad totius mundi constitutionem attinent, nihil inordinatum esse aut neglectum, sed unum quodque ratione fieri, unde nec præscriptum sibi ordinem transgrediuntur: hominem autem, quantum ad eum a quo factus est spectat, tum generationis natura, quæ unam et communem rationem retinet, tum corporis, quod formatur, dispositione, quæ convenientem ipsi legem non transgreditur, tum vitæ exitu, qui par et communis manet, ordinate se habere; at secundum propriam ipsius rationem, et dominantis principis, et assectantium dæmonum operationem variis modis ferri et moveri, quamvis communis insit omnibus ratiocinandi facultas.

XXVI. Qui autem eos ad simulacra trahunt, ii sunt,

quos jam diximus, dæmones, victimarum sanguini affixi, easque lambentes. Dii autem illi, qui multis placent, quorumque nomina statuis imponuntur, homines, ut cernere est ex eorum historia, fuerunt. Ac dæmones quidem in hæc nomina invadere, argumento est cujusque illorum operatio. Alii enim virilia exsecant, ut Rhea; alii vulnerant et incidunt, ut Diana : Taurica etiam hospites necat. Eos enim qui se ipsi cultris et flagellis dilacerant, et quot sint dæmonum species prætermitto. Neque enim Dei est ad ea quæ sunt contra naturam impellere.

Dæmon mali quid si paret mortalibus,
Mens primum ab illo læditur.

Deus autem cum perfecte bonus sit, perpetuo beneficus est. Alios igitur esse qui operentur, alios quibus erigantur statuæ, maximo sunt documento Troas et Parium : quarum civitatum altera statuas habet Neryllini, qui nostra vixit ætate, Parium autem Alexandri et Protei. Alexandri adhuc in foro sepulcrum et simulacrum est. Ac cæteræ quidem statuæ Neryllini publicum ornamentum sunt (si tamen his civitas ornatur); una autem ex illis oracula edere et ægros sanare existimatur, ac propterea sacra faciunt et auro illinunt et coronant statuam Troadenses. Quod autem ad Alexandri et Protei statuas spectat (hunc autem non ignoratis seipsum in ignem circa Olympiam injecisse), hujus etiam statua oracula dicitur edere; Alexandri autem statuæ

(Infelix Paris, forma pulcherrime, in mulieres insaniens.)

sacrificia publicis sumptibus et dies festi, tanquam exaudienti Deo, peraguntur. Utrum igitur Neryllinus et Proteus et Alexander hæc circa statuas operantur, an ipsa materiæ natura? At materia æs est; quid autem æs per se potest, quod rursus aliam in formam diffingere licet, velut pelvim ille apud Herodotum Amasis? Neryllinus autem et Proteus

et Alexander quid amplius ægrotantibus afferre possunt? Nam quæ nunc statua operari dicitur, ea vivente et ægrotante Neryllino operabatur.

XXVII. Quid igitur dicendum? Primum animæ a ratione alieni et phantastici circa opiniones motus, nunc has, nunc illas imagines partim ex materia trahunt, partim sibi ipsi effingunt et pariunt. Id autem anima tum maxime patitur cum materiæ spiritum sibi adsciscit, eique commiscetur, non cælestia et eorum opificem considerans, sed deorsum ac terrestria, atque ad terram, ut sanguis tantum et caro, non jam purus spiritus, depressa. Illæ igitur a ratione alienæ et phantasticæ animi motiones visa pariunt simulacrorum insaniæ congruentia. Quando autem tenera et flexilis anima, ac robustioris doctrinæ jejuna et inexperta, et veritatis contemplandæ ac Patris et opificis universorum considerandi insolens, impressa et inusta fuerit falsis de se opinionibus; tum dæmones, qui circa materiam versantur, et nidores ac victimarum sanguinem liguriunt, hominesque in fraudem inducunt, adhibitis in auxilium hisce motibus, qui vulgi animos ad falsas opiniones inclinant, perficiunt, eorum mentes invadendo, ut tanquam ex statuis et simulacris visa ad eos inania effluant; ac quoties per se ipsa, utpote immortalis, accommodate ad rationem anima movetur, sive futura prædicens, sive curans præsentia, horum gloriam dæmones percipiunt.

XXVIII. Necesse est autem de nominibus, ut antea promisimus, pauca dicere. Herodotus igitur et Alexander Philippi in epistola ad matrem (uterque autem sacerdotibus Heliopoli et Memphi et Thebis in sermonem venisse fertur) accepisse se ab illis dicunt eos homines fuisse. Herodotus quidem sic loquitur : « Quorum igitur erant imagines, tales » eos demonstrabant fuisse, a diis autem longe distantes; » sed ante hos homines, deos in Ægypto regnasse, nec cum

» istis hominibus fuisse, ac semper ex illis unum aliquem » imperasse; postremum autem illic regnasse Orum Osiridis » filium, quem Græci Apollinem vocant; hunc, cum Typho- » nem dejecisset, postremum in Ægypto regnasse. Osiris » autem lingua græca Bacchus est. » Cum alios igitur Ægyp- tiorum reges, tum horum postremum (ab istis autem ad Græcos deorum nomina pervenerunt) Apollinem Dionysii et Isidis filium (ut idem scribit Herodotus : « Apollinem » autem et Dianam ferunt Dionysii et Isidis filios fuisse, » Latonam nutricem illis et servatricem fuisse »), hos, quam, quos cœlesti ortos origine primos reges habuerant, partim veræ erga Deum religionis ignoratione, partim gra- in imperium animo deos cum uxoribus existimarunt. « Ac » boves quidem mundos et mares Ægyptii omnes immolant » et vitulos : fœminas autem nefas illis immolare, sed sacræ » sunt Isidi, cujus simulacrum muliebri forma est ac bubulis » cornibus, quemadmodum Io Græci effingunt. » Quinam autem hæc dicendo fidem potius obtineant, quam ii qui se- cundum generis successionem filius a patre, ut sacerdo- tium, ita et historiam acceperunt? Neque enim Ædituos, qui simulacra perhonorifice commendant, verisimile est menti- tos fuisse, cum eos homines fuisse dicerent. Quod si solus Herodotus deos Ægyptiorum historiis tanquam homines per- hiberi diceret, etiam Herodoto dicenti : « Quæ autem de diis » narrantur, ea non libenter qualia audivi enuntiaverim, » nisi tantum levissima eorum nomina, » ut fabularum scrip- tori nequaquam esset credendum. Sed quia idem dicit Alexander et Mercurius qui Trismegistus vocatur et æternus cum diis genere conjunctus est, et innumeri alii, ne singu- los recenseam; nulla jam dubitandi ratio relinquitur quin cum reges essent, pro diis habiti fuerint. Eos etiam homines esse demonstrant Ægyptiorum doctissimi, qui cum deos fa- cant aerem, terram, solem, lunam, cæteros mortales es-

homines, ac templa eorum sepulcra esse existimant. Idem docet Apollodorus in libro de diis. Quin etiam Herodotus eorum perpessiones mysteria vocat. « In urbe Busiridis fes- » tum Isidis ab eis celebrari jam a me dictum est. Verberan- » tur autem post sacrificium singuli et singulæ, plurima ho- » minum millia. Quo autem modo verberentur nefas mihi » dicere. » Si dii sunt, immortales sunt. Sin autem verberantur homines ob eorum passiones, eæque sunt mysteria, homines sunt; quemadmodum ipse Herodotus testatur. « Sunt etiam ejus sepulcra, cujus nomen si nuncupavero » hac in re, haud sancte fecero, in urbe Sai, in templo » Minervæ, post totum delubrum, ejus parieti contigua. La- » cus item adjunctus est lapidea basi adornatus, et circum- » quaque probe elaboratus, magnitudine, ut mihi videtur, » quanta in Delo iste qui dicitur *Trochoides*. In hoc simu- » lacra habentur passionum ejus, quæ mysteria nocturna » Ægyptii vocant. » Non solum autem sepulcrum Osiridis, sed etiam conditura ostenditur. « Cum ad illos cadaver por- » tatum est, ostendunt iis qui portaverunt exemplaria mor- » tuorum lignea, pingendo assimilata, et eorum unum ac- » curratissime fabrefactum esse aiunt, cujus ego nomen » fas esse haud arbitror in ejusmodi re appellare. »

XXIX. Sed et Græcorum in poesi et historia sapientes eadem docent. De Hercule quidem :

Miser neque Deorum vindictam reveritus est neque mensam
Quam ei apposuerat : deinde vero ipsum occidit
Iphitum.

Talis cum esset, merito in furorem actus est, merito seipsum rogo accenso combussit. De Æsculapio autem Hesiodus :

Parens hominumque Deumque
Quando excanduit, e cœlo autem feriens fulmine ardenti
Latoidem occidit charum, ira commotus.

Pindarus autem :

> Verum lucro etiam sapientia irretitur.
> Pervertit et illum (*Æsculapium*) ingenti
> Mercede aurum in manibus apparens.
> Manibus igitur Saturnius fulmen
> Jaculatus per utrumque, respirationem
> Pectorum abstulit
> Celeriter, ardensque fulmen inflixit mortem.

Vel igitur dii erant, nec eos auri capiebat amor

> (O munus aurum maximum mortalibus !
> Nec mater ulla tantum habet dulcedinis,
> Nec nati.

Nulla enim re indiget numen, nec cupiditate vincitur), nec mortui sunt : vel homines cum essent, improbi ob imperitiam fuerunt, et pecuniæ cupidi. Quid plura dicam vel Castorem, vel Pollucem, vel Amphiaraum memorans, qui, ut ita dicam, heri et nudiustertius homines ex hominibus nati pro diis habentur, cum ipsa etiam Ino post furorem, et eas quæ ex furore consequutæ sunt perpessiones, dea existimetur ?

> Cognominatam naufragi Leucotheam,

et filius ejus :

> Nautis Palæmon divus invocabitur.

XXX. Nam si detestandi et Deo invisi homines opinionem habuerunt deorum ; si filia Dercetus Semiramis, lascivа mulier et cruenta, Syria dea existimata est, ac propter Dercetum Syri columbas et Semiramin colunt, nam, quod fieri non potest, in columbam mutata mulier, ut fert apud Ctesiam fabula ; quid mirum alios quidem propter imperium aut tyrannidem deos a suis appellatos ? (Sibylla cujus meminit Plato :

> Decima ætate hominum linguis divisorum,

Ex quo diluvium prioribus hominibus accidit,
Regnavit Saturnus et Titan et Japetus,
Terræ filii præstantissimi et Cœli, quos sic vocarunt
Homines, terræ et cœli nomina imponentes,
Propterea quod primi fuere hominum lingua diversorum.)

alios autem ob robur, ut Herculem et Perseum; alios ob artem, ut Æsculapium? Quibus autem ipsi subditi honorem detulerunt aut ipsi principes, horum alii metu, alii reverentia nomen consequuti sunt. Antinous quidem parentum vestrorum in subditos humanitate consequutus est, ut existimaretur deus. Qui vero postea nati sunt, religionem re non explorata susceperunt.

Mendaces semper Cretes, tibi namque sepulcrum,
Rex, Cretes fabricati, at tu non mortuus.

Credis, Callimache, Jovis natalem; sepulcrum non credis: et tum cum te veritati tenebras offusurum speras, mortuum prædicas etiam nescientibus. Atque antrum quidem si videris, Rheæ partum in memoriam revocas; sin autem loculum, mortem ejus tenebris involvis: ignarus solum æternum esse ingenitum Deum. Vel enim fide indignæ quæ de diis apud vulgus et poetas fabulæ feruntur, sicque inutilis eorum cultus (neque enim ii existunt de quibus mendax prædicatio): vel si veri ortus, amores, homicidia, furta, virilium exsecationes, fulmina; non jam exstant, sed esse desierunt, si quidem nati sunt, cum antea non essent. Quæ enim ratio ut alia quidem credantur, alia vero non credantur, cum honoris causa eorum historias poetæ litteris mandaverint! Neque enim per quos existimati sunt dii, quique eorum res gestas perhonorifice descripserunt, ii eorum perpessiones mentiti fuissent. Nos igitur non esse atheos, qui Deum credimus universorum opificem, ejusque Verbum, pro meis viribus, quamvis non pro rei dignitate, demonstravi.

XXXI. Adhuc autem et epulas et concubitus nefandos

nobis affingunt, tum ut nos cum ratione odisse sibi videantur, tum quod futurum existiment ut vel metu ab instituta constantia nos abducant, vel acerbos nobis et inexorabiles criminum magnitudine, principes præbeant. Sed ludificantur cum hominibus probe scientibus jam antiquitus hunc morem, neque nunc primum divina quadam lege et ratione invaluisse, ut vitium cum virtute bellum gerat. Sic et Pythagoras cum trecentis aliis igne combustus; Heraclitus et Democritus, alter quidem Ephesiorum urbe pulsus est, alter Abderitarum, insaniæ accusatus; Socratem Athenienses morte mulctarunt. Sed quemadmodum illi, quantum ad virtutem attinet, nequaquam deteriores propter multorum opinionem fuerunt; neque etiam nobis, quod ad vitæ innocentiam spectat, tenebras offundunt inconsideratæ nonnullorum calumniæ. Bene enim apud Deum audimus: sed tamen his criminibus occurram. Ac vobis quidem satis me, vel ex iis quæ dixi, purgatum intelligo. Nam cum omnes intelligentia superetis, quorum vita ad Deum tanquam ad normam dirigitur, ut unusquisque nostrum extra noxiam apud eum et reprehensionem sit, eos non ignoratis ne cogitationem quidem unquam vel levissimi admissuros peccati. Nam si hanc tantum vitam nos victuros crederemus, tum sane locus esset suspicandi nos carni et sanguini inservientes, vel avaritia aut cupiditate victos peccare. Sed cum iis quæ cogitamus, quæque loquimur, Deum noctem diesque adesse sciamus, eumque persuasum habeamus, cum totus lumen sit, ea etiam quæ in cordibus nostris latent videre; nosque hac vita liberatos aliam ista præstantiorem ac cœlestem, non terrenam victuros (quippe cum apud Deum et cum Deo extra omnem immutationem et perpessionem animæ, non ut caro, etsi carnem habituri sumus, sed ut cœlestis spiritus mansuri simus); vel, si aliorum ruinæ abripiamur, deteriorem ac in ignis supplicio victuros (neque

enim nos etiam Deus tanquam pecora et jumenta perfunctorie et ut periremus et evanesceremus, creavit) : in his institutis verisimile non est ut libenter peccemus, nosque magno Judici puniendos tradamus.

XXXII. Illud autem minime mirum, quod ea nobis affingunt quæ de diis suis dicunt, quorum perpessiones mysteria efficiunt. Decebat autem ut, si licenter et promiscue misceri grande nefas judicaturi erant, vel Jovem odissent, qui ex Rhea matre et filia Proserpina liberos suscepit, et propria sorore usus est uxore; vel horum inventorem Orpheum, ut qui Jovem Thyeste ipso scelestiorem et contaminatiorem fecisset : is enim ex oraculo stuprum intulit filiæ, cum regnare ac se ulcisci vellet. Nos autem tantum absumus a promiscuis flagitiis, ut nobis ne aspicere quidem liceat ad concupiscendum. « Nam qui videt, inquit, mulie» rem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde » suo[1]. » Quibus igitur oculorum usus eo fine terminatur, ad quem Deus oculos formavit, nempe ut nobis lumen essent; quibusque vel de ipsa cogitatione in judicium vocandis jucundior aspectus adulterium est, quia alios in usus oculi instituti; ii quomodo temperantes non credantur? Neque enim nobis ratio est cum humanis legibus, quas improbus quis etiam lateat (vobis autem initio, Domini, demonstrabam doctrinam nostram a Deo traditam esse); sed nobis sancita lex est, ut justitiæ mensuram ex nobis et ex proximis nostris dijudicemus. Hinc pro ætate alios filios et filias novimus, alios fratres et sorores habemus, ac seniores patrum et matrum loco colimus. Quos igitur fratres et sorores, cæterisque cognationis nominibus appellamus, maximæ nobis curæ est, ut intaminata et incorrupta eorum corpora permaneant. Huc accedit illa scriptura : « Si quis osculum » propterea repetat, quod eo delectetur. » Tum addit :

[1] Matth. v, 28.

« Summa ergo cautione osculum adhibendum vel potius
» adoratio, ut quæ nos ab æterna vita excludat, si paulum
» cogitatione inquinetur. »

XXXIII. Cum ergo spem habeamus æternæ vitæ; quæ
in hac vita versantur usque ad ipsas animi oblectationes
contemnimus. Unusquisque nostrum uxorem suam, quam
secundum leges a vobis positas duxit, uxorem existimat ea-
que ad liberorum procreationem. Quemadmodum enim
agricola jactis in terram seminibus messem exspectat, non
alia superinjicit; sic nobis cupiditatis modus, procreatio li-
berorum. Multos etiam apud nos reperire est, tum viros,
tum mulieres, qui cœlibes consenescant, spe arctius se cum
Deo conjunctum iri. Quod si in virginitate et eunuchi statu
manere magis Deo conjungit, ab eo autem vel sola cogi-
tatio et cupiditas abducit; quorum cogitationes fugimus,
eorum actiones multo magis aversamur. Neque enim me-
ditatione sermonum, sed demonstratione et disciplina ac-
tionum res nostræ continentur, ut quisque vel qualis natus
est maneat, vel unicis in nuptiis. Secundæ enim decorum
adulterium[1]. « Quicumque enim dimiserit, inquit, uxorem
» suam et aliam duxerit, mœchatur[2] : » nec eam dimitti
sinens cujus virginitati finem quis imposuit, nec aliam in-
super duci. Nam qui se ipse prima uxore spoliat, etiamsi
mortua sit, occulta quadam ratione est adulter; tum quod
manum Dei transgrediatur (nam initio Deus unum ho-

[1] Non solum Athenagoras, sed plures etiam alii veteres de digamis se-
severius judicabant; non ideo tamen Athenagoras montanismi suspicionem
meretur, uti putat D. Tillemontius : tum quia cum monogamia major
Christianis tum temporis fieret, secundæ autem nuptiæ licet permissæ,
qua ignominia notarentur, et digami a sancta communione ad tempus ar-
cerentur, quid mirum, si Athenagoras monogamiam ut commune Chris-
tianorum institutum commendet? tum quia illa verba, *occultum*
adulterium, cum secundas nuptias expresse, ut interdictas non carpant,
metaphorice, sensuque latissimo usurpantur, quia videlicet digamia a
prima institutione matrimonii recedit.

[2] Matth. XIX, 9.

nem finxit ac unam mulierem), tum quod carnis cum carne conjunctionem quodam veluti vinculo ad commiscendum genus colligatam dissolvat.

XXXIV. Cæterum tales cum simus (quid ego tacenda proferam?) audimus illud proverbii, *meretrix pudicam*. Nam qui nundinas impudicitiæ instituunt, et infanda omnis turpitudinis diversoria adolescentibus proponunt, ac ne masculis quidem temperant, masculi in masculos horribilia patrantes, et honestiora ac pulchriora quæque corpora omnibus stupris violantes, ac creatæ a Deo venustati dedecus inurentes (neque enim venustas in terris sua sponte exoritur, sed Dei manu et voluntate mittitur); ii quæ sibi ipsis conscivere, quæque diis suis attribuunt, tanquam de præclare factis ac deorum propriis gloriantes, ea nobis in convicii loco objiciunt; sicque adulteri et puerorum amatores eunuchos et semel nuptos vituperant, et qui instar piscium vivunt (nam et ipsi obvium quemque devorant, et infirmum fortior insectatur, idque carnes humanas attingere est, contra leges a vobis et majoribus vestris ad omnem æquitatem descriptas vim et impressionem exercere), ita ut missi a vobis provinciarum præsides causarum audiendarum onus vix sustineant: ii, inquam, qui ita vivunt, in eos invehuntur quibus nec percussis seipsos non tradere, nec male audientibus fas est non benedicere. Neque énim satis est justum esse (justitia enim est par pari referre), sed illud etiam propositum nobis est, ut boni et patientes malorum simus.

XXXV. Quis igitur non insulsissimus nos, cum tales simus, homicidas esse dixerit? Neque enim carnes humanas degustare possumus, nisi prius aliquem occiderimus. Dum autem alterum mentiuntur, si quis de altero ex eis quærat, an viderint quæ dictitant, nemo tam impudens ut vidisse se dicat. Sunt nobis servi, aliis quidem plures, aliis autem pauciores, quos latere non possumus: horum tamen nemo in-

quos jam diximus, dæmones, victimarum sanguini ... casque lambentes. Dii autem illi, qui multis placent, ... rumque nomina statuis imponuntur, homines, ut con... est ex eorum historia, fuerunt. Ac dæmones quidem ... nomina invadere, argumento est cujusque illorum op... Alii enim virilia exsecant, ut Rhea; alii vulnerant ... dunt, ut Diana : Taurica etiam hospites necat. Eos ... qui se ipsi cultris et flagellis dilacerant, et quot sint ... num species prætermitto. Neque enim Dei est ad ... sunt contra naturam impellere.

> Dæmon mali quid si paret mortalibus,
> Mens primum ab illo læditur.

Deus autem cum perfecte bonus sit, perpetuo benefic... Alios igitur esse qui operentur, alios quibus erigan... tuæ, maximo sunt documento Troas et Parium : ... civitatum altera statuas habet Nerýllini, qui nostr... ætate, Parium autem Alexandri et Protei. Alexandr... in foro sepulcrum et simulacrum est. Ac cæteræ ... tuæ Neryllini publicum ornamentum sunt (si ... vitas ornatur); una autem ex illis oracula edere et ... nare existimatur, ac propterea sacra faciunt et aur... et coronant statuam Troadenses. Quod autem ad A... et Protei statuas spectat (hunc autem non ignoratis ... in ignem circa Olympiam injecisse), hujus etiam stat... cula dicitur edere; Alexandri autem statuæ

> (Infelix Paris, forma pulcherrime, in mulieres insan...

sacrificia publicis sumptibus et dies festi, tanquam ... dienti Deo, peraguntur. Utrum igitur Neryllinus et Pr... et Alexander hæc circa statuas operantur, an ipsa mat... natura? At materia æs est; quid autem æs per se p... quod rursus aliam in formam diffingere licet, velut ... illo apud Herodotum Amasis? Neryllinus autem et P...

t Alexander quid amplius ægrotantibus afferre possunt? Nam quæ nunc statua operari dicitur, ea vivente et ægrotante Neryllino operabatur.

XXVII. Quid igitur dicendum? Primum animæ a ratione lieni et phantastici circa opiniones motus, nunc has, nunc llas imagines partim ex materia trahunt, partim sibi ipsi ffingunt et pariunt. Id autem anima tum maxime patitur um materiæ spiritum sibi adsciscit, eique commiscetur, on cœlestia et eorum opificem considerans, sed deorsum c terrestria, atque ad terram, ut sanguis tantum et caro, on jam purus spiritus, depressa. Illæ igitur a ratione alienæ t phantasticæ animi motiones visa pariunt simulacrorum nsaniæ congruentia. Quando autem tenera et flexilis anima, c robustioris doctrinæ jejuna et inexperta, et veritatis contemplandæ ac Patris et opificis universorum considerandi nsolens, impressa et inusta fuerit falsis de se opinionibus; um dæmones, qui circa materiam versantur, et nidores ac ictimarum sanguinem liguriunt, hominesque in fraudem nducunt, adhibitis in auxilium hisce motibus, qui vulgi nimos ad falsas opiniones inclinant, perficiunt, eorum mentes invadendo, ut tanquam ex statuis et simulacris visa ad os inania effluant; ac quoties per se ipsa, utpote immortalis, accommodate ad rationem anima movetur, sive futura rædicens, sive curans præsentia, horum gloriam dæmones ercipiunt.

XXVIII. Necesse est autem de nominibus, ut antea promisimus, pauca dicere. Herodotus igitur et Alexander Philippi in epistola ad matrem (uterque autem sacerdotibus Ieliopoli et Memphi et Thebis in sermonem venisse fertur) ccepisse se ab illis dicunt eos homines fuisse. Herodotus uidem sic loquitur : « Quorum igitur erant imagines, tales eos demonstrabant fuisse, a diis autem longe distantes; sed ante hos homines, deos in Ægypto regnasse, nec cum

ATHENAGORÆ,

ATHENIENSIS PHILOSOPHI,

DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

I. Sententiæ omni ac doctrinæ, quæ quidem cum rerum veritate consentiat, adnascitur aliquid mendacii. Adnascitur autem, non ex subjecto aliquo principio secundum naturam productum, aut ex propria cujusque rei causa; sed ab iis qui semen adulterinum ad corruptionem veritatis cordi habent, de industria excogitatum. Atque id deprehendere est, primo quidem ex iis qui olim in ejusmodi rebus investigandis versati sunt, atque ex eorum et cum antiquioribus et cum æqualibus dissensione; non minime autem ex ipsa earum rerum quæ in medio versantur, perturbatione. Nullam enim veritatis partem a calumniis liberam reliquerunt, non essentiam Dei, non ejus scientiam, non operationem, non quæ ex his apta serie consequuntur, et pietatis formam nobis exprimunt. Sed alii veritatem in ejusmodi rebus omnino desperant, alii ad suas opiniones detorquent, alii de industria res ante oculos positas in dubium vocant. Hinc iis qui operam in res ejusmodi insumunt duplici opus arbitror esse sermone, altero pro veritate, altero de veritate : pro veritate quidem adversus incredulos aut dubitantes; de veritate ad eos qui æquo sunt animo, et veritatem libenter suscipiunt. Quamobrem qui his de rebus quærere volunt, spectare debent quid quoque tempore expediat, eoque disputandi rationem metiri, et disputationis ordinem ad id quod decet accommodare, nec, ut eamdem

semper exordiendi rationem retinere videantur, convenientiam negligere et locum quibusque rebus congruentem. Quantum enim ad demonstrationem et naturalem ordinem spectat, priores sunt semper sermones de veritate iis qui pro veritate; quantum autem ad majorem utilitatem, conversa ratione, illis isti præeunt. Neque enim terræ semina convenienter agricola mandare possit, nisi prius silvestrem materiam ac bonis seminibus nocentem evulserit; nec medicus salutare pharmacum ægroto corpori dare, nisi prius residentem vitiositatem expurget, aut irruentem cohibeat. Sic qui veritatem docere vult, neminem possit de veritate disserens docere, delitescente in audientium animo falsa aliqua opinione et iis quæ dicuntur obstante. Quamobrem nos quoque ad id quod utilius est respicientes, nonnunquam sermones pro veritate iis quæ de veritate habentur, præponimus; idque nunc ita facere in hac de resurrectione pertractatione non inutile, quid deceat spectantibus, videtur. Nam hac etiam in re alios reperimus omnino incredulos, nonnullos dubitantes, atque ex illis etiam qui prima principia susceperunt, quosdam non minus animi incertos quam qui dubitant: quodque omnium absurdissimum est, ita animo affecti sunt, quamvis nullam prorsus ex ipsis rebus ansam habeant ad incredulitatem, nec causam probabilem afferre possint cur non credant, aut cur dubitent.

II. Sic autem consideremus. Si non omnis incredulitas temere et ex inconsiderata opinione, sed cum gravi aliqua causa et tuta in inquirendo vero diligentia nonnullis insidet (tunc enim justam habet rationem, cum rem cui fidem derogant, incredibilem esse patet; nolle enim res non incredibiles credere hominum est minus sano de veritate judicio utentium); oportet igitur ut et qui resurrectioni fidem derogant, aut de ea dubitant, ii non ad id quod temere ipsis videtur, aut quod hominibus intemperantibus gratum

ATHENAGORÆ,

ATHENIENSIS PHILOSOPHI,

DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

I. Sententiæ omni ac doctrinæ, quæ quidem cum vera veritate consentiat, adnascitur aliquid mendacii. Adnascitur autem, non ex subjecto aliquo principio secundum naturam productum, aut ex propria cujusque rei causa; sed ab iis qui semen adulterinum ad corruptionem veritatis cordi habent, de industria excogitatum. Atque id deprehendere est, primo quidem ex iis qui olim in ejusmodi rebus investigandis versati sunt, atque ex eorum et cum antiquioribus et cum æqualibus dissensione; non minime autem ex ipsa earum rerum quæ in medio versantur, perturbatione. Nullam enim veritatis partem a calumniis liberam reliquerunt, non essentiam Dei, non ejus scientiam, non operationem, non quæ ex his apta serie consequuntur, et pietatis formam nobis exprimunt. Sed alii veritatem in ejusmodi rebus omnino desperant, alii ad suas opiniones detorquent, alii de industria res ante oculos positas in dubium vocant. Hinc iis qui operam in res ejusmodi insumunt duplici opus arbitror esse sermone, altero pro veritate, altero de veritate : pro veritate quidem adversus incredulos aut dubitantes; de veritate ad eos qui æquo sunt animo, et veritatem libenter suscipiunt. Quamobrem qui his de rebus quærere volunt, spectare debent quid quoque tempore expediat, eoque disputandi rationem metiri, et disputationis ordinem ad id quod decet accommodare, nec, ut eamdem

semper exordiendi rationem retinere videantur, convenientiam negligere et locum quibusque rebus congruentem. Quantum enim ad demonstrationem et naturalem ordinem spectat, priores sunt semper sermones de veritate iis qui pro veritate; quantum autem ad majorem utilitatem, conversa ratione, illis isti præeunt. Neque enim terræ semina convenienter agricola mandare possit, nisi prius silvestrem materiam ac bonis seminibus nocentem evulserit; nec medicus salutare pharmacum ægroto corpori dare, nisi prius residentem vitiositatem expurget, aut irruentem cohibeat. Sic qui veritatem docere vult, neminem possit de veritate disserens docere, delitescente in audientium animo falsa aliqua opinione et iis quæ dicuntur obstante. Quamobrem nos quoque ad id quod utilius est respicientes, nonnunquam sermones pro veritate iis quæ de veritate habentur, præponimus; idque nunc ita facere in hac de resurrectione pertractatione non inutile, quid deceat spectantibus, videtur. Nam hac etiam in re alios reperimus omnino incredulos, nonnullos dubitantes, atque ex illis etiam qui prima principia susceperunt, quosdam non minus animi incertos quam qui dubitant: quodque omnium absurdissimum est, ita animo affecti sunt, quamvis nullam prorsus ex ipsis rebus ansam habeant ad incredulitatem, nec causam probabilem afferre possint cur non credant, aut cur dubitent.

II. Sic autem consideremus. Si non omnis incredulitas temere et ex inconsiderata opinione, sed cum gravi aliqua causa et tuta in inquirendo vero diligentia nonnullis insidet (tunc enim justam habet rationem, cum rem cui fidem derogant, incredibilem esse patet; nolle enim res non incredibiles credere hominum est minus sano de veritate judicio utentium); oportet igitur ut et qui resurrectioni fidem derogant, aut de ea dubitant, ii non ad id quod temere ipsis videtur, aut quod hominibus intemperantibus gratum

ATHENAGORÆ,

ATHENIENSIS PHILOSOPHI,

DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

I. Sententiæ omni ac doctrinæ, quæ quidem cum vera veritate consentiat, adnascitur aliquid mendacii. Adnascitur autem, non ex subjecto aliquo principio secundum naturam productum, aut ex propria cujusque rei causa; sed ab iis qui semen adulterinum ad corruptionem veritatis cordi habent, de industria excogitatum. Atque id deprehendere est, primo quidem ex iis qui olim in ejusmodi rebus investigandis versati sunt, atque ex eorum et cum antiquioribus et cum æqualibus dissensione; non minime autem ex ipsa earum rerum quæ in medio versantur, perturbatione. Nullam enim veritatis partem a calumniis liberam reliquerunt, non essentiam Dei, non ejus scientiam, non operationem, non quæ ex his apta serie consequuntur, et pietatis formam nobis exprimunt. Sed alii veritatem in ejusmodi rebus omnino desperant, alii ad suas opiniones detorquent, alii de industria res ante oculos positas in dubium vocant. Hinc iis qui operam in res ejusmodi insumunt duplici opus arbitror esse sermone, altero pro veritate, altero de veritate: pro veritate quidem adversus incredulos aut dubitantes; de veritate ad eos qui æquo sunt animo, et veritatem libenter suscipiunt. Quamobrem qui his de rebus quærere volunt, spectare debent quid quoque tempore expediat, eoque disputandi rationem metiri, et disputationis ordinem ad id quod decet accommodare, nec, ut eamdem

aptum videretur; facile patet neque etiam postquam idem corpus in varias universi partes dissipatum fuerit, ignarum illum futurum quonam migraverit unumquodque eorum quæ ad cujusque absolutionem et perfectionem adhibuerat. Nam pro vigenti apud nos rerum ordine, quantumque de cæteris rebus judicari solet, majus est ea quæ nondum sunt præcognoscere; quantum autem ad Dei majestatem ejusque sapientiam spectat, utrumque secundum naturam est, nec difficilius ea quæ nondum sunt prænoscere, quam quæ dissoluta cognoscere.

III. Illius autem potestatem excitandis ad vitam corporibus non imparem esse argumento est eorumdem generatio. Nam si non exstantia hominum corpora, eorumque principia in prima fecit creatione; etiam dissoluta, quolibet id contigerit modo, non difficilius exsuscitabit : æque enim potest id quoque. Nec de hac ratione quidquam detrahitur, sive ex materia prima principia, sive ex elementis, ut principiis, humana corpora nonnulli componant, sive ex seminibus. Cujus enim potestatis est informi, ut illi existimant, materiæ formam affingere, et specie ac ornatu carentem multis variisque figuris ornare, et partes elementorum in unum cogere, et semen, quæ res una est et simplex, in multa dividere, et quod rude et incompositum est conformare et componere, et quod vitæ expers vita donare; ejusdem quoque est et dissoluta coagmentare et jacentia excitare, et mortua ad vitam revocare, et corrupta ad statum corruptionis expertem convertere. Ejusdem etiam auctoris, ejusdemque potestatis ac sapientiæ fuerit, et quod discerptum est ab omnis generis animalium multitudine, quæcumque ejusmodi corporibus accurrere solent, suamque ex illis satietatem capere, id inde separare, ac propriis iterum membris et membrorum partibus adjungere, etiamsi in unum aliquod ex his animalibus migraverit, etiamsi in multa, etiamsi

est, suam ea de re sententiam dirigant, sed aut nulla ex causa hominum originem repetant (quod quidem perfacile refellitur), aut Deo rerum causam adscribentes, ad hoc dogma veluti ad quoddam principium respiciant, et ex eo demonstrent nihil omnino resurrectionem habere quod sit credibile. Id autem perficient, si demonstrare queant vel non posse Deum vel nolle mortua corpora aut etiam omnino dissoluta iterum coagmentare, et ut iidem homines constituantur, conglutinare. Quod si id non possint, desinant impie increduli esse, et blasphemiis ea quæ non licet appetere. Nihil enim veri ab eis afferri, sive non posse dicant, sive nolle, ex his quæ dicemus perspicuum erit. Rem ab aliquo perfici non posse certo intelligitur, vel ex eo quod non cognoscat quid faciendum sit, vel ex eo quod satis virium non habeat ad illud quod cognoscit præclare efficiendum. Nam qui ignorat quid faciendum sit, nec conari nec perficere omnino possit quod ignorat. Qui autem præclare novit quid faciendum, et unde et quomodo faciendum, vires autem aut nullas omnino habet ad faciendum quod cognoscit, aut non satis idoneas, is ne aggredietur quidem, si sapiat ac vires suas consideret; temere autem aggressus non perficiet id quod sibi proposuit. Deum autem latere non potest, nec quæ sit corporum ad vitam revocandorum natura, sive secundum membra integra, sive secundum membrorum partes, nec quo abeat unumquodque eorum quæ dissolvuntur, nec quæ pars elementorum exceperit quod dissolutum in loca sibi congruentia migravit; quamvis hominibus discerni omnino non posse videatur quid cum partibus universi sibi cognatis rursus coaluit. Qui enim non latebat ante propriam cujusque constitutionem nec futurorum elementorum natura, ex quibus humana corpora, nec eorumdem elementorum partes, ex quibus desumpturus erat id quod ipsi ad humani corporis constitutionem

aptum videretur; facile patet neque etiam postquam idem corpus in varias universi partes dissipatum fuerit, ignarum illum futurum quonam migraverit unumquodque eorum quæ ad cujusque absolutionem et perfectionem adhibuerat. Nam pro vigenti apud nos rerum ordine, quantumque de cæteris rebus judicari solet, majus est ea quæ nondum sunt præcognoscere; quantum autem ad Dei majestatem ejusque sapientiam spectat, utrumque secundum naturam est, nec difficilius ea quæ nondum sunt prænoscere, quam quæ dissoluta cognoscere.

III. Illius autem potestatem excitandis ad vitam corporibus non imparem esse argumento est eorumdem generatio. Nam si non exstantia hominum corpora, eorumque principia in prima fecit creatione; etiam dissoluta, quolibet id contigerit modo, non difficilius exsuscitabit : æque enim potest id quoque. Nec de hac ratione quidquam detrahitur, sive ex materia prima principia, sive ex elementis, ut principiis, humana corpora nonnulli componant, sive ex seminibus. Cujus enim potestatis est informi, ut illi existimant, materiæ formam affingere, et specie ac ornatu carentem multis variisque figuris ornare, et partes elementorum in unum cogere, et semen, quæ res una est et simplex, in multa dividere, et quod rude et incompositum est conformare et componere, et quod vitæ expers vita donare; ejusdem quoque est et dissoluta coagmentare et jacentia excitare, et mortua ad vitam revocare, et corrupta ad statum corruptionis expertem convertere. Ejusdem etiam auctoris, ejusdemque potestatis ac sapientiæ fuerit, et quod discerptum est ab omnis generis animalium multitudine, quæcumque ejusmodi corporibus accurrere solent, suamque ex illis satietatem capere, id inde separare, ac propriis iterum membris et membrorum partibus adjungere, etiamsi in unum aliquod ex his animalibus migraverit, etiamsi in multa, etiamsi

inde in alia, etiamsi cum illis una dissolutum ad prima principia secundum naturalem dissolutionem redierit : quæ quidem nonnullos maxime visum est perturbare, etiam sapientiæ laude insignes, quibus graves nescio quo pacto visæ sunt, quæ a vulgo jactantur, dubitandi rationes.

IV. Hi igitur dictitant multa hominum corpora quæ in naufragiis et fluminibus misere periere, escam piscibus facta esse; multa eorum qui in bello obiere, aut ob aliam tristiorem aliquam causam et calamitatem supremis munere caruerunt, quibuslibet feris exposita ad vorandum fuisse: cum ergo sic absumpta fuerint corpora, cumque membra et membrorum partes, ex quibus constabant, in plures belluas dilaniata, et cum earum corporibus per nutritionem coagmentata fuerint; primo quidem fieri posse negant ut inde eliciantur; deinde vero aliud esse difficilius ...: nam cum pastæ humanis corporibus belluæ, quotquot ad homines alendos aptæ sunt, in eorum ventrem descenderint et cum edentium corporibus coagmententur; necesse esse omnino ut hominum corpora quæcumque belluas alere, in alia hominum migrent corpora, quippe cum belluæ quas interim aluere, acceptum alimentum in eos homines trajiciant quibus ipsæ in cibum cedunt. Ad hæc tragœdias agunt in filios quos parentes fame aut insania urgente ausi sunt vorare, aut per inimicorum insidias appositos epulati sunt; tum Medicam illam mensam, tragicasque cœnas Thyestis, et alia hujusmodi colligunt novo calamitatis genere apud Græcos et barbaros perpetrata. Ex quibus efficiunt, ut ipsis quidem videtur, impossibilem esse resurrectionem, cum eædem partes cum aliis et aliis corporibus exsuscitari non possint : vel enim priorum corpora consistere non posse partibus ex quibus constabant ad alios traductis; vel si ista prioribus reddantur, manca et imperfecta posteriora futura.

V. Sed mihi videntur ejusmodi homines primum quidem onditoris et gubernatoris universorum potestatem et saentiam ignorare, qui uniuscujusque animalis naturæ et neri aptum et congruentem accommodavit cibum, ac nele omnem naturam cum quolibet corpore coalescere et mmisceri voluit, nec eorum quæ coaluerunt secernenrum difficultatem experitur; sed singularum rerum naræ concedit, ut quæ sibi congruunt faciat aut patiatur, terdum etiam impedit; et quidquid vult concedit, et ad m quem vult finem concedit, aut interpellat. Præterea c eorum quæ alunt aut aluntur, vim et naturam cujusle videntur considerasse; perspexissent enim profecto n quidquid comedit aliquis, ut necessitati exteriori cedat, congruens esse animali alimentum, sed nonnulla, statim que circumplicatis ventris partibus excepta sunt, corimpi solere, dum scilicet vomuntur, et secernuntur, aut io modo ejiciuntur; ita ut ne paulisper quidem primam naturalem coctionem sustineant, nedum cum partibus æ nutriuntur commisceantur : quemadmodum etiam nec idquid coctum est et primam immutationem accepit, id mper ad partes quæ nutriuntur pervenit; quippe cum onnulla in ipso ventre facultatem nutriendi amittant; alia secunda immutatione et ea quæ in hepate fit coctione cernantur, et ad aliud quidpiam commigrent quod a nuiendi facultate alienum sit. Ipsa etiam immutatio quæ fit jecore, non tota hominibus in alimentum cedit, sed in onsuetas superfluitates secernitur, et quod superest alienti in ipsis illis membris et membrorum partibus quæ utriuntur, id interdum in aliud quidpiam vertitur, prout ominatur id quod redundat et luxuriat et corrumpere aut se convertere solet quidquid attigit.

VI. Cum igitur multa sit in omnibus animalibus naturæ arietas, et accommodatum ad naturam alimentum, pro va-

rio animalis et corporis quod nutritur genere, immutetur; cumque triplex sit animalis cujusque alimentorum expurgatio et secretio; necesse est omnino corrumpi et quo convenit discedere aut in aliud quidpiam mutari quidquid alienum est ab animalis nutritione, quippe quod coalescere non possit: congruentem autem et secundum naturam esse facultatibus animalis quod nutritur, vim corporis nutrientis; eamque congruis colis percolatam et accurate naturæ secretionibus expurgatam, sincerissimum fieri substantiæ incrementum. Hanc autem et solam quidem alimentum appellarit, si quis vera nomina rebus imponat, ut quæ quidquid alienum et noxium est nutriendi corporis constitutioni, et plurimum illud pondus ad ventrem implendum et ad famem satiandam congestum abjiciat. Sed hoc quidem alimentum nemo dubitaverit cum corpore quod alitur coalescere, implicatum et conglutinatum omnibus ejus partibus et membris; quod autem aliter se habet et a natura alienum est, cito corrumpi si in majores vires inciderit, facile vero corrumpere si vicerit, ac in pravos succos et venenatas qualitates converti, quippe cum corpori nutriendo nihil cognatum aut amicum ferat. Cujus rei maximum signum est, quod in multis animalibus dolor ex ejusmodi alimentis consequatur, aut periculum aut ipsa mors, si præ acri appetitione aliquid venenosi et a natura alieni admixtum alimento traxerint: quod quidem corpori quod alitur perniciem omnino affert, siquidem quæ aluntur, cognatis et ad naturam accommodatis rebus aluntur, corrumpuntur vero contrariis. Igitur si pro varia animalium natura variæ sunt ciborum naturæ congruentium species, nec quidquid ex ipsis illis cibis ab animali sumptum fuerit, id cum corpore quod alitur totum coalescit, imo nec pars illius qualibet, sed ea tantum quæ omni coctione expurgata et ad sincerum cum certo quodam corpore coagmentationem immutata

partibus nutriendis accommodata sit; perspicuum est nihil unquam a natura alienum cum iis coagmentatum iri, quibus nec aptum nec congruum est alimentum; sed aut crudum et corruptum per ipsam alvum ejici, antequam alium aliquem succum gignat, aut si diutius consistat, vitium ab eo gigni et morbum qui facile non sanetur, quique cibum naturæ congruentem aut ipsam carnem alimento egentem corrumpat. Sed etiamsi pellatur aliquando, aut quibusdam medicamentis, aut cibis melioribus, aut facultatibus naturalibus superatum, non sine magno discedit damno, quippe cum nihil pacificum ferat iis quæ secundum naturam sunt, propterea quod cum natura coalescere non possit.

VII. Omnino autem etiamsi quis concedat intromissum ex ejusmodi rebus alimentum (ita enim appelletur consuetudinis causa) secerni et immutari in aliquid humidum aut siccum, aut calidum aut frigidum, ne sic quidem his concessis quidquam promovebunt, propterea quod resurgentia corpora ex propriis iterum partibus constent, nulla autem earum rerum quas diximus aut pars sit, aut partis speciem et locum occupet, imo non semper in partibus alimentum accipientibus permaneat, nec cum resurgentibus resurgat; nihil tum ad vitam conferente sanguine, sive pituita, sive bili, sive spiritu. Neque enim quibus rebus aliquando egebant corpora tum cum alerentur, iisdem etiam tunc temporis egebunt, una cum illius qui alebatur indigentia et corruptione, eorum etiam ex quibus alebatur usu sublato. Huc accedit quod, etiamsi quis ponat inductam ex ejusmodi alimento immutationem ad carnem usque pervenire; ne sic quidem necesse fuerit mutatam ex ejusmodi alimento carnem, si alterius hominis corpori accedat, rursus in partis loco ad ejus complementum censeri; quippe cum nec ipsa caro quæ adsciscit, eam semper retineat quam adscivit, nec

quæ adscita est ibi constanter permaneat quo accessit, sed multam in diversa mutationem accipiat, nunc doloribus et curis dissipata, nunc mœroribus et laboribus et morbis, et exortis ex æstu aut frigore imtemperiis tabefacta; humoribus, qui cum carne et adipe immutantur, non accipientibus alimentum ut id quod sunt permaneant. Cum igitur tot ac tanta caro patiatur, multo hæc magis pati reperias nutritam ex cibis minime congruentibus carnem, nunc turgescentem et pinguescentem ex iis quæ accepit, nunc rejicientem quolibet modo et imminutam ex causarum quas prius diximus aliqua, aut etiam ex pluribus; eam autem quæ a natura electa est, quæque iis adhæreseit, quibuscum vitam naturæ congruentem et vitæ labores adimplet, solam, in partibus quæ ab ea colligari, contineri et foveri solent, permanere. Ac profecto, nec iis quæ modo investigavimus, ut par est, dijudicatis, nec iis quæ contra disputata sunt per concessionem approbatis, verum esse demonstrari possit id quod ab istis dicitur; nec unquam hominum corpora cum aliis ejusdem naturæ coaluerint, sive imprudentes, alterius fraude sensum præripiente, degustent de ejusmodi corpore; sive per se ipsi inopia aut insania adducti similis naturæ corporibus sese contaminent. Neque enim nos latet quasdam esse in humana forma belluas, aut compositam habere ex hominibus et belluis naturam, quales effingi ab audacioribus poetis solent.

VIII. Sed de corporibus quæ nulli animali ad vescendum destinata, nec aliud sepulcrum quam terram in honorem naturæ sortita sunt, quid attinet dicere; cum ne ullum quidem animal creator ejusdem speciei animalibus ad vescendum addixerit, quamvis in quibusdam aliis diversi generis cibus sit ad naturam accommodatus? Si ergo demonstrari possunt carnes hominum hominibus ad vescendum destinatas esse, nihil vetabit quominus sese invicem comedere

sane merito improbitatis opinionem propter eos qui non credunt, referamus, sed tarditatis. Quibus enim rationibus nos decipimus, neminem iis lædimus. Porro non nos solum corpora resurrectura censere, sed multis etiam philosophis idem videri, supervacaneum est impræsentiarum demonstrare, ne propositæ orationi alienas inserere disputationes videamur, sive de iis quæ mente percipiuntur, sive de iis quæ sensu, ac de eorum natura; sive illud etiam disserentes, incorporea antiquiora esse corporibus, et ea quæ sensu percipiuntur, licet prima nobis occurrant, iis quæ mente esse posteriora; quippe cum ex incorporeis, per cumulatam conjunctionem insensibilium, constent corpora, et ex iis quæ mente percipiuntur, ea quæ sensu. Nihil enim prohibet, secundum Pythagoram et Platonem, quominus facta corporum dissolutione, quibus ex rebus primo coaluerant, ex iisdem eadem rursus coagmententur. Sed hac de resurrectione disputatione supersedeamus.

XXXVII. Vos autem tum natura, tum doctrina rebus omnino in omnibus boni, et moderati et humani, et imperio digni Imperatores, jam mihi, postquam criminationes dissolvi, ac nostram in Deum pietatem et mansuetudinem et animæ temperantiam demonstravi, regio capite annuite. Quinam enim digniores qui ea quæ petunt impetrent, quam qui pro imperio vestro precamur, ut filius a patre, prout æquissimum est, regnum accipiatis, et accessionibus ac incrementis imperium vestrum, omnibus ditioni vestræ subjectis, augeatur? Atque id quidem nostra etiam interest, quo tranquillam vitam agamus, et imperata omnia alacres ministremus.

---

rupta, renovari non possunt; deinde ex figulorum et fabrorum similitudine demonstrare conantur, nec Deum velle, nec, si velit, mortuum aut etiam dissolutum corpus exsuscitare posse. In quo non vident sese gravissimam Deo contumeliam facere, dum nihil discriminis ponunt inter rerum disjunctissimarum facultates, vel potius inter eorum qui illis utuntur naturas, ac inter ea quæ arte et ea quæ natura continentur. In hæc igitur studium insumere, reprehensione non caret. Stolidum enim omnino est levia et inania refellere. Multo autem probabilius dictu est, ac longe omnium verissimum, quod apud homines fieri non potest, id a Deo posse fieri. Quod si per hæc ipsa, ut probabilia, et per ea quæ supra indagavimus, rem posse fieri ratio demonstrat; liquet alienam non esse a Dei potestate. Imo nec a voluntate aliena est.

X. Quod in Dei voluntatem non cadit, vel ideo non cadit quod injustum sit, vel quod indignum. Rursus id quod injustum est, vel circa eum qui resurrecturus est spectatur, vel circa alium ab eo. Porro nulli externæ rei quæ quidem in rerum natura numeretur, injuriam fieri perspicuum est. Nam nec spiritualibus naturis noceat hominum resurrectio (neque enim illis impedimento est quo sint minus, aut damnum et injuriam infert hominum resurrectio), nec etiam brutorum et inanimorum naturæ. Hæc enim post resurrectionem non erunt. Quod autem non existit, injuriam non accipit. Sed fac semper futura; ne sic quidem ullam accipient injuriam, hominum corporibus renovatis. Nam si nunc hominum naturæ eorumque usui, dum adhuc egeni sunt, obsequentia ac sub jugum et servitutem omnem missa, nullam accipiunt injuriam; multo magis, iisdem hominibus extra perpessionem et indigentiam omnem positis, nec jam ejusmodi rerum usu indigentibus, liberata omni servitute, nihil accipient injuriæ. Neque enim si voce in-

structa essent, creatorem incusarent, quod immerito infra homines, non eamdem ac illi resurrectionem sortita, collocentur. Quorum enim natura non est æqualis, neque etiam iis finem æqualem is qui æquus est constituit. Præterea apud quos nulla justitiæ notio, neque etiam ulla ob injustitiam querela. Neque etiam illud dici potest injustitiam aliquam circa hominem reviviscentem spectari. Cum enim constet ex anima et corpore, nec in animam nec in corpus injuriam accipit. Neque enim quisquam est qui, si sapiat, injuriam dicat animæ fieri; sic enim imprudens una cum resurrectione vitam quoque præsentem excludat. Nam si nunc in corpore corruptioni et perpessioni obnoxio habitans nihil patitur injuriæ, multo minus patietur cum eodem corruptionis et perpessionis experte conjuncta. Neque etiam corpori quidquam fit injuriæ. Nam si nunc, cum sit corruptioni obnoxium, cum incorrupto conjunctum non læditur; perspicuum est læsum non iri, si incorruptum cum incorrupto conjungatur. Neque id quisquam dixerit indignum Deo esse, dissolutum corpus exsuscitare et colligere. Nam si deterius, id est, corruptioni et perpessioni obnoxium corpus facere indignum eo non fuit; multo magis præstantius facere, id est, a corruptione et perpessione immune, indignum non erit.

XI. Quod si tum per ea quæ natura prima sunt, tum per ea quæ ex his consequuntur, unumquodque eorum quæ in quæstionem venerunt, demonstratum est; perspicuum est corporum dissolutorum resurrectionem opus esse ejusmodi, quod Deus et facere possit et velle, quodque eo dignum sit. Ex his enim convictum est contrariæ opinionis mendacium, et absurda incredulorum ratiocinatio. Quid enim attinet de alterius cum altero conversione et mutua cohærentia dicere? Si tamen cohærentiam dicere oportet, quasi aliqua dissimilitudine discrepent, ac non potius quod

Deus facere potest, id eum velle posse dicendum, et quod velle potest, id posse facere, idque eo dignum esse. Atque aliam quidem esse disputationem de veritate, aliam pro veritate, et in quo positum sit utriusque discrimen, et quibus in locis et apud quos utilitas, satis multis supra demonstravimus. Nihil autem vetat quominus communis securitatis, et eorum quæ diximus cum iis quæ dicentur cohærentiæ causa, rursus ab his ipsis eorumque adjunctis initium faciamus. Atque alteri quidem natura convenit principatum tenere; alteri autem primam instar satellitis comitari, viam sternere, et ante quidquid incommodum sit aut præruptum removere. Nam qui de veritate sermo instituitur, is cum omnibus hominibus ad securitatem et salutem necessarius sit, et natura est et ordine et utilitate princeps: natura quidem, ut rerum cognitionem afferens; ordine, ut in illis et simul cum illis existens, quorum est index et monstrator; utilitate, ut securitatis et salutis iis a quibus cognoscitur sequester. Qui autem pro veritate suscipitur, natura et potestate inferior est; minus est enim mendacium arguere quam veritatem confirmare. Est etiam ordine posterior; vim enim suam depromit adversus eos qui falsis opinionibus detinentur. Falsa autem opinio ex superjecto semine et corruptione orta est. Sed tamen quamvis hæc ita se habeant, sæpe præmittitur, fitque interdum utilior; quippe cum eruat et ante expurget obstrepentem nonnullis incredulitatem et insidentem iis qui recentes accessere dubitationem et falsam opinionem. Atque ad eumdem quidem uterque sermo finem refertur (ad pietatem enim refertur tum qui mendacium arguit, tum qui veritatem confirmat), non tamen omnino unum et idem sunt: sed hic necessarius, ut dixi, omnibus credentibus ac veritatis et salutis suæ curam gerentibus; iste interdum nonnullis et adversus nonnullos fructuosior. Atque hæc quidem summatim dicta sint ad re-

cordationem superiorum. Veniendum autem ad propositum ac demonstrandum veram esse de resurrectione doctrinam, tum ex ipsa illa causa secundum quam et propter quam primus homo conditus est, ejusque posteri, etsi eodem modo conditi non fuerunt; tum ex communi omnium hominum, quatenus hominum, natura; tum etiam ex futuro creatoris de hominibus judicio, ad totum illorum vitæ tempus atque ad vivendi rationem accommodato, quod quidem justum esse nemo dubitaverit.

XII. Ratio ex causa deducitur, si consideremus utrum temere et frustra factus homo fuerit, an aliquam ob causam; si quam ob causam, utrum ad hoc ipsum ut vivat et in qua factus est natura perseveret, an ad usum alterius; si ad usum alterius, vel ad ipsius creatoris, vel ad alterius cujuspiam eorum qui ad Deum pertinent, et majori cura ab eo dignantur. Quod quidem etiam dum latius consideramus, reperimus quicumque mentis compos sit, et rationis judicio ad aliquid faciendum moveatur, nihil eum ex illis quæ ex animi proposito facit, frustra facere, sed aut ad suos usus, aut ad eorum quorum curam gerit, vel propter ipsum opus cujus ad effectionem naturali quadam propensione et amore impellitur. Veluti (utamur enim quadam similitudine, ut perspicuum fiat id quod proponimus) facit quidem homo ad proprios usus domum; facit autem bobus et camelis, cæterisque animalibus quibus opus habet, conveniens cuique tectum, non ad proprium suum usum si species attendatur; sin autem finis, ob hanc quidem causam, sed proxime ob eorum studium quorum cura tangitur. Procreat autem liberos non ad suos aut suorum usus, sed ut sint et, quamdiu fieri poterit, perseverent homines ex ipso geniti, liberorum et nepotum successione solatium mortis suæ adhibens, atque hoc modo quod mortale est immortale effecturum se sperans. Atque hæc quidem ab hominibus. Deus

autem nec frustra hominem fecit; est enim sapiens, nullum autem sapientiæ opus inutile: nec ad proprium suum usum, nulla enim re indiget; qui autem nulla omnino re indiget, sua ei opera nihil ad proprium usum attulerint. Sed nec ob aliquam rerum a se creatarum hominem condidit. Nihil enim ex eis quæ ratione et judicio utuntur, ad alterius sive superioris sive inferioris usum creatum est aut creatur, sed ad propriam eorum qui creantur vitam et perpetuitatem. Neque enim ratio usum ullum reperit qui causa sit hominum generationis; quippe cum ii qui immortales sunt extra indigentiam omnem positi sint, nec ullo egeant hominum subsidio ut existant; belluæ autem natura subjectæ sint, et ad quos quæque usus institutæ sunt, eos hominibus exhibeant, nequaquam autem ita comparatæ sint, ut hominibus utantur. Neque enim fas est aut fuit, id quod imperat et principatum tenet, ad usum inferiorum dejicere, et quod ratione utitur, rebus rationis expertibus, minime aptis ad imperandum, summittere. Quamobrem si nec sine causa, nec frustra creatus est homo (nihil enim inter divina opera inutile, quantum ad auctoris consilium spectat), nec ad ipsius creatoris usum, nec ad alterius cujuspiam rei ab ipso conditæ; liquet Deum, si prima et latius patens consideretur ratio, propter seipsum et elucentem in omnibus ipsius operibus bonitatem et sapientiam adductum fuisse ut hominem faceret; si vero proprior et ipsis hominibus creatis interior ratio spectetur, propter ipsorum vitam, quæ quidem non ad breve aliquod tempus succendenda, ac postea omnino exstinguenda sit. Reptilibus enim et volatilibus et natatilibus, et, ut latius pateat quod dico, omnibus belluis ejusmodi vitam attribuit Deus. Qui vero ipsius creatoris simulacrum in se ipsis ferunt, ac mente præditi et rationis judicium sortiti sunt, iis perpetuitatem despondit et destinavit creator, ut auctorem suum ejusque potentiam

sapientiam cognoscentes, ac legi et justitiæ obsequentes, perpetuo in iis citra ullum laborem permaneant quibus anteactam vitam, quamvis in terrenis essent et corruptioni obnoxiis corporibus, fortiter toleraverunt. Quæcumque enim alterius causa condita sunt, illis quorum causa condita sunt non jam exstantibus merito et ipsa esse desinent, nec frustra permanserint; propterea quod inter divina opera nihil sit loci rebus inutilibus. Quæ vero ob hanc ipsam causam condita sunt ut essent, et vitam sibi convenientem degerent, cum hæc causa colligata sit cum natura, et in sola existendi ratione posita, iis nihil unquam possit accidere cur omnino esse desinant. Sed cum causa illa, ob quam condita sunt, semper existendi ratione spectetur; necesse est ad perpetuitatem animal ita conditum servari, ea agens et patiens quæ ipsius naturæ congruunt, duabus illis partibus, ex quibus constat, quod suum cujusque est in medium afferentibus : ita ut anima æquabiliter in qua condita est natura exstet et permaneat, munusque sibi congruum administret (est autem proprium ejus munus corporis appetitus regere, et quidquid usquam inciderit, id aptis dijudicare et metiri judiciis et mensuris); corpus autem secundum naturam ad ea quæ congruunt moveatur, et destinatas sibi mutationes accipiat, et cum cæteris, quæ ad ætatem aut speciem aut magnitudinem pertinent, ipsam etiam resurrectionem. Est enim species quædam mutationis, eaque omnium postrema, resurrectio, et eorum qui tunc temporis adhuc supererunt, in melius immutatio.

XIII. Quibus rebus non minus confidentes quam iis quæ jam evenerunt, ac propriam naturam considerantes, cum obnoxiam egestati et corruptioni vitam diligimus, ut præsenti ævo convenientem, tum immunem a corruptione perpetuitatem constanter speramus, quam quidem non ex hominum commentis somniamus, falsa spe nobismetipsis

illudentes, sed certissimo fideijussori credimus Dei consilio, quod ille intendit, cum hominem ex anima immortali et corpore constituit, ac mente et insita lege eum instruxit ad conservationem et custodiam eorum quæ ab ipso, vitæ sapienti et rationis participi congruentia, sunt data: probe intelligentes futurum non fuisse ut ejusmodi animal fingeret, ac omnibus ad perpetuitatem rebus ornaret, nisi hoc opus permanere voluisset. Igitur si universorum opifex hominem condidit, ut sapientis vitæ particeps esset, ac ipsius magnificentiæ et elucentis in omnibus sapientiæ spectator factus, in his semper contemplandis permaneret secundum auctoris consilium et acceptam ab eo naturam; nascendi causa fidem facit perpetuitatis, perpetuitas autem resurrectionis, qua sine homo permanere non possit. Ex his autem quæ diximus perspicuum est resurrectionem ex nascendi causa et auctoris consilio clare demonstrari. Cum ergo talis causa extiterit cur homo in mundum induceretur, consentaneum est ut quæ ex his natura aut ordine consequuntur, consideremus. Si ordo investigandi spectatur, sequitur nascendi causam hominum genitorum natura, hominum naturam justum creatoris de iisdem judicium, hæc omnia vitæ finis. His autem quæ principem locum tenent investigatis, deinceps consideranda est hominis natura.

XIV. Veritatis dogmatum aut cujuscumque rei ad investigandum propositæ demonstratio, quæ quidem indubitatis argumentis dicta confirmet, non foris deducitur, aut ex iis quæ nonnulli opinantur aut opinati sunt, sed ex communi et naturali ratione aut posteriorum ex prioribus consecutione. Vel enim de primis principiis agitur, tumque satis opus est admonitione ad naturalem notionem excitandam; vel de iis quæ secundum naturam ex primis consequuntur, ac de naturali serie, tumque opus est his in rebus ordinem

ıdhibere, demonstrando quid primis et principibus vere ;ohæreat, ut nec veritas nec veritatis tuta demonstratio ıegligatur, nec quæ natura ordinata et distincta sunt con'undantur, nec naturalis series distrahatur. Unde oportere ırbitror ut qui æquum ad propositam quæstionem studium ıfferunt, ac prudenter dijudicare volunt utrum futura sit ıecne humanorum corporum resurrectio, ii primo attente :onsiderent quam vim habeant quæ ad hujus rei demonsrationem valent, et quem quæque locum teneant, quid ›rimum, quid secundum, quid tertium, quid denique posremum. Atque in his disponendis primo loco statuenda st generationis hominum causa, id est consilium quod inendit creator cum hominem fecit; huic deinde convenıienter subnectenda est hominum natura, non quod or.ine posterior sit, sed quod utrumque simul dijudicari non ·ossit, etiamsi quam maxime simul existant, et ad propoitam quæstionem par momentum afferant. His argumenis, ut longe principibus et ab ipso Dei opificio repetitis, lare demonstrata resurrectio, non minus rationibus ex rovidentia deductis confirmatur, id est, ex debitis uniuique homini justo judicio præmiis aut pœnis, et propotio vitæ humanæ fine. Multi enim de resurrectione dispuıntes ei rei quam tertiam numeramus, causam omnem ɔli assignarunt, resurrectionem fieri propter judicium aritrati. Quod quidem manifeste falsum ex eo demonstraır, quod qui moriuntur, ii omnes quidem resurgant, non ımen qui resurgunt omnes judicentur. Nam si sola judiii æquitas resurrectionis causa esset, oporteret ut qui nec ıali quidquam egerunt nec boni, id est teneri admodum inıntes, ii neque etiam resurgerent. Sed cum resurrectio conedatur cum cæteris omnibus, tum iis etiam qui prima in tate mortui sunt, etiam ipsi argumento sunt resurrectioem non propter judicium fieri, si primaria causa specte-

tur, sed propter conditoris consilium et rerum conditarum naturam.

XV. Cum autem spectata in hominum generatione ca[illegible] demonstrare vel sola possit resurrectionem naturali [illegible] dissoluta corpora sequi; æquum est ut nullam ex propo[illegible] tis rationibus defugiamus, sed convenienter iis quæ di[illegible] mus, his qui per se perspicere non possunt, demonstre[illegible] quid unaquæque res ex aliis consequens, in primis [illegible] quid hominum natura quæ in eamdem notionem duc[illegible] minus valet ad astruendam resurrectionem, habeat [illegible] menti. Nam si omnis communiter hominum natura [illegible] ma immortali constat et corpore quod cum anima in cr[illegible] tione conjunctum fuit, ac neque naturæ animæ per se [illegible] aut corporis naturæ separatim Deus ejusmodi creationem [illegible] vitam et totius vitæ decursum despondit et destinavit, [illegible] compositis ex utroque hominibus, ut quibus ex rebus co[illegible] stant cum gignuntur et vivunt, cum iisdem ad unum aliquem et communem finem vita peracta perveniant; necesse est omnino, ut cum unum sit ex utrisque animal quod patitur quæcumque anima patitur et corpus, et operatur ac perfi[illegible] quæcumque sensuum aut rationis judicio continentur; ne[illegible] cesse est, inquam, ut tota ejusmodi rerum series et conti[illegible] nuatio ad unum aliquem finem referatur; ut omnia [illegible] nibus ad unum hominis concentum et eamdem [illegible] affectionum societatem concurrant, generatio hominis [illegible] tura hominis, vita hominis, actiones et perpessiones, [illegible] vitæ conveniens finis. Quod si unus aliquis est totius [illegible] lis concentus, et rerum omnium societas, sive ab [illegible] proficiscantur, sive corpore efficiantur; unum esse [illegible] his omnibus finem. Finis autem unus erit, si animal [illegible] est ille finis, in sua idem exstet constitutione. Idem [illegible] animal exstabit, si omnia ex quibus tanquam partibus [illegible] mal componitur, eadem exstent. Eadem secundum [illegible]

riam conjunctionem exstabunt, si quæ dissoluta sunt, iteum ad animalis constitutionem coalescant. Eorumdem auın constitutio hominum necessario consequentem mortuoım et dissolutorum corporum resurrectionem demonstrat. am absque illa nunquam inter se eædem partes secundum ıturam conjungentur, nec eorumdem hominum natura nstiterit. Quod si mens et ratio hominibus datæ ad inlligentiam earum rerum quæ mente percipiuntur, nec bstantiarum solum, sed etiam illius qui hæc dedit botatis et sapientiæ et justitiæ; necesse est ut iis permantibus quorum causa rationis judicium concessum est, sum quoque permaneat concessum ad hæc discernenda dicium : permanere autem non poterit, natura, quæ illud cipit et in qua residet, non permanente. Qui autem menın et rationem suscipit, homo est, non anima per seipsa. cesse est ergo hominem ex utroque constantem semper rmanere : non potest autem permanere nisi resurgat. ım si nulla sit resurrectio, nequaquam hominum, quateıs hominum, natura permanserit. Hominum natura non rmanente, frustra anima corporis indigentiæ et perpesnibus sociata; frustra corpus constrictum, quominus ea æ appetit consequatur, animæ habenis obsequens et fræsubjectum; inutilis mens, inutilis prudentia, justitiæ obvatio, ac virtutis omnis exercitatio, et legum institutio ac positio; atque ut verbo dicam, inutile quidquid in homius et propter homines honesti et præclari, vel potius inlis ipsa etiam hominum creatio et natura. Quod si in omus omnino Dei operibus et donis ab eo concessis, nihil rebus inutilibus loci; necesse est omnino ut animæ peruitati respondeat perpetua corporis secundum propriam ıram permansio.

XVI. Nemo autem admiretur, quod vitam morte et cortione interscissam appellemus permansionem : sed ani-

mo attendat non unam esse hujus nominis sententiam, nec unam permansionis mensuram, quia nec una permanentium natura. Nam si unumquodque eorum quæ permanent, secundum suam naturam permanet; non sane ejusmodi permansionem apud eos qui omnino incorrupti et immortales sunt quisquam reperiat, quia præstantiores substantiæ inferioribus non adæquantur: nec in hominibus æquabilis illa et immutabilis quærenda, quippe cum hi ab initio immortales facti sint, et sola creatoris voluntate perpetuo permaneant, homines autem ab ipso quidem ortu immutabilem permansionem secundum animam habeant, at secundum corpus immutationis beneficio incorruptionem assequantur. Id enim resurrectionis ratio sibi vult. Ad quam respicientes, corporis dissolutionem, ut vitæ egestati et corruptioni obnoxiæ consequentem, exspectamus; et post eam, corruptionis expertem speramus permansionem; nec brutorum morti nostram adæquantes, nec immortalium permansioni hominum permansionem, ne si ita faciamus, hominum naturam et vitam imprudentes rebus disparibus adæquemus. Non est igitur hac in re ferendum moleste, quod aliqua inæqualitas in hominum perduratione appareat; nec quia animæ e corporis membris discessio ac partium dissolutio continuam vitam interrumpit, idcirco resurrectio desperanda. Neque enim quia solutiones sensuum et naturalium facultatum, quæ naturaliter in somno fiunt, vitam in sensibus positam interrumpere videntur, dormientibus certo temporis intervallo hominibus et rursum quodammodo reviviscentibus; idcirco eamdem vitam dicere refugimus. Quæ causa fuit, ut mihi videtur, cur nonnulli fratrem mortis dicerent somnum, non quod ex iisdem proavis et patribus genitos fingerent, sed quia similia patiuntur qui mortui sunt et qui dormiunt, quantum spectat ad quietem et eorum quæ adsunt, quæque aguntur, vel potius sui ac pr

riæ vitæ oblivionem. Igitur si hominum vitam, quæ tanta b ipso ortu usque ad dissolutionem referta est inæqualiıte, iisque omnibus quæ diximus interrumpitur, eamdem ımen vitam appellare non refugimus; neque etiam dissoıtioni succedentem vitam, quæ secum adjunctam habet ›surrectionem, desperare debemus; quamvis aliquandiu ıimæ e corpore digressu interrumpatur.

XVII. Ipsa enim hominum natura, antiquitus et ex creaıris voluntate inæqualitatem sortita, inæqualem habet vim et permansionem, nunc somno, nunc morte, et ætatis ıjusque immutationibus interruptam, non aperte exstanbus iis quæ prioribus superveniunt. Quis enim crederet, experientia doceretur, in similari et molli semine tot tantarum reposita esse facultatum, et earum quæ simul ısurgunt et compinguntur molium discrimina, ossium, inıam, nervorum et cartilaginum, et musculorum et carum, et viscerum ac cæterarum corporis partium? Neque ıim in humidis adhuc seminibus horum quidquam videre t: nec in infantibus quidquam eorum quæ perfectis suırveniunt, nec in perfecta ætate ea quæ sunt egressorum ephebis, nec in istis ea quæ senum apparent. Quamvis ıtem eorum quæ diximus quædam nullo prorsus modo, ıædam obscure naturalem seriem et supervenientes hoinum naturæ mutationes exhibeant; sciunt tamen quiımque præ nequitia aut pigritia in his rebus dijudicandis ›n cæcutiunt, primo semina spargenda esse, deinde his ›r singulas partes et membra explicatis, ac editis in lucem ›tibus supervenire primæ ætatis incrementum, deinde ex cremento perfectionem, tum ex perfectione remissionem cultatum naturalium usque ad senectutem, denique fascentium corporum dissolutionem. Quemadmodum igitur ıc in re, cum nec semen vitam hominum et formam, nec ta dissolutionem in prima principia præ se ferat; natura-

lium eventuum series fidem eorum facit quorum argumenta oculis spectanda non traduntur; multo magis ratio ex naturali serie veritatem investigans, fidem facit resurrectionis, cum tutior et præstantior sit experientia ad confirmationem veritatis.

XVII. Rationum momenta modo a nobis ad investigandum proposita ac resurrectionem adstruentia, sunt quidem omnia ejusdem generis, ut ex eodem nata principio (principium autem illis est primorum hominum ex creatione generatio), sed alia ex ipso confirmantur principio unde orta sunt, alia naturæ et vitæ hominum consequentia ex Dei circa nos providentia fidem accipiunt (nam causa secundum quam et propter quam nati sunt homines, cum natura hominum colligata, ex creatione vim deducit; justitiæ autem ratio, secundum quam homines qui bene vel male vixerunt judicat Deus, ex eorumdem hominum fine: illinc enim nascuntur, sed magis pendent ex providentia). Prioribus autem, ut potuimus, demonstratis, præclarum sane fuerit etiam ex posterioribus, id est ex debito cuique homini secundum justum judicium præmio aut pœna, et ex vitæ humanæ fine rem propositam demonstrare, atque ex ipsis illis id præmittere quod natura princeps est, et a judicii ratione initium considerandi facere; unum tantum studio convenientis rebus propositis principii et ordinis subjicientes, oportere ut qui creatorem hujus universi admittunt Deum, ejus sapientiæ et justitiæ operum omnium custodiam et providentiam assignent, si quidem in suis principiis permanere velint, et cum de his ita sentiant, nihil omnino neque in cœlo neque in terra gubernationis providentiæ expers existiment, sed ad omnia, sive latentia sive exstantia, sive parva sive magna, procurationem creatoris permeare agnoscant. Egent enim res creatæ omnes creatoris procuratione: sigillatim autem unaquæque pro-

a natura instituta est, et ad quod instituta est. Præposteri enim studii esse arbitror frangere nunc et dividere, et quid cuique naturæ conveniat recensere velle. Homo certe, de quo nunc propositum est dicere, quatenus indiguus est, eget alimento; quatenus mortalis, successione; quatenus ratione præditus, judicio. Jam vero si horum unumquodque homini secundum naturam est; si alimento eget propter vitam, successione propter generis perpetuitatem, judicio propter cibi et successionis legem; necesse est ut cum alimentum et successio in utrumque ferantur, judicium quoque in utrumque, id est, in hominem ex corpore et anima constantem feratur, ac ejusmodi homo rationem actionum omnium reddat, et pro eis præmium aut pœnam accipiat. Quod si justum judicium utrique mercedem actionum irrogat; si æquum non est ut anima sola rerum una cum corpore gestarum præmia referat (nam per se ipsa non movetur iis quæ circa corporis voluptates et cibos et cultus peccantur), nec corpus solum (est enim per seipsum dijudicandæ legis et justitiæ expers), sed ut compositus ex utrisque homo de unaquaque actionum suarum in judicium vocetur; id autem si neque in hac vita evenire ratio reperit (non enim ille pro meritis status in præsenti vita servatur, cum multi athei et iniquitati ac nequitiæ omni dediti, usque ad mortem expertes malorum permaneant; contra qui vitam suam ad omnem virtutem dirigunt, in doloribus, injuriis, calumniis, cruciatibus et omnis generis calamitatibus vivant), neque etiam post mortem (neque enim adhuc utrumque exstat, anima quidem a corpore separata, corpore autem ipso in ea dissoluto ex quibus collectum fuerat, nec quidquam prioris naturæ et formæ, nedum memoriam rerum gestarum retinente), quod superest cuique perspicuum est, oportere secundum Apostolum hoc corruptibile et dissipabile induere incorruptionem, ut vivifi-

catis ex resurrectione iis quæ mortua erant, et rursum con junctis quæ separata, aut etiam omnino dissoluta, merito quisque referat quæ per corpus gessit, sive bona, sive mala.

XIX. Igitur adversus eos qui providentiam confitentur, et eadem ac nos admittunt principia, deinde propriis sententiis nescio quo pacto excidunt, his utatur quis sermonibus ac multo etiam pluribus, si quidem dilatare velit quæ concise et cursim dicta sunt. Sed adversus eos qui de principiis dissident, optimum forte fuerit aliud istis principium præmittere, simul cum illis dubitantes de quibus ipsi rebus opinantur, et ad hunc modum una disceptantes, num tota prorsus hominum vita despiciatur, ac densa quædam caligo terris diffusa tum ipsos homines, tum eorum actiones ignoratione et oblivione involvat; an multo tutius sit existimare suis creatorem præesse operibus, omnium quæcumque sunt aut fiunt inspectorem, operum et cogitationum judicem. Nam si nullum omnino hominibus rerum gestarum judicium datur, nihil homines amplius habent quam belluæ. Imo istis infelicius agunt, ut qui perturbatos animi motus in servitutem redigant, ac pietatis et justitiæ virtutumque cæterarum curam gerant; belluarum autem et ferarum vita optima, virtus vero insipiens, judicii minæ res perridicula, voluptati autem omni indulgere maximum bonum, commune autem horum omnium decretum atque una lex, ac ea illa intemperantibus et lascivis sententia, « Manducemus » et bibamus, cras enim moriemur[1]. » Talis enim vitæ finis ne voluptas quidem, ut nonnulli opinantur, sed status omnis sensus expers. Quod si hominum creatori aliqua operum suorum cura, ac bene aut male actæ vitæ series alicubi discrimen; vel in præsenti vita, adhuc viventibus qui virtutem aut vitium sectantur; vel post mortem,

[1] 1 Cor. xv, 32.

dem in separatione et dissolutione versantibus. At in neutro servata judicii æquitas reperiri potest. Nam nec boni in præsenti vita virtutis præmia referunt, nec mali nequitiæ. Illud enim prætermitto, natura in qua nunc sumus servata, non posse naturam mortalem pares pluribus aut gravioribus peccatis pœnas sustinere. Nam qui innumeros ex innumeris occidit injuste vel latro, vel princeps, vel tyrannus, is sane una morte horum scelerum pœnam non persolverit. Sic etiam qui de Deo nihil veri opinatus est, sed in omni convicio et blasphemia vixit, divina contempsit, leges infregit, stupra pueris æque ac mulieribus intulit, urbes evertit injuste, domos una cum hominibus incendit, regionem vastavit, simulque populos et incolas aut etiam universam gentem exstinxit; quonam is pacto in corpore corruptioni obnoxio, pari his sceleribus pœnæ suffecerit, cum mors debitam meritis mercedem præripiat, ac ne uni quidem alicui facinorum mortalis natura sufficiat? Neque igitur in præsenti vita judicium pro meritis demonstratur: neque etiam post mortem.

XX. Vel enim mors totius est omnino vitæ interitus, anima simul cum corpore dissoluta et corrupta; vel, per se ipsa manente anima dissolutionis et dissipationis et corruptionis experte, corrumpitur et dissolvitur corpus, nullam jam retinens nec rerum gestarum memoriam, nec eorum quæ ob animam toleravit sensum. Exstincta omnino hominum vita, nulla jam videtur hominum non exstantium procuratio, nec eorum qui secundum virtutem aut vitium vixerint, judicium: iterum autem revolventur exlegis vitæ incommoda, et absurdorum ex ea consequentium examen, et, quod hujus perversitatis caput est, impietas Dei negatrix. Quod si corrumpatur quidem corpus, et partes quæque dissolutæ ad congrua elementa migrent, anima autem per se ipsa, utpote incorrupta, maneat, ne sic quidem lo-

cum habebit animæ judicium, quippe cum justitia desideretur : si quidem nefas est suspicari ullum ex Deo aut a Deo judicium fieri cui non adsit justitia; judicio autem abest justitia, non exstante eo qui justitiam aut injustitiam exercuit. Nam qui unumquodque eorum de quibus judicium instituitur, in vita egit, homo erat, non anima per se ipsa. Atque, ut verbo dicam, hæc judicii ratio nullam æquitatis partem retinet.

XXI. Nam si recte facta remunerentur, aperte fiet injuria corpori, eo quod susceptorum in rebus præclare gerendis laborum particeps fuerit, mercedis autem recte factorum particeps non sit; ac veniam quidem anima in quibusdam peccatis habeat propter corporis indigentiam et usum, ipsum autem corpus recte factorum, pro quibus simul labores in vita toleravit, societate excidat. Peccatis autem judicatis, non servatur animæ justitia, si quidem sola pœnas eorum persolvat quæ obstrepente corpore et ad proprios appetitus et motus trahente peccavit, nunc simul abrepta et veluti furto abducta, nunc violentius tracta, interdum accommodatione quadam gratiam et cultum impendens ad corporis conservationem. Aut quomodo non injustum animam de iis rebus per seipsam judicari ad quas, secundum suam ipsius naturam, nullum habet omnino appetitum nec motum, nec impetum, ut de luxuria, violentia, avaritia, injustitia, et inde nascentibus peccatis? Nam si ejusmodi mala inde pleraque oriuntur, quod homines non comprimant tumultuantes animi motus, tumultuantur autem propter corporis indigentiam et usum, et illius fovendi studium et cultum (horum enim causa possessio omnis, et potior possessione usus, nuptiæ præterea, et cæteræ vitæ actiones in quibus et circa quas spectatur quid vitiosum sit et quid non); ubi æquitas, ut quibus in rebus corpus primas sentiendi partes sustinet, et animam trahit

in mutuam consensionem, et actionum ad ea quibus indiget societatem, sola ipsa judicetur, et appetitus ac voluptates, metus et dolores, in quibus quidquid minus moderatum judicio obnoxium est, a corpore motionem habeant; quæ autem ex eis consequuntur peccata, et quæ ex peccatis supplicia, ea in solam animam ferantur, nec indigentem cujusquam ejusmodi rei, nec appetentem, nec metuentem, nec quidquam ejusmodi patientem quod homo pati solet? Quamvis autem non solius corporis, sed hominis esse motus animi ponamus, quod quidem recte facimus, quia una est ex duobus ipsius vita, non tamen hæc animæ convenire dicemus, si propriam ejus naturam pure inspiciamus. Nam si nullius omnino alimenti eget, nunquam ea profecto appetet quibus opus non habet ut existat, nec ad eorum quidquam rapietur quibus omnino uti non potest; neque etiam dolebit propter penuriam pecuniarum aut possessionum, ut quæ nihil ad eam pertineant. Quod si etiam corruptione superior est, nihil omnino metuit quod ei interitum possit afferre : non formidat famem, non morbum, non membrorum abscissionem aut insignem nævum, non ignem aut ferrum; quippe cum ex his nihil pati possit noxii aut molesti, quam omnino nec corpora attingunt nec corporum facultates. Quod si vitiosos motus animabus proprie affingere absurdum est; orta ex his peccata et ex peccatis supplicia in solas animas conferre, longe iniquissimum et Dei judicio indignum.

XXII. Ad hæc quomodo non absurdum virtutem et vitium ne cogitari quidem separatim posse in anima (virtutes enim, hominis virtutes esse novimus, et oppositam eis vitiositatem non animæ a corpore separatæ aut per seipsam existentis), horum autem mercedem aut pœnam in animam solam ferri? Aut quomodo possit quis in anima sola fortitudinem et constantiam vel cogitatione informare, quæ nec

mortis metum habet, nec vulneris, nec abscissionis membrorum, nec damni aut cruentorum verberum, nec orti ex ejusmodi rebus doloris et ex dolore miseriæ? quomodo continentiam et temperantiam, nulla eam cupiditate ad cibum aut coitum aut alias voluptates et oblectationes trahente nec ulla re alia aut intrinsecus perturbante, aut extrinsecus stimulante? quomodo prudentiam, non subjectis ei agendis rebus aut non agendis, eligendis aut fugiendis, nec ulla omnino insita ei motione aut naturali ad aliquid faciendum impetu? Quomodo autem animabus omnino justitia congruat vel erga se invicem, vel erga aliud quidquam ejusdem aut diversi generis, cum non habeant nec unde, nec per quæ, nec quomodo pro meritis aut pro rationum paritate æqua distribuant, excepta Dei reverentia et observatione; ac præterea nec impetum aut motionem habeant ad usum propriarum rerum et abstinentiam alienarum, si quidem usus eorum quæ sunt secundum naturam, aut abstinentia, in iis spectatur qui ita nati sunt ut possint uti; anima autem nec ulla re eget, nec ita comparata est, ut his aut illis uti possit, ac propterea ne illa quidem quæ dicitur propria partium perfunctio in anima sic constituta reperiri potest?

XXIII. Atque illud quidem omnium maxime a ratione alienum est, sancitas quidem leges conferre in homines, observatæ autem aut violatæ legis mercedem in solas vertere animas? Nam si qui leges recepit, is etiam merito violatæ legis pœnam recipiat : leges autem recepit homo, non anima per se ipsa; hominem etiam oportet peccatorum pœnam sustinere, non animam per seipsam : si quidem nusquam animabus præcepit Deus ut abstineant rebus ad eas nihil attinentibus, velut adulterio, cæde, furto, rapina, ignominia in parentes, ac omni generatim cupiditate quæ injuriam et damnum proximo infert. Neque enim illud, ...

» nora patrem tuum et matrem[1], » animabus solis convenit, cum eis ejusmodi nomina non conveniant : neque enim animæ ab animabus gignuntur, ut patris et matris appellationem sibi adsciscant, sed homines ab hominibus. Neque igitur illud, *Non mœchaberis*, de animabus dicatur decenter aut cogitetur, cum inter eas non sit masculi et fœminæ discrimen, nec ulla ad coitum habilitas aut appetitus : nullus autem cum sit appetitus, neque etiam coitus fieri potest; apud quos autem nullus est coitus, neque etiam legitimus est coitus, quod est matrimonium; ubi autem nihil est loci legitimæ consuetudini, neque etiam inconcessus alienæ uxoris appetitus et cum ea consuetudo locum habere potest. Sed nec furtum aut avaritia cum interdicuntur, id animabus convenit : neque enim indigentes sunt earum rerum quibus qui indigent, propter naturalem indigentiam aut usum, furari solent aut per vim rapere, velut aurum aut argentum, aut animal, aut aliud quidpiam eorum quæ ad victum aut vestitum aut usum apta sunt; inutile enim est immortali naturæ quidquid ab indigentibus, tanquam utile, appetitur. Sed uberiorem de his rebus disputationem iis dimittamus qui singula diligentius considerare volunt, aut vehementius dimicare cum adversariis. Nobis autem cum satis sint quæ modo dicta sunt, et quæ his consentanea resurrectionem adstruunt, in iisdem diutius immorari non jam tempestivum sit. Neque enim nihil prætermittere ex iis quæ dici possunt, propositum nobis est, sed summatim his qui adsunt indicare quid de resurrectione sentiendum sit, et argumenta quibus hoc dogma nititur, ad audientium facultatem accommodare.

XXIV. Examinatis autem aliquatenus his quæ proposita fuerant, jam superest ut et argumentum quod ex fine ducitur consideremus : jam illud quidem ex his quæ dicta

[1] Exod. xx, 12.

sunt exstans atque elucens, tantumque examinis et accessionis requirens, quantum opus est ut non videamur ex his quæ modo dicta sunt immemoratum aliquid relinquere et materiam aut susceptam ab initio divisionem lædere. Illorum ergo in gratiam et eorum qui has in res incumbent, præclarum fuerit hoc tantummodo observare, nempe et eorum quæ a natura constituta sunt, et eorum quæ arte fiunt, proprium cujusque finem esse debere : quod quidem nos communis omnium notio docet, ac res ante oculos positæ testantur. Annon enim videmus alium esse agricolis, alium medicis propositum finem, ac rursus alium eorum quæ ex terra nascuntur, alium vero animalium quæ terræ munere vescuntur, et naturali quadam serie generantur? Quod si id perspicuum est, ac omnino oportet ut potentias quæ natura aut arte continentur, earumque operi consentaneus naturæ finis sequatur; necesse prorsus est, ut hominum finis, ut singularis naturæ finis, secernatur ab aliorum communitate. Neque enim fas est eumdem statuere finem eorum quæ rationalis judicii expertia sunt, et eorum quæ secundum insitam legem et rationem operantur, ac prudenti vita et justitia prædita sunt. Non igitur indolentia proprius erit eis finis; communis enim esset iis etiam quæ sensus expertia sunt. Sed nec eorum quæ corpus alunt aut oblectant perfruitio, et copia voluptatum : aut necesse est belluinam vitam primas obtinere, eam autem quæ ad virtutem dirigitur nullum ad finem dirigi; belluarum enim arbitror et pecudum esse proprium hunc finem, non hominum immortali anima et rationali judicio præditorum.

XXV. Neque etiam beatitudo animæ a corpore separatæ. Neque enim alterutrius eorum ex quibus constat homo, vitam consideramus aut finem, sed illius qui ex utroque constat. Talis enim est quisquis hanc vitam sortitus est homo, ac illius vitæ proprium aliquem esse finem oportet.

Quod si utriusque finis est, isque nec illis adhuc degentibus in hac vita reperiri potest, propter causas sæpe allatas, nec in anima a corpore separata, eo quod talis homo non existat, dissoluto aut prorsus etiam dissipato corpore, etiamsi anima per se ipsa permaneat; necesse est omnino in alia utriusque ac ejusdem animalis constitutione hominum finem reperiri. Hoc autem cum necessario consequatur, necesse prorsus est mortuorum aut omnino dissolutorum corporum fieri resurrectionem, ac eosdem homines rursus existere : si quidem finem non simpliciter, nec quorumlibet hominum, lex naturæ constituit, sed ipsorum illorum qui præcedentem vitam traduxerunt. Iidem autem homines rursus existere non possunt, nisi eadem corpora iisdem animabus reddantur. Ut autem idem corpus eadem anima recipiat, aliter fieri non potest, quam per resurrectionem. Hac enim perfecta, conveniens naturæ hominum consequitur finis. Vitæ autem prudentia et rationali judicio præditæ non erraverit si quis hunc finem esse dicat, in iis perpetuo sine interpellatione versari, quibus maxime et primario congruit naturalis ratio, et in contemplatione illius qui est, ejusque legis indesinenter gloriari : quamvis plerique homines terrenis rebus libidinose ac vehementer affecti hunc finem non assequantur. Non enim communem sortem evertit multitudo eorum qui congruente illis fine excidunt : quippe cum ejusmodi rerum examen et inquisitio ad singulos pertineat, et vitæ bene aut male actæ merces aut pœna ad unumquemque accommodetur.

S. THEOPHILUS.

AD AUTOLYCUM

LIBRI TRES.

SANCTUS THEOPHILUS,

EPISCOPUS ANTIOCHENSIS.

(CIRCA AN. 186.)

GRÆCUS.

SANCTUS THEOPHILUS, ex pagano Christianus, sextus post Petrum episcopus Eroti in pontificalem Antiochiæ sedem suffectus est, anno Christi 168.

Sic ipse conversæ ad Deum mentis ordinem exponit : « Et ego quidem quondam parum credidi re» surrectionem futuram : at ea cum animo diligenter » volvens revolvensque quæ modo diximus, nihil » hæsitans libenter iis fidem accommodo. Fidem » meam plurimum adjuvarunt Litteræ sacræ quas » legi ; inprimis tamen Prophetarum oracula, quæ » Spiritu sancto afflati prædixere, plurimum mihi » contulere... Confirmatus igitur ex iis quæ prædicta » sunt a Prophetis et contigere, non amplius hæsito, » sed Deo fidem habeo, lubenti animo ei obtempe» rans. » (S. Theoph. lib. 2 ad Autolyc. § 78.)

Plures scripserat contra hæreses libros, testantibus Eusebio simul et Hieronymo, qui varia ipsius contra varios opera legisse declarant : « Theophilus » una cum cæteris adversus hæreticos depugnavit, » ut constat ex quodam illius libro haudquaquam » spernendo, quem contra Marcionem elaboravit, » qui liber una cum aliis quos retuli etiamnum ex-

» stat.... Alius etiam exstat liber quem contra Her» mogeni hæresim inscripsit, in quo testimoniis utitur ex Joannis revelatione desumptis. » (Euseb. iv. 24; Hieron. Cat. xxv.)

Nunc autem soli supersunt tres ad Autolycum libri, ubi de religionis veritate potissimum disserit. Qui huc usque inter manus versantur, amissorum desiderium injiciunt : in doctrina veritas, in argumentis rectitudo, in cogitationibus jucunditas, in dictione vero sublimis urbanaque varietas deprehenditur. Sacræ profanæque disciplinæ peritissimum arguunt laudata sæpius hinc poetarum philosophorumque placita, hinc Prophetarum Apostolorumque oracula. Antiochenam ecclesiam rexisse creditur usque ad annum 186.

Libri ad Autolycum in lucem emissi sunt græce curante Conrado Gesnero, Zurich, in-fol. cum scriptis Tatiani; latine versi ibidem ex interpretatione Conradi Clauseri, quæ quidem iterum excusa est tum in Bibliothecis Patrum, tum in orthodoxographis græce et latine, Basileæ 1555, tum in editione S. Justini, Parisiis 1615 et 1636, et Coloniæ 1686, tum in Bibliothecæ Patrum auctuario, 1624, Parisiis, in-fol. Ea autem accuratior habenda est quæ græce et latine prodiit Parisiis, an. 1742, studio R. P. Maran, ad calcem operam S. Justini.

S. P. N. THEOPHILI,

EPISCOPI ANTIOCHENI,

AD AUTOLYCUM.

LIBER PRIMUS.

I. Lepida quidem lingua ac elegans dictio delectationem afferunt ac laudem ad inanem gloriam miseris hominibus, qui mentem corruptam gerunt. Veritatis autem amator non ducitur sermonibus fucatis, sed sermoni opus adjunctum, quodnam et quale sit, inquirit. Quoniam igitur me, amice, obtudisti inanibus sermonibus, deos tuos venditans, lapideos et ligneos, ductos et fusos, fictos et pictos, qui nec vident nec audiunt (sunt enim imagines et opera manuum hominum), meque præterea Christianum dicis quasi malum nomen ferentem; equidem confiteor me esse Christianum, et gratum illud Deo nomen fero, sperans me utilem esse Deo. Neque enim, ut tu existimas molestum esse nomen Deí, ita se res habet; sed fortasse quia adhuc inutilis es Deo, idcirco ita de Deo sentis.

II. Sed si dicas : Ostende mihi Deum tuum; dicam tibi : Ostende mihi hominem tuum, et ego tibi ostendam Deum meum. Proinde ostende an oculi mentis tuæ videant, et aures cordis tui audiant. Quemadmodum enim, qui vident oculis corporis, percipiunt quæ in hac vita terrena peraguntur, ac ea quæ inter se differunt explorant, lucem et tenebras, album et nigrum, deforme et formosum, concinnum et inconcinnum, apte dimensum et inepte, partibus

excedens et mutilum; quod idem etiam de iis dicendum quæ sub aures cadunt, acutis sonis aut gravibus aut jucundis: ita etiam se habent aures cordis et oculi mentis, ut Deum videre possint. Videtur enim Deus ab his qui eum videre possunt, si quidem oculos mentis apertos habent. Omnes enim habent oculos, sed quidam caligine suffusos, ac solis lucem non videntes. Neque ex eo quod cæci non videant, idcirco lux solis non lucet, sed sibi ipsis adsignent cæci et suis oculis. Sic et tu mentis tuæ oculos caligine suffusos habes ob peccata et malas actiones tuas. Ut speculum renidens, ita animam hominis puram esse decet. Cum igitur ærugo in speculo exstiterit, non potest hominis vultus in speculo conspici : ita cum peccatum in homine fuerit, non potest quisquam hujusmodi Deum videre. Ostende igitur teipsum annon mœchus sis, annon scortator, annon fur, annon prædo, annon spoliator, annon puerorum stuprator, annon contumeliosus, annon maledicus, annon iracundus, annon invidus, annon arrogans, annon superbus, annon percussor, annon avarus, annon parentibus non obsequens, annon filiorum tuorum venditor : hæc enim qui agunt, iis Deus non apparet, nisi prius se ab omni labe expurgaverint. Hæc igitur omnia tenebras tibi injiciunt, velut si obstet humor in oculos trajectus quominus in lucem solis defigi possint : ita et tibi impietates tenebras offundunt, quominus Deum videre possis.

III. Dices igitur mihi : Tu qui vides, narra mihi formam Dei qualis sit. Audi o homo! forma Dei nec dici, nec narrari potest, nec oculis corporeis videri. Nam nec ejus gloria animo capi, nec magnitudo comprehendi potest, nec altitudo cogitari, nec ejus robur in comparationem vocari, nec sapientia assimilari; nec ejus benignitas imitabilis, nec beneficientia enarrabilis. Nam si lucem eum dicam, opus ejus dico : si Verbum dicam, ejus principatum dico : si

spiritum dicam, meam ipsius respirationem dico : si sapientiam dicam, ejus progeniem dico : si robur dicam, ejus potentiam dico : si virtutem dicam, ejus operationem dico : si providentiam dicam, ejus benignitatem dico : si regnum dicam, ejus gloriam dico : si dominum dicam, judicem dico : si judicem dicam, justum eum dico : si patrem dicam, omnia eum dico : si ignem dicam, iracundiam ejus dico. Dices igitur mihi : Irascitur Deus? Maxime : irascitur enim male agentibus, bonus vero et benignus et misericors est in eos qui eum amant ac timent. Est enim magister piorum et pater justorum, judex vero et vindex impiorum.

IV. Caret principio quia ingenitus est : immutabilis est quatenus immortalis. Deus dicitur, διὰ τὸ τεθεικέναι, id est, quia omnia in sua ipsius stabilitate posuit, et διὰ τὸ θέειν, quod idem est ac currere et movere, et operari, et nutrire, et providere, et vivificare omnia. Dominus est quia omnibus dominatur; pater, quia ante omnia; conditor et creator, quia omnia condidit et creavit; altissimus, quia supra omnia; omnipotens, quia omnia tenet et complectitur. Nam et alta cœlorum, et profunda abyssorum et termini orbis terræ sunt in manu ejus : nec est locus in quo moretur et quiescat. Est enim cœlum ejus opus, terra et mare ejus opificium, homo ejus figmentum et imago. Sol, luna et stellæ sunt ejus elementa, in signa et tempora, et dies et annos condita, ut ministrent et serviant hominibus. Atque omnia Deus fecit, cum antea non essent, ut ex operibus cognoscatur et intelligatur ejus majestas.

V. Nam quemadmodum anima in homine non videtur, sed cum fugiat humanos visus, ex motu corporis intelligitur, ita et Deus oculis humanis videri non potest, sed ex providentia et operibus videtur et intelligitur. Quemadmodum enim et navem quis in mari instructam et currentem videns et ad littus appellentem, procul dubio gubernatorem

in ea esse judicabit a quo gubernetur; ita Deus omnium gubernator intelligendus est, quamvis non videatur carnis oculis, quippe cum comprehendi non possit. Nam si in solem, exiguum illud elementum, non potest homo oculos defigere ob calorem et vim exsuperantem, quanto magis Dei gloriam, quæ non est enarrabilis, mortalis homo intueri non potest? Quemadmodum enim malum punicum cortice circumdatum, intus plurimos habet foros ac loculos pelliculis interjectos, ac multa grana in se includit; sic universa creatura spiritu Dei, ipse vero spiritus una cum creatura continetur manu Dei. Quemadmodum igitur granum mali punici intus inclusum, non potest videre ea quæ sunt extra corticem, cum ipsum sit intus; sic nec homo, qui una cum omni creatura continetur manu Dei, Deum potest videre. Deinde vero rex terrenus existere creditur, quamvis ab omnibus non videatur; sed ex legibus suis et edictis et potestatibus et copiis et imaginibus cognoscitur: Deum autem non vis intelligere ex ejus operibus et potestatibus?

VI. Considera, o homo, ejus opera: tempestatum statis temporibus vicissitudines, aeris mutationes, astrorum attemperatum cursum, dierum et noctium, mensium et annorum rite descriptas vices, seminum, plantarum et fructuum amœnam varietatem, diversos pecudum fœtus, quadrupedum, volatilium, reptilium, natatilium, fluvialium et marinorum; tum datum ipsis illis animalibus generandæ et alendæ prolis instinctum, non ad suos, sed ad hominis usus; tum providentiam, qua Deus cibum omni carni præparat; tum servile obsequium, quod homini ab omnibus præstari jussit: dulcium fontium et fluviorum perennes fluxus, roris, imbrium et pluviarum copiam variis temporibus suppeditari solitam: corporum cœlestium diversos motus: luciferum exorientem et perfecti astri adventum prænuntiantem Pleiadis et Orionis conjunctionem; Arcturum et cætero-

rum astrorum iter in cœli circulo descriptum; quibus omnibus multiplex Dei sapientia propria nomina imposuit. Solus ille Deus est qui lucem ex tenebris fecit, qui lumen e thesauris suis educit, et receptacula austri, ac thesauros abyssi et terminos maris fecit, ac nivis et grandinis thesauros : qui aquas in thesauris abyssi, et tenebras in thesauris suis congregat, et suavem illam ac desiderabilem et jucundissimam lucem e thesauris suis profert[1] : qui eduxit nubes ab extremo terræ, et fulgura in pluviam multiplicat[2] : qui emittit tonitru ad terrorem, et ejus fragorem fulgure prænuntiat, ne anima subito turbata deficiat : atque etiam fulguris vim e cœlo erumpentis ita temperat, ut ne terram comburat : nam si fulgur impetui suo permittatur, terram comburet; quod si ipsum etiam tonitru, quæ in ea sunt subvertet.

VII. Hic Deus meus est, universorum Dominus, qui cœlum extendit solus, et statuit orbis terræ latitudinem : qui conturbat profundum maris, et sonum fluctuum ejus excitat : qui dominatur potestati ejus, et motum fluctuum ejus mitigat : qui fundavit terram super aquas, et spiritum eam nutrientem largitur : cujus spiritus vivificat omnia, quem si apud se retineat, hoc universum deficiet[3]. Hujus spiritu, o homo, loqueris, hujus spiritum ducis, atque hunc ignoras. Hoc autem tibi accidit ob mentis obcæcationem et cordis duritiem. Sed si vis, potes sanari : da te medico, et punget oculos mentis et cordis tui. Quis est iste medicus? Deus qui per Verbum et Sapientiam sanat et vivificat. Deus per Verbum et Sapientiam condidit universa : nam « Verbo » ejus firmati cœli et Spiritu ejus omnis virtus eorum[4]. » Præstantissima est illius sapientia. Deus in sapientia terram fundavit : cœlos præparavit in prudentia : in sensu disrupti

[1] Psal. XLVI; Job. IX, 9. — [2] Psal. CXXXIV. — [3] Psal. LXIV et LXXXVIII. — [4] Psal. XXXII.

abyssi, et nubes rorem effuderunt. Hæc si intelligis, o homo, et pure et sancte ac juste vivas, potes Deum videre : sed ante omnia præeant in corde tuo fides et timor Dei, tuncque hæc intelliges. Cum mortalitatem deposueris et immortalitatem indueris, tunc Deum pro meritis videbis. Excitabit enim tuam carnem cum anima immortalem Deus, ac tunc factus immortalis immortalem videbis, si nunc ei credideris : tunc etiam cognosces te contra illum inique loquutum esse.

VIII. Sed mortuos excitari non credis. Cum res eveniet, tunc credes, velis nolis; sed tua fides in incredulitatis loco deputabitur, nisi nunc credas. Sed cur non credis ? An ignoras rebus omnibus fidem præire? Quis enim agricola metere potest, nisi prius semen terræ crediderit; aut quis mare transmittere, nisi prius se ipse rati credat et gubernatori? Quis autem ægrotans sanari potest, nisi prius se ipse medico crediderit; aut quam artem quis aut disciplinam ediscere potest, nisi se prius tradiderit et crediderit magistro? Igitur si terræ credit agricola, si navigaturus rati, si ægrotus medico; non vis tu credere te Deo, tot ac tantis ab eo pignoribus acceptis? primo, quod te creavit cum antea non esses (nam si nec pater tuus erat nec mater, multo magis ipse aliquando non eras), ac te ex humida et parva materia et minutissima guttula, quæ et ipsa non erat aliquando, formavit, atque in hanc vitam produxit. Deinde vero credis efficta ab hominibus simulacra deos esse et mira facere; Deo autem conditori tuo non credis facere eum posse ut te in vitam revocet?

IX. Ac nomina quidem eorum quos a te coli dictitas deorum, nomina sunt hominum mortuorum. Et ii quidem qui et quales fuere? Annon Saturnus filiorum vorator invenitur? Quod si et Jovem ejus filium nomines, accipe ejus actiones et vivendi rationem. Primum in monte Ida nutritus

est a caprea; eamque cum mactasset, ut ferunt fabulæ, et pellem detraxisset, fecit sibi indumentum. Cætera ejus facta, incestos cum sorore coitus, adulteria, illata pueris stupra, melius Homerus et cæteri poetæ descripserunt. Quid cætera ad ejus filios spectantia enumerem? Herculem a se ipso combustum: Bacchum ebrium et furentem: Apollinem Achillis metu fugientem, et Daphnes amatorem, et Hyacinthi mortis ignarum: Venerem vulneratam, Martem hominum perniciem; præterea sanguinem ex his quos vocatis diis profluentem? Atque hæc quidem sunt dictu mediocria, quandoquidem Deus reperitur membratim discerptus, nomine Osiris, cujus etiam mysteria quotannis celebrantur, quasi pereat et inveniatur, et singula ejus membra quærantur; neque enim utrum perierit scitur, neque utrum inveniatur ostenditur. Quid dicam Atin castratum, Adonim in sylva errantem, et inter venandum ab apro vulneratum; Æsculapium fulmine percussum; Serapim Sinope profugum Alexandriam; Artemidem Scythicam, ipsam quoque profugam, homicidam, venatricem et Endymionis amore captam? Non enim a nobis hæc dicuntur, sed a vestris historicis et poetis prædicantur.

X. Quid jam refert enumerare multitudinem animalium quæ ab Ægyptiis coluntur, reptilium, pecudum, ferarum, volatilium et natatilium fluvialium: ad hæc etiam pelves et inhonestos sonos? Quod si Græcos cites et cæteras gentes; colunt lapides et ligna ac reliquam materiam, simulacra, ut jam diximus, mortuorum hominum. Phidias enim reperitur Pisæ fecisse Eliis Jovem Olympicum, et Atheniensibus Minervam in arce. Juvat ex te, o homo, quærere quot inveniantur Joves. Jupiter imprimis Olympius dicitur, deinde Jupiter Latialis, Jupiter Cassius, Jupiter Ceraunius, Jupiter Propator, Jupiter Pannychius, Jupiter Polyuchus, Jupiter Capitolinus: atque ille quidem Jupiter, qui Sa-

turni filius et rex Cretensium fuit, habet sepulcrum in Creta; cæteri vero forte ne sepultura quidem dignati. Si vero matrem eorum quos vocatis deorum objicias, absit ut vel ipsius, vel ministrorum a quibus colitur, actiones ore efferam (hæc enim ne appellare quidem nobis fas est), vel quæ regi vectigalia et tributa tum ipsa tum ejus filii pendant. Neque enim sunt dii, sed simulacra, ut prædiximus, opera manuum hominum, et impura dæmonia. Tales fiant qui faciunt ea, et qui spem suam in eis constituunt[1].

XI. Regem igitur potius colam, non tamen eum adorans, sed preces pro eo fundens. Verum autem et vere existentem Deum adoro, cum regem ab eo factum sciam. Dices igitur mihi : Cur regem non adoras? Quia non ideo rex factus est ut adoretur, sed ut legitimo honore observetur. Neque enim Deus est, sed homo a Deo constitutus, non ut adoretur, sed ut juste judicet. Est enim quodammodo administratio ei a Deo commissa; ac ipse quidem quos sub se præfectos habet, reges vocari non patitur. Est enim rex ipsius nomen, quo nomine alium vocari non licet : ita nec adorari nisi solum Deum. Itaque in omnibus, o homo, errore duceris. Regem igitur cole, sed eum diligendo cole, eique parendo et orando pro eo. Hoc enim si facies, voluntatem Dei exsequeris, ita enim præcipit lex divina : « Honora, fili mi, Deum et Regem, nec eis inobediens sis. » Subito enim ulciscentur inimicos suos[2]. »

XII. Quod autem me irrides, Christianum vocans, nescis quid dicas. Primo quidem quia quod unctum est, suave et utile est, nec rideri debet. Quæ enim navis utilis et salva esse potest, nisi prius ungatur; aut quæ turris vel domus elegans et commoda est, si uncta non fuerit? Quis est qui cum in hanc vitam editur aut in palæstram ingreditur, oleo non ungatur? Quodnam opus ornatum esse et præclarum

[1] Psal. CXIII et CXXXIV. — [2] Prov. XXIV, 21, 22.

potest, nisi ungatur et expoliatur? Deinde vero aer et omnis quæ sub cœlo est terra quodammodo unguntur lumine et spiritu; tu vero non vis ungi oleo Dei? Nos enim ideo Christiani vocamur, quod Dei oleo ungamur.

XIII. Quod autem mortuos excitari negas; ais enim: Ostende mihi vel unum ex mortuis excitatum, ut credam cum videro: primum quidem quid magni præstabis, si tum credes cum rem factam videris? Deinde vero credis Herculem, qui se ipse combussit, vivere; Æsculapium fulmine percussum in vitam revocatum: quæ vero tibi a Deo dicuntur, ea non credis? Fortasse ostendam tibi mortuum ad vitam revocatum et viventem, nec tamen id credes. Ac multa quidem tibi Deus exhibet argumenta cur ei credas. Observa enim, si placet, temporum et dierum et noctium interitum; attende quemadmodum hæc etiam intereant et renascantur. Quid? Annon seminum et fructuum fit quædam resurrectio, idque ad usus humanos? Granum enim tritici, exempli gratia, aut aliorum seminum, cum terræ injectum fuerit, primo perit et solvitur, deinde excitatur et in spicam assurgit. Arborum autem natura nonne certis temporibus Dei jussu latentes antea et invisos fructus producit? Quin etiam interdum passerculus aut avis alia quælibet, cum semen mali aut ficus sorbuerit, avolat in petrosum collem, aut aliquod sepulcrum, ac ibi alvum exonerat; tumque semen illud radices agens, arbor nascitur, quod olim absorptum fuerat et tantum calorem trajecerat. Hæc autem omnia operatur divina sapientia, ut vel ex his demonstret posse Deum generalem omnium hominum resurrectionem perficere. Quod si mirabilius ad resurrectionem demonstrandam spectaculum videre cupis, non solum in terrestribus rebus, sed etiam in cœlo; observa menstruam lunæ resurrectionem, quemadmodum intereat et renascatur. Accipe præterea resurrectionem in te ipso ad effec-

tum, etiamsi ignores, perductam. Forte enim aliquando in morbum incidisti, et carnes tuas ac vires et speciem amisisti, sed misericordiam a Deo et medelam nactus, recuperasti corpus tuum et speciem et vires : et quemadmodum ignoras quonam abierint carnes tuæ cum evanuere, ita nec perspectum habes undenam extiterint et unde venerint. Dices ex cibis et succis in sanguinem conversis. Præclare : sed hoc opus Dei est ita rem conficientis, non cujusquam alterius.

XIV. Ne sis igitur incredulus, sed potius crede; nam et ego non credebam id futurum, sed nunc credo postquam hæc attentius consideravi; simul quod in sacras Scripturas incidi sanctorum Prophetarum, qui per Spiritum sanctum et præterita eodem quo gesta sunt modo, et præsentia eodem quo geruntur, prædixerunt, et futura eodem ordine quo perficientur. Cum igitur ea quæ eveniunt et prædicta sunt, demonstrationem mihi exhibeant, non sum incredulus, sed credo, obtemperans Deo; cui tu quoque, si vis, obtempera, credens ei, ne, si nunc incredulus fueris, credas tunc suppliciis cruciatus æternis. Quæ supplicia cum prædicta a Prophetis fuissent, his minores natu poetæ et philosophi furati sunt ex sanctis Scripturis, ut auctoritatem opinionibus suis conciliarent. Sed tamen hi quoque futura impiis et incredulis supplicia prædixerunt, ut testata essent omnibus, ne dicerent nonnulli : Non audivimus nec cognovimus. Tu quoque, si tibi ita videtur, lege studiose propheticas Scripturas; ac lucem illarum tutiorem habebis ducem ut fugias æterna supplicia, et perpetua Dei bona consequaris. Nam qui dedit os ad loquendum, ac aures finxit ad audiendum et oculos ad videndum, excutiet omnia et justum feret judicium, suam cuique pro meritis mercedem tribuens. Iis quidem qui secundum patientiam boni operis incorruptionem quærunt, donabit vi-

tam æternam [1], gaudium, pacem, quietem, multitudinem bonorum, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit [2]. Incredulis autem et superbis, et iis qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, cum repleti fuerint adulteriis, scortationibus, puerorum stupris, avaritia et infandis simulacrorum cultibus, erit ira et indignatio, tribulatio et angustiæ, ac tandem tales ignis æternus detinebit. Quoniam, amice, adjecisti, Ostende mihi Deum tuum; hic est Deus meus quem tibi auctor sum ut timeas, eique fidem habeas.

[1] Rom. II, 7. — [2] I Cor. II, 8; Rom. II, 8.

LIBER SECUNDUS.

I. Cum ante hos dies sermonem inter nos, optime Autolyce, haberemus, quærenti tibi quisnam meus esset Deus, ac disputationi meæ aures aliquandiu præbenti religionem meam exposui; ita tum discessimus, ut amicissimi domum rediremus, quamvis primo duriuscule mecum egisses. Nosti enim et meministi stultitiam tibi videri nostram doctrinam. Sed cum me postea hortatus sis, quamvis imperitus sim dicendi, volo tamen nunc quoque hoc libello accuratius tibi demonstrare inutilem laborem et inanem superstitionem qua detineris; atque etiam ex paucis ad vos pertinentibus historiis, quas legis quidem, sed fortasse nondum intelligis, verum tibi ante oculos ponere.

II. Ridiculum enim mihi videtur statuarios, figulos, pictores, fusores, fingere, pingere, sculpere, fundere, et deos parare qui cum ab opificibus facti fuerint, nullo in pretio ab eis habentur; postquam autem venierint in usum templi aut domus alicujus, iis sacrificant non solum qui emere, sed etiam qui fecere et vendidere non sine studio et apparatu victimarum ac libaminum accedunt ut eos adorent, et Deos existimant, nec vident tales esse quales cum eos facerent, lapidem, æs, lignum, colorem, aut quamlibet aliam materiam. Idem et vobis contingit qui legitis historias et genealogias eorum qui dicuntur deorum. Nam cum eorum generationes legitis, homines existimatis : postea vero deos vocatis et colitis, non attendentes nec intelligentes quales eos genitos legistis, tales et genitos fuisse.

III. Ac tunc quidem deorum, si quidem geniti fuere, fœcunda generatio inveniebatur. Nunc vero ubi deorum generatio ostenditur? Nam si tunc gignebant et gignebantur, liquet etiam huc usque nasci debere genitos deos; sin minus, genus ejusmodi infirmum erit. Vel enim senuere, nec jam possunt gignere, vel mortui sunt neque exstant amplius. Nam si nascebantur dii, oportebat eos etiam hucusque nasci, quemadmodum et homines nascuntur, imo plures esse deos quam homines, ut ait Sibylla :

Nam si Di gignunt immortalesque manebunt,
Di geniti plures multo mortalibus essent,
Nec locus esset ubi jam homines consistere possent.

Nam si ex hominibus, qui mortales sunt et ævi brevissimi, hactenus filios generari constat, nec nasci homines desiere, ex quo fit ut plenæ sint urbes et oppida, ac ipsi etiam agri incolantur; annon magis oportebat deos, qui, ut volunt poetæ, non moriuntur, gignere et gigni, quemadmodum deos genitos esse dicitis? Cur etiam mons ille qui dicitur Olympus, olim a diis incolebatur, nunc vero desertus est? Aut cur olim in monte Ida Jupiter manebat, ibique eum manere nota res erat, ut Homerus et alii poetæ testantur, nunc vero ubinam sit ignoratur? Cur non erat ubique, sed in terræ parte inveniebatur? Vel enim cæteras negligebat, vel non poterat ubique esse et omnibus providere. Nam si erat, exempli gratia, in parte Orientali, non erat in Occidentali; rursus si in Occidentalibus locis, nequaquàm in Orientalibus. Dei autem altissimi et omnipotentis et vere Dei est non solum ubique esse, sed etiam omnia inspicere, omnia audire, nedum loco contineri : alioqui continens locus major eo invenietur; est enim quod continet majus eo quod continetur : Deus autem loco non circumscribitur, sed ipse est omnium locus. Sed cur Idam Jupiter reliquit? An quia

mortuus est, an quia mons iste minus jam ei placebat? Quonam autem profectus est? In cœlum? minime. Dicer forte in Cretam : optime; ibi enim hactenus ejus sepulcrum visitur. Forte etiam Pisas abiisse dices, ubi hactenus manibus Phidiæ famam et decus conciliat. Veniamus nunc ad scripta philosophorum et poetarum.

IV. Quidam ex Porticu Deum omnino negant esse, aut si quis sit, nullius curam gerere præterquam sui. Atque hæc quidem omnino Epicuri et Chrysippi stultitia pronuntiavit. Alii omnia fortuito fieri asserunt, ac mundum ingenitum esse et æternam naturam : ac omnino nullam Dei esse providentiam dicere ausi sunt, sed Deum tantummodo esse volunt uniuscujusque conscientiam. Alii vero spiritum illum qui omnia pervadit, Deum esse decernunt. Plato autem et qui eum sequuntur, Deum quidem fatentur ingenitum, et patrem et creatorem omnium esse; sed deinde statuunt duo esse ingenita, Deum et materiam, eamque Deo coævam esse dicunt. Quod si Deus ingenitus, et materia ingenita; non jam Deus creator est omnium secundum Platonicos, nec Dei constabit monarchia, quantum in ipsis est. Deinde, quemadmodum Deus, quatenus ingenitus, etiam immutabilis est, ita et materia si esset ingenita, immutabilis quoque et Deo æqualis foret : quod enim genitum est verti et mutari potest, ingenitum autem nec verti potest nec mutari. Quid autem magni esset, si Deus ex materia subjecta mundum faceret? Opifex enim apud nos cum materiam ab aliquo acceperit, ex ea quidquid placuerit effingit. Dei autem potentia in eo spectatur, ut ex nihilo faciat quæcumque voluerit : quemadmodum animam et motum dare, non est alterius cujusquam præterquam Dei. Homo enim imaginem effingit, sed rationem, respirationem aut sensum dare non potest operi suo : Deus vero hoc amplius habet ut ratione et respiratione et sensu præditum opus efficiat. Quem-

admodum igitur in his omnibus potentior est Deus quam homo, ita etiam in eo quod ex nihilo producat et produxerit quæcumque voluit, et quo voluit modo.

V. Discors igitur inter philosophos et scriptores sententia : nam cum hæc philosophi dixerint, ecce tibi Homerus alia aggreditur via non solum mundi, sed etiam deorum ortum explicare ; ait enim alicubi :

> Oceanumque deorum originem et matrem Thetyn
> Ex quo omnes fluvii et universum mare. *Iliad.* Ξ, 201.

Quæ cum dicit, non jam Deum nobis exhibet. Quis enim nescit Oceanum aquam esse ? Quod si aqua, non jam Deus. Deus vero, si omnium creator est, ut revera est, aquæ profecto et marium creator est. Ipse etiam Hesiodus non solum deorum ortum, sed ipsius etiam mundi exposuit. Ac mundum quidem creatum cum diceret, non valuit dicere a quo creatus foret. Deos præterea vocavit Saturnum ejusque filium Jovem, Neptunum et Plutonem, quos mundo natu minores invenimus. Narrat etiam Saturnum a Jove proprio filio debellatum. Sic enim ait :

> Strenue victo patre Saturno, bene attamen singula
> Æternis ordinavit legibus et distribuit honores.
> Hesiod. *Theogon.* 74.

Postea infert Jovis filiarum commemorationem, quas et Musas appellat, iisque supplex invenitur, discere ex eis volens quomodo facta sint omnia. Ait enim :

> Salvete filiæ Jovis, date amabilem cantilenam.
> Celebrate immortalium sacrum genus semper existentium,
> Qui tellure prognati sunt et cœlo stellato,
> Nocteque caliginosa, quos item salsus nutrivit pontus.
> Dicite ut primum Dii et terra nati sint,
> Et flumina et pontus immensus æstu fervens,
> Astraque fulgentia et cœlum latum superne,

Et qui ex his nati sunt dii datores bonorum :
Utque opes diviserint et honores partiti sint :
Utque initio multis implicatum sphæris tenuerint cœlum.
Hæc mihi dicite Musæ cœlestia tecta tenentes
Ab initio : et dicite quid horum primum ortum sit.

HESIOD. *Theogon.* 104.

Hæc autem quomodo Musæ novissent, quæ mundo natu minores sunt? aut qui poterant Hesiodo narrare, cum pater earum nondum genitus foret?

VI. Ac materiam quidem statuit quodammodo et mundi creationem, cum ait :

Primum quidem chaos exstitit, ac deinde
Tellus lato pectore prædita, omnium solum tutissimum sem- [per
Immortalium, qui tenent juga nivosi Olympi,
Tartaraque tenebrosa in recessu terræ spatiosæ.
Atque Amor, qui pulcherrimus inter immortales deos,
Solvens curas, ac omnium deorum omniumque hominum
Domat in pectoribus mentem et prudens consilium.
Ex Chao autem Erebus nigraque nox editi sunt :
Rursus ex nocte æther et dies prognati,
Quos peperit cum concepisset Erebo amore mixta.
Terra vero primum quidem genuit parem sibi
Cœlum stellis ornatum, ut ipsam totam obtegat,
Utque esset Diis sedes tuta semper.
Genuit præterea montes altos, dearum gratas speluncas
Nympharum, quæ habitant montes concavos.
Atque etiam infrugiferum pelagus peperit æstu furens
Pontum sine amore delectabili; at vero postea
Cœlo concumbens genuit oceanum verticosum.

HESIOD. *Theogon.* 104.

Quæ cum diceret, ne illud quidem demonstravit a quo condita essent. Nam si initio chaos erat, et materia quædam ingenita præextitit; quis tandem eam disposuit ac ordine et forma donavit? Utrum materia sibi ipsa formam et

ornatum addidit (nam Jupiter multo natu posterior est, non solum materia, sed etiam mundo et hominum multitudine; imo ipsius etiam pater Saturnus), an potius causa quædam princeps exstitit quæ eam faceret, Deum dico, a quo etiam ornatum accepit? Quin etiam omni prorsus ratione nugari invenitur et secum pugnare; nam cum terram, cœlum et mare dixisset, ex his ortos deos esse intendit, ex istis vero homines quosdam horribiles deorum cognatos prædicat, genus Titanum, Cyclopum et Gigantum turbam, necnon Ægyptiorum deorum, vel potius hominum levissimorum, quorum meminit Apollonides cognomento Horapius, tum in eo libro qui inscribitur Semenouthi, tum in aliis historiis ab eo scriptis de religione Ægyptiaca et regibus Ægyptiis.

VII. Quid attinet Græcorum fabulas referre et inanitatem operæ quæ in eas impenditur; Plutonem tenebrarum regem, Neptunum mare subeuntem, Melanippæ complexibus hærentem, ac filii homines vorantis genitorem; aut de Jovis filiis quot et quantas tragœdias scriptores egerint? Horum genus ab ipsis recensetur, quia homines nati sunt, non dii. Aristophanes autem comœdus, in ea fabula quæ Aves inscribitur, aggrediens de mundi creatione disserere, mundum initio originem ex ovo cepisse dicit his verbis :

Parit primum irritum nox pennas nigras habens ovum.

Sed et Satyrus gentes Alexandrinas describens, initio a Philopatore, qui et Ptolemæus appellatus est, ducto, illius declarat Bacchum auctorem generis fuisse; quamobrem hanc tribum a Ptolemæo primam fuisse constitutam. Sic igitur ait Satyrus : ex Baccho et Althea Thestii filia natam esse Dejaniram : ex hac et Hercule Jovis filio Hyllum arbitror : ex isto Cleodemum, ex quo Aristomachum : ex hoc Temenum : ex isto Ceisum, ex quo Maronem : ex hoc Thes-

tium : ex isto Acoum : ex hoc Aristomidam : ex hoc Car-num : ex hoc Cœnum : ex hoc Tyrimmam : ex hoc Per-diccam : ex hoc Philippum : ex hoc Æropum : ex hoc Alcetam : ex hoc Amyntam : ex hoc Bocrum : ex hoc Me-leagrum : ex hoc Arsinoen : ex hac et Lago Ptolemæum qui et Soter : ex hoc et Berenice Ptolemæum Evergetem : ex hoc et Berenice, quæ Magæ Cyrenensium regis filia fuit, Ptolemæum Philadelphum. Sic igitur se habet eorum qui Alexandriæ regnarunt, cum Baccho cognatio. Quapropter et in Dionysiaca tribu gentes sunt distinctæ : Althes ab uxore Bacchi et filia Thestii Althea : Dejaniræ a Bacchi et Altheæ filia, Herculis autem uxore, unde gentes apud eos appellationes habent : Ariadnes a Minois filia, Bacchi uxore, patrem amante, quæ cum Baccho in aliena forma concubuit : Thestis a Thestio Altheæ patre : Thoantis a Thoante Bacchi filio : Staphylis a Staphylo Bacchi filio : Eunæis a Eunoo Bacchi filio : Maronis a Marone Ariadnes et Bacchi filio. Hi enim omnes Bacchi filii : sed et multæ aliæ appellationes exstiterunt, atque exstant hactenus : ab Hercule Heraclidæ, ab Apolline Apollonii et Apollonidæ, a Posidone, sive Neptuno, Posidonii, a Jove Dii et Diogenæ.

VIII. Et quid necesse est reliquam multitudinem hujus-modi appellationum et genealogiarum persequi? Omnino igitur illudunt omnes historici et poetæ et philosophi, tum etiam qui iis dant operam. Fabulas enim potius et ... commenta de diis suis composuerunt, nec eos demonstrarunt deos esse, sed homines, alios quidem ebriosos, alios scortatores, alios homicidas. Quin etiam de mundi ... pugnantia inter se et absurda tradiderunt. Primo enim quidam ingenitum mundum pronuntiarunt, ut supra demonstravimus. Qui autem ingenitam ac æternam esse naturam volunt, ii parum congruunt genitum decernentibus. Illi enim conjectura atque humana cogitatione, non ad verit...

tem loquuti sunt. Rursus alii providentiam esse dixerunt, atque istorum alii decreta dissolverunt. Aratus quidem ait:

Ex Jove incipiamus: nec eum unquam, viri, sinamus
Indictum: plenæ sunt Jove omnes plateæ,
Atque omnia hominum fora: plenum est et mare
Et portus. Ubique Jove utimur omnes,
Hujus enim et genus sumus: ipse benignus hominibus
Dextra nuntiat, populos ad opus excitat,
Memores vitæ faciens: indicat cum gleba optima
Bobus et ligonibus: indicat cum dextræ horæ
Ut stirpes in scrobe scindantur, et semina omnia jaciantur.

Utri igitur credemus, Arato an Sophocli dicenti:

Haud ulla rerum certa providentia,
Sed fortuito vivere optimum, ut queas?

Rursus Homerus isti non consentit; ait enim:

Jupiter hominibus virtutem auget et minuit.

Et Simonides:

Nemo habeat sine dis virtutem, non homo, non urbs.
Consilii namque est omnis Deus auctor: at istis
Illæsum nil prorsus inest.

Similiter Euripides:

Nihil Deo absque, nil venit mortalibus.

Et Menander:

Procurat haud quis nostra, ni solus Deus.

Et rursus Euripides:

Servare namque si Deus quondam volet,
Momenta donat ad salutem plurima.

Et Thestius:

Deo volente navigans vel vimine
Es salvus.

Et cum innumerabilia ejusmodi dixerunt, secum ipsi pu-gnantia dixerunt. Sophocles igitur, qui providentiam alii tollit, sic ait :

> Mortalis ictum subter haud fugit Dei.

Quin etiam multitudinem deorum induxerunt, aut singulare Dei imperium dixerunt; et contra eos qui providentiam asserunt, nullam esse providentiam dixerunt. Hinc Euripides sic confitetur :

> Multis studemus sub spe inani plurimum
> Laborem habentes, nilque prorsus novimus.

Fatentur vel inviti verum se nescire, sed a dæmonibus in-spirati et inflati, quidquid dixerunt eorum afflatu dixere. Nam profecto poetæ, Homerus scilicet et Hesiodus, a Musis, ut ipsi dicunt, afflati, ex falsis animi visis loquebantur, non ex puro spiritu sed fallaci. Quod quidem clare ex eo demonstratur, quod qui a dæmonibus interdum corripiuntur, ii etiamnum adjurentur per nomen veri Dei, tumque fallaces ipsi illi spiritus dæmones se esse fateantur, qui etiam olim in istis scriptoribus operabantur, nisi quod interdum eorum nonnulli animis expergefacti, consentanea prophetis dixerunt, ut tum in ipsos, tum in omnes homines testimonio essent de singulari imperio, de judicio, cæterisque rebus quas pertractarunt.

IX. Sed Dei homines, cum a Spiritu sancto efferrentur ac prophetæ essent, divinitus docti et sancti et justi fuerunt, utpote ab ipso Deo afflati et eruditi. Quamobrem hac etiam mercede dignati sunt, ut Dei instrumenta fierent, et sapientiam quæ ab eo est caperent; cujus quidem sapientiæ beneficio et de creatione mundi et cæteris omnibus rebus dixerunt. Pestes enim et fames et bella prædixerunt: nec unus aut alter, sed plures variis temporibus fuere apud Hebræos (sed et apud Græcos Sibylla); ac amica inter se et

consona omnes dixere, tum quæ ante eos gesta fuerant, tum quæ ipsis erant æqualia, tum quæ apud nos hodie perficiuntur : unde etiam et de futuris certo scimus, ea ita esse eventura quemadmodum et priora ad exitum perducta sunt.

X. Ac primo quidem summo consensu docuere Deum ex nihilo omnia creasse. Nihil enim Deo coævum, sed cum sibi ipse locus sit, nec ulla re egeat, ac sæculis antiquior sit, hominem facere voluit cui innotesceret : huic homini mundum præparavit. Nam qui creatus est multis rebus eget, increatus autem nulla omnino. Habens igitur Deus suum ipsius Verbum in propriis visceribus insitum[1], genuit illud cum sua Sapientia, proferens ante omnia. Hoc verbo usus est administro operum suorum, et per illud omnia condidit. Vocatur principium, eo quod principatum habeat et dominatum eorum omnium quæ per ipsum creata sunt. Hic igitur cum sit Spiritus Dei et principium et sapientia et virtus Altissimi, descendebat in Prophetas, ac per eos de mundi creatione et cæteris rebus loquebatur; nondum enim erant Prophetæ cum mundus crearetur, sed tantum Sapientia Dei[2]

[1] Illa verba : *Verbum insitum*, etc. nonnulli avide arripuerent, ut Arianam hæresim illius ævi Christianis, vel saltem Theophilo affingerent. Verum Ariani Theophili doctrinam de Verbo Dei visceribus insito, et ad mundi creationem prodeunte maxime oderant, illum enim Λογον omnino ab eo secernebant, quem ad mundi creationem genitum esse dicebant. Deinde æternitatem Verbi clare demonstrant verba sequentia : ὁ ἀεὶ συμπαρῶν αὐτῷ, Verbum, *quod ei semper adest*. Nec Petavius audiendus, qui putat, Λογον, *Verbum*, a Theophilo cum Patre confundi usque ad mundi creationem; non magis enim confunditur ante mundi creationem, quam post eam : ideo enim post illam descendebat ad Prophetas, *quia spiritus est Dei*, etc. At eadem de causa generatum dicitur ad mundi creationem, quia insitum erat visceribus Patris, et ei semper adest. Ergo illa ad mundi creationem generatio æque nihil detrahit de æternitate, et distinctione Filii a Patre, sicut missio ad Prophetas. *Vid. inf. n.* XXII.

[2] Per illa verba, *Sapientia Dei, quæ est in eo*, Theophilus Spiritum sanctum manifeste designat, unde triadem appellat Deum, Verbum, et Sapientiam, *infr. n.* XV, quo quidem in loco Petavius *l.* V *de Trin.* Verbum et Sapientiam pro una persona sumi, inique conqueritur : nam cum Spiritum Sapientiam multi alii Patres appellaverint, cur non idem Theo-

quæ est in eo, ac sanctum Verbum ejus, quod ei semp adest. Hinc per Salomonem prophetam sic fatur : « Cu » præpararet cœlum, una aderam ei; et cum firma face » fundamenta terræ, eram cum eo disponens[1]. » Moses tem qui multis annis ante Salomonem fuit, vel potius Ve bum Dei ita per eum velut per instrumentum loquitur: « » principio creavit Deus cœlum et terram. » Primo pri pium et creationem nominavit, deinde ipsum Deum pr dicavit : neque enim fas est temere et levi de causa De appellare. Providebat enim divina Sapientia futurum. nonnulli nugarentur, ac multitudinem deorum nusqu exstantium nominarent. Igitur ut verus Deus ex operibus telligeretur, eumque constaret in Verbo suo cœlum et t ram et quæ in eis sunt creasse, scriptum est : « In princ » creavit Deus cœlum et terram. » Deinde postquam n ravit eorum creationem, sic nos edocet : « Terra autem e » invisibilis et incomposita, et tenebræ super abyssum, » Spiritus Dei superferebatur super aquas. » Hæc igitur i tio docet divina Scriptura, materiam ex qua mundum De fecit et condidit, quodammodo indicans rem creatam es utpote a Deo factam.

XI. Initium autem condendi a luce fit; si quidem ea quæ conduntur et ornantur lux ostendit. Quare dicit : « Et » dixit Deus : Fiat lux, et facta est lux; et vidit Deus lu » cem quia bona est, » bona scilicet homini facta. « Et di » crevit Deus inter lucem et tenebras, et vocavit Deus » lucem diem, et tenebras vocavit noctem. Et factum e » vespere et factum est mane dies unus. Et dixit Deus » Fiat firmamentum in medio aquæ, et sit discernens inter » aquam et aquam. Et factum est sic. Et fecit Deus firma-

philo licuit, qui etiam *in libro I*, *n.* VII, Verbum et Sapientiam, Verbum et Spiritum distinguit; et in hoc itidem loco Deus Verbum suum cum Sapientia sua genuisse dicitur. *Vid. infr. n.* XV *et* XVIII.

[1] Prov. VIII.

» mentum, et divisit Deus inter aquam quæ erat sub firmamento, et inter aquam quæ supra firmamentum. Et vocavit Deus firmamentum, cœlum. Et vidit Deus quia bonum est. Et factum est vespere et factum est mane dies secundus. Et dixit Deus : Congregetur aqua quæ sub cœlo, in congregationem unam, et appareat arida. Et factum est sic. Et congregata est aqua in congregationes suas, et apparuit arida. Et vocavit Deus aridam terram et congregationes aquarum vocavit maria. Et vidit quod esset bonum. Et dixit Deus : Germinet terra herbam virentem, seminantem semen secundum genus et similitudinem, et lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen in ipso in similitudinem : et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, seminantem semen secundum genus, et lignum fructiferum faciens fructum secundum genus in terra. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est vespere et factum est mane dies tertius. Et dixit Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli, ad illuminationem in terra, et dividant inter medium diei et inter medium noctis, et sint in signa et in tempora et in dies et in annos : et sint ad illuminationem in firmamento cœli, ut luceant super terram : et factum est ita. Et fecit Deus duo luminaria magna, luminare magnum, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti, et stellas. Et posuit illa Deus in firmamento cœli, ut luceant super terram, et præsint diei et nocti, et dividant inter medium lucis et inter medium tenebrarum. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est vespere et factum est mane dies quartus. Et dixit Deus : Producant aquæ reptilia animarum viventium et aves volantes super terram sub firmamento cœli. Et factum est ita. Et fecit Deus cete grandia et omnem animam animalium reptilium quæ produxerant aquæ secundum genus suum, et omnem avem pennatam secundum

» genus. Et vidit Deus quod essent bona; et benedixit eis
» Deus, dicens : Crescite et multiplicamini, et replete aquas
» maris; et aves multiplicentur in terra. Et factum est ve-
» pere et factum est mane dies quintus. Et dixit Deus : Pro-
» ducat terra animam viventem secundum genus, quadru-
» pedes et reptilia et bestias terræ secundum genus. Et fac-
» tum est ita. Et fecit Deus bestias terræ secundum genus
» jumentum secundum genus et omnia reptilia terræ. Et vi-
» dit Deus quod esset bonum. Et dixit Deus : Faciamus ho-
» minem ad imaginem nostram et ad similitudinem, et impe-
» rent piscibus maris, et volatilibus cœli et jumentis et omni
» terræ, et omnibus reptilibus quæ repunt super terram.
» Et fecit Deus hominem : ad imaginem Dei fecit illum.
» masculum et feminam fecit eos. Et benedixit eis Deus,
» dicens : Crescite et multiplicamini, et replete terram, et
» subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatili-
» bus cœli, et jumentis, et universæ terræ, et omnibus rep-
» tilibus quæ repunt super terram. Et dixit Deus : Ecce
» dedi vobis omnem herbam seminalem, seminantem se-
» men quæ est in superficie universæ terræ : et omne li-
» gnum quod habet in se fructum seminis seminalem, erit
» vobis in cibum; sed et omnibus bestiis terræ, et omnibus
» volatilibus cœli, et omni reptili repenti super terram,
» quod habet in se flatum vitæ, omnem herbam viridem
» in escam. Et factum est ita. Et vidit Deus omnia quæ-
» cumque fecerat et ecce erant valde bona. Et factum est
» vespere et factum est mane dies sextus : et perfecti sunt
» cœli et terra et omnis ornatus eorum. Complevitque Deus
» die septimo opera sua quæ fecerat, et requievit in die
» septimo ab omnibus operibus suis quæ fecerat. Et bene-
» dixit Deus diei septimo, quia in ipso requievit ab omni-
» bus operibus suis quæ cœperat Deus facere. »

XII. Hujus autem sex dierum operis nemo est hominum,

qui pro rei dignitate enarrationem et descriptionem omnem explicare possit, etiamsi decem mille ora habeat et decem mille linguas. Atque etiamsi quis decem mille annos vivat in hac terra peregrinus, ne tum quidem erit idoneus qui de his digne quidpiam dicat, propter exsuperantem magnitudinem et divitias sapientiæ Dei, quæ operi sex dierum supra descripto inest. Ac multi quidem scriptores illud imitati sunt, et de his rebus narrare aggressi; sed quamvis inde adjumenta sibi sumerent mundi creationis et naturæ hominis explicandæ, tamen ne tenuem quidem veritatis scintillam assequi potuerunt. Videntur autem quæ a philosophis et scriptoribus et poetis dicta sunt, fide digna esse, quia sermonis splendore illustrantur; inanis tamen et insulsa eorum oratio ex eo declaratur, quod luxurient apud eos nugæ, ac veritatis ne ulla quidem particula inveniatur. Nam si quid veri ab iis prædicatum videtur, permixtum est errore. Ac quemadmodum pharmacum aliquod mortiferum, si melle aut vino aut alia re hujusmodi permisceatur, totum inutile et pestiferum efficit; ita eorum dicendi copia nihil aliud esse invenitur, quam laboriosæ nugæ, magisque pernicies esse eorum qui ei assentiuntur. Ac de die etiam septimo loquuti sunt, cujus nomen omnes homines usurpant, sed plerique quam vim habeat ignorant. Quod enim apud Hebræos sabbatum dicitur, Græce redditur hebdomas, quæ quidem apud omne humanum genus appellatur; quam autem ob causam ita vocent ignorant. Quod autem placet Hesiodo poetæ ex chao genitum erebum, et terram, et imperantem opinatis illius diis et hominibus amorem; futilis illius et frigida oratio est atque ab omni veritate prorsus aliena. Deum enim voluptate vinci non decet: quippe cum homines temperantes ab omni inhonesta voluptate et mala cupiditate abstineant.

XIII. Quod autem idem Hesiodus a terrenis rebus ini-

tium ducit narrandæ creationis, humana et humilis ac prorsus jejuna ejus cogitatio est, quantum ad Deum attinet. Homo enim cum in infimis versetur, ab ipso solo initium facit ædificandi, nec fastigium potest aut culmen facere, nisi fundamentum posuerit. Dei autem potentia in eo spectatur, ut primum quidem res ex nihilo creet, deinde ad arbitrium suum creet. « Nam quæ apud homines impossibi- » lia, possibilia sunt apud Deum[1]. » Quapropter Propheta testatur primum omnium ab eo cœlum esse conditum in modum fastigii : « In principio, inquit, creavit Deus cœ- » lum; » quod idem est ac per principium cœlum esse conditum, ut supra demonstravimus. Terram autem vocat id quod veluti solum et fundamentum est, abyssum autem multitudinem aquarum. Tenebras etiam nominat, eo quod cœlum a Deo conditum aquas una cum terra veluti quoddam operculum operiret : spiritum autem, qui ferebatur super aquas, eum intelligit quem dedit Deus creaturæ ad viventium generationem, velut animam homini, tenue cum tenui conjungens (nam spiritus tenuis et aqua tenuis), ut spiritus aquam, aqua autem cum spiritu omnia pervadens creaturam foveret. Unus igitur ille spiritus lucis locum occupans, aquam inter et cœlum medius erat, ut quodammodo impediret ne tenebræ proximum Deo cœlum attingerent, antequam Deus dixisset, *Fiat lux*. Cœlum igitur instar fornicis materiam solo assimilatam complectebatur. Sic enim alius Propheta, nomine Isaias, de cœlo loquitur : « Deus ille est qui fecit cœlum ut fornicem et extendit ut » tabernaculum ad inhabitandum[2]. » Itaque jussio Dei, id est ejus Verbum, velut in clauso conclavi collucens, totum terrarum orbem illuminavit; cum lucem separatim a mundo fecisset : ac lucem quidem Deus vocavit diem, tenebras vero noctem. Neque enim potuisset homo vocare diem lucem,

[1] Luc. XVIII, 27. — [2] Esai. XI, 22.

tenebras autem noctem, imo nec aliis rebus nomina imponere, nisi illa ab earum conditore accepisset Deo. In primo autem exordio narrandæ mundi originis, non loquitur Scriptura de hoc firmamento quod videmus, sed de alio cœlo oculis nostris indeprehenso, secundum quod hoc cœlum, quod videmus, vocatum est firmamentum. In quo quidem asservatur dimidium aquarum, ut sit homini in pluvias et imbres et rores. Altera pars in terra relicta est in fluvios, fontes et maria. Cum igitur adhuc aquæ tegerent terram, præcipue autem loca concava, fecit Deus per Verbum suum, ut aquæ unum in locum confluerent, et appareret terra quæ antea non videbatur. Sed tamen quamvis videri incœpisset, erat adhuc informis. Formam igitur et ornatum Deus ei affinxit omni herbarum et seminum et plantarum genere.

XIV. Jam vero in his considera varietatem et diversam venustatem ac copiam; attende ut in se quamdam exhibeant resurrectionem, in exemplum futuræ aliquando omnium hominum resurrectionis. Quis est enim qui non admiretur, cum consideret ex fici semine ficum nasci, vel ex aliis minutissimis seminibus immensas arbores crescere? In mari autem similitudo quædam nobis cum mundo exhibetur. Nam quemadmodum mare, nisi fluminum et fontium appulsu aleretur, jamdudum exsiccatum ob salsuginem et adustum esset : ita mundus nisi habuisset legem Dei et Prophetas, ex quibus fluunt et scaturiunt mansuetudo, misericordia, justitia et sanctorum Dei mandatorum doctrina, jamdudum ob nequitiam et multiplicata in eo peccata defecisset. Et quemadmodum in mari sunt quædam insulæ habitabiles, aquis salubres, frugiferæ, stationibus et portubus munitæ, ut iis qui tempestate jactati fuerunt perfugio esse possint : sic Deus mundo sub peccatis fluctuanti et æstuanti synagogas dedit, id est, sanctas ecclesias, in qui-

bus doctrina veritatis velut in insularum portuosarum stationibus asservatur, ad quas perfugiunt qui salutem consequi cupiunt, veritatis facti amatores, ac iram et judicium Dei effugere volentes. Quemadmodum autem aliæ sunt insulæ saxosæ et inaquosæ, infrugiferæ, ferarum plenæ, inhabitatæ, ad perniciem navigantium et tempestatem subeuntium appositæ, in quibus naves conteruntur, et qui appellunt penitus pereunt; ita se habent erroris doctrinæ, hæreses dico, ad quas qui accedunt omnino pereunt: neque enim verbum veritatis sequuntur ducem; sed quemadmodum piratæ, cum naves impleverint, eas in prædicta loca impellunt, ut ibi eas perdant; idem contingit iis qui a veritate aberrant, ut ab errore pessumdentur.

XV. Quarto die facta sunt luminaria. Deus enim cum omnia provideat, nugas vanorum philosophorum percipiebat, qui dicturi erant a luminaribus esse quidquid in terra gignitur, ut Deum ex animis tollerent. Quare ut veritas pateret, creatæ sunt plantæ et semina ante luminaria. Porro quod posterius est non potest ea quæ sunt priora facere. Hæc autem exemplum et imaginem continent magni mysterii. Sol enim imago Dei est, luna hominis. Et quemadmodum sol longe præstat luna, potestate et gloria, sic Deus longe præstantior humanitate. Et quemadmodum sol plenus semper manet, nec unquam minuitur; sic Deus semper perfectus manet ac plenus omni virtute, intelligentia, sapientia, immortalitate et omnibus bonis. Luna vero singulis mensibus minuitur et quodammodo interit, hominis similitudinem exhibens : deinde renascitur et crescit in exemplum futuræ resurrectionis. Similiter tres illi dies qui ante luminaria fuerunt, imago sunt Trinitatis, Dei, ejus Verbi, ejusque Sapientiæ; quartus vero, imago hominis luce indigentis, ut sint Deus, verbum, sapientia, homo. Propterea quarto die luminaria condita sunt. Astrorum au-

tem dispositio exhibet nobis descriptas sedes et ordinem justorum et piorum, ac legem et mandata Dei observantium. Nam splendidiora quæque astra et rutilantia habent imitationem prophetarum; propterea cursum suum non inflectunt, neque in locum ex loco transcurrunt. Quæ vero secundum tenent splendoris locum, imagines sunt populi justorum. Errantia autem et locum ex loco mutantia, quæ etiam planetæ dicuntur, imago sunt eorum qui a Deo deficiunt, ejusque legem et præcepta deserunt.

XVI. Die quinto generata ex aquis animalia prodiere, ex quibus multiplex Dei in his quoque rebus sapientia perspicitur. Quis enim possit eorum multitudinem et generum varietatem enumerare? Præterea benedixit Deus iis quæ ex aquis nata sunt, ut id quoque signum esset homines pœnitentiam et remissionem peccatorum per aquam et lavacrum regenerationis accepturos, quotquot ad veritatem accedunt et regenerantur et benedictionem a Deo accipiunt. Sed et cete et aves carnivoræ habent similitudinem rapacium hominum et prævaricatorum. Quemadmodum enim aquatilia et volatilia, cum sint ejusdem naturæ, quædam permanent in iis quæ sunt secundum naturam, nullam imbecillioribus injuriam faciunt, sed legem Dei servant, et seminibus terræ vivunt; quædam vero legem Dei transgrediuntur, carnes vorant, infirmioribus vim afferunt : ita et justi qui legem Dei custodiunt, neminem mordent aut lædunt, sancte et juste vivunt. Rapaces autem, homicidæ et impii similes sunt cetibus, feris et avibus carnivoris : devorant enim quodammodo infirmiores. Aquatilium autem et volatilium genus benedictionis Dei particeps factum, nihil tamen præcipue consequutum est.

XVII. Sexto autem die cum Deus fecisset quadrupedes, feras et reptilia terrestria, benedictionem silet; eamque homini reservat, quem facturus erat sexta die. Sunt etiam

quadrupedes et feræ imago quorumdam hominum, q Deum ignorant, impie vivunt, terrena sapiunt nec pœ- tentiam agunt. Nam qui sese colligunt ex iniquitatibus juste vivunt, ii velut aves animo avolant, superna cur ac Dei voluntati adhærent. Qui vero Deum ignorant ac pie degunt, similes sunt illis avibus quæ pennas quide habent, sed avolare non possunt et ad superna deitatis currere. Ita et isti homines quidem dicuntur, sed hum et terrena sentiunt, depressi peccatorum pondere. F autem dicuntur ἀπὸ τοῦ θηρεύεσθαι, id est ex eo quod effer fuerint : non quod noxiæ et venenatæ ab initio fuerint, n enim mali a Deo factum, sed bona omnia et valde bo sed peccatum hominis eas in vitium abduxit. Homine de via deflectente, ipsæ quoque simul deflexerunt. Que admodum enim dominus domus cum præclare se gerit, n cessitatem servis affert recte vivendi; si vero peccav eadem servi peccabunt : eodem modo contigit ut ho qui dominus erat, peccaret, ac servi una peccarent. C autem redierit homo ad id quod secundum naturam est, finem peccandi fecerit, belluæ quoque in pristinam co suetudinem restituentur.

XVIII. Quod autem spectat ad hominis creationem, ma- jor est quam ut ab homine enarrari possit; quamvis per- breve sit id quod de eo Scriptura divina pronuntiatum refert. Dum enim dicit Deus : « Faciamus hominem ad ima- » ginem et similitudinem nostram, » primo demonstrat ho minis dignitatem. Cum enim Deus verbo *omnia* fecisset quasi cætera parvi duceret, hoc unum opus propriis manibus dignum existimavit, hominis creationem. Quin etiam quasi auxilio indigeret Deus, dicere invenitur : « Faciamus » hominem ad imaginem et similitudinem. » Nemini autem dicit *faciamus*, nisi Verbo suo et Sapientiæ suæ. Cum au tem eum fecisset et benedixisset ut augesceret et replen

erram, subjecit omnia ejus potestati et imperio, præcepitjue antiquitus ut fructibus terræ, seminibus, herbis et ponis viveret, simul etiam edicens ut animalia una cum honine viverent, et omnibus terræ seminibus ipsa quoque 'escerentur.

XIX. Cum sic absolvisset Deus cœlum et terram et mare et omnia quæ in eis sunt in die sexto, requievit in die eptimo ab omnibus operibus quæ fecit. Deinde sancta Scriptura eorum quæ hactenus dixerat, hanc summam acit : « Iste liber generationis cœli et terræ, quando facta sunt, in die quo fecit Deus cœlum et terram, et omne virgultum agri antequam fieret, et omnem herbam agri antequam prodiret. Non enim pluerat Deus super terram, nec erat homo qui coleret eam. » Quibus verbis leclarat universam terram hoc tempore divino fonte irrigatam fuisse, nec opus habuisse ut ab homine coleretur, ed sua sponte omnia secundum Dei præceptum fudisse, ne molestus labor operanti homini perferendus esset. Ut iutem creatio hominis monstraretur, nec quæstio inter iomines inextricabiles oriri videretur, quia dictum erat a Deo, *Faciamus hominem*, nec tamen illius declarata fornatio; sic nos edocet Scriptura : « Fons autem ascendebat de terra et irrigabat universam faciem terræ : et formavit Deus hominem pulverem de terra, et insufflavit in faciem ejus flatum vitæ, et factus est homo in animam viventem. » Unde et immortalis anima a pluribus dicitur. Postquam autem formavit hominem Deus, elegit ei hortum in ocis orientalibus, lumine præstantem, pellucidum aere plendidiore, arboribus omnis generis fœcundum; ubi posuit hominem.

XX. Verba historiæ sacræ sic refert Scriptura : « Plantavit insuper Dominus Deus hortum in Eden ab oriente, et posuit illic hominem quem finxerat. Fecit etiam ger-

» minare Dominus Deus de humo omnem arborem q.
» concupiscibilis erat visui, et commoda in cibum : et a
» bor vitæ erat in medio horti, atque arbor scientiæ b
» et mali. Et fluvius egrediebatur de Eden ad irrig
» dum hortum, inde dividebatur in quatuor capita. Nom
» unius Phison : ipse est qui circuit totam terram H
» lath, ubi est aurum. Et aurum terræ illius est bon
» est quoque ibi bdellium et lapis prasinus. Nomen
» fluvii secundi Geon : ipse est qui circuit totam ter
» Æthiopiæ. Porro nomen fluvii tertii Tigris, et hic
» ad orientalem plagam Assyriæ : et quartus fluvius est E
» phrates. Tulit itaque Dominus Deus hominem, quem
» cerat, et posuit eum in Paradiso, ut coleret et custo
» ipsum. Præcepitque Dominus Deus Adam, dicens :
» omni ligno horti comedendo comedes : de arbore
» scientiæ boni et mali, nequaquam comedes ex illa :
» qui quacumque die comederis ex ea, moriendo mori
» Et rursum dixit Dominus Deus : Non est bonum
» Adam solus, faciamus illi adjutorium simile ipsi. Ita
» formavit Dominus Deus de humo omnem bestiam
» et omne volatile cœli, adduxitque ad Adam, ut vid
» quomodo appellaret illud. Omne enim quod Adam
» in anima vivente, illud nomen ejus. Igitur vocavit
» homo nomina cuique jumento et volatili *cœli* omni q
» bestiæ agri. Adam autem non inveniebatur adjutori
» simile ipsi. Et fecit illabi Dominus Deus soporem in Ad
» et obdormivit, tulitque unam ex costis illius, et clau
» carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus costam qu
» acceperat de homine, in mulierem, et adduxit eam
» Adam. Et ait Adam : Hoc nunc os de ossibus meis, e
» caro de carne mea. Hinc vocabitur virago, eo *quod* d
» viro sumpta sit ipsa. Propterea deseret vir patrem su
» et matrem suam, et hærebit cum uxore *sua*, *eruntq*

duo in carnem unam. Erant autem ambo illi nudi, Adam et uxor ejus, et non erubescebant.

» XXI. Serpens vero fuit callidior omni bestia agri quam fecit Dominus Deus, et dixit ad mulierem : Quare dixit Deus, Non comedetis de omni ligno horti? Et dixit mulier ad serpentem : De fructu omnis ligni horti comedimus, de fructu vero arboris quæ est in medio horti, dixit Deus : Nequaquam comedetis ex ea, neque contingetis illam, ne moriamini. Et dixit serpens ad mulierem : Non moriendo moriemini. Sciebat enim Deus, quod ipso die quando comederitis ex ipsa, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum. Vidit itaque mulier quod bonum esset lignum in cibum, et oculis gratum ad videndum et speciosum ad considerandum, et tulit de fructu illius et comedit, deditque viro suo secum, et comederunt. Et aperti sunt oculi amborum, et cognoverunt quod nudi essent, et consuerunt folia ficulneæ, feceruntque sibi cinctoria. Et audierunt vocem Domini Dei deambulantis in horto ad vesperam, et abscondit se Adam et uxor illius a facie Domini Dei inter arbores horti. Et vocavit Dominus Deus ipsum Adam, et ait illi : Ubi es tu? Qui ait : Vocem tuam audivi in horto, et extimui, quia nudus ego, et absconditus sum. Et ille dixit : Quis indicavit tibi quod nudus esses, nisi quia de ipsa arbore de qua præcepi tibi ut non » comederes ex ipsa sola, comedisti? Et dixit Adam : Mulier » quam dedisti mihi, ipsa dedit mihi de arbore, et comedi : » Et dixit Dominus Deus ad mulierem : Cur hoc fecisti? Et » dixit mulier : Serpens decepit me, et comedi. Et dixit » Dominus Deus ad serpentem : Quia fecisti hoc, maledictus » es præ omni animali, et præ omni bestia terræ : supra » ventrem tuum gradieris, et pulverem comedes omnibus » diebus vitæ tuæ. Et inimicitias ponam inter te et inter » mulierem, inter semen tuum et inter semen illius; ipsum

» observabit caput tuum, et tu observabis ejus calcaneum.
» Ad mulierem vero dixit : Multiplicando multiplicabo do-
» lores tuos et gemitum tuum : in dolore paries filios, et ad
» virum tuum erit conversio tua, et ipse dominabitur tui.
» Ad Adam vero dixit : Quia audisti vocem uxoris tuæ, et
» comedisti de arbore de qua præceperam tibi ut ex
» sola non comederes; maledicta est terra in operibus tuis;
» in dolore comedes eam omnibus diebus vitæ tuæ, et spi-
» nas atque tribulos germinabit tibi, et manducabis her-
» bam agri tui. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, do-
» nec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis
» es, et in pulverem reversurus es. »

XXII. Dices igitur mihi : Deum dicebas comprehendi loco non debere; quomodo eum nunc in Paradiso dicis ambulare? Audi quid respondeam : Deus et pater universorum, non potest ille quidem comprehendi, nec inveniri in loco, neque enim est locus requiei ejus. Sed ejus Verbum, per quod fecit omnia, cum sit ejus virtus et sapientia, assumens patris et domini universorum personam[1], veniebat in Paradisum sub persona Dei, et cum Adamo colloquebatur. Nam et ipsa nos divina docet Scriptura Adamum dixisse auditam esse a se vocem. Vox autem illa quid aliud esse potest quam Verbum Dei, quod ejus quoque filius est; non ut poetæ et fabularum scriptores filios deorum ex concubitu genitos fingunt, sed ut veritas narrat, Verbum semper existens et in corde Dei insitum? Ante enim quam quidquam fieret, eo utebatur consiliario; quippe cum ejus mens et prudentia sit. Cum autem voluit Deus ea facere quæ sta-

[1] Filius assumit personam Patris, et venit in Paradisum in persona Patris, non quod ipse attributis divinitatis careat, sed ut *virtus illius et sapientia : Verbum, quod semper existit insitum in corde Dei, ejusque consiliarius, et mens, et prudentia, Deus, et ex Deo genitus.* Patris enim personam non eodem modo assumit ut angelus, vel legatus a Dei substantia alienus.

tuerat, hoc Verbum genuit[1], prolatitium, primogenitum omnis creaturæ; non ita tamen ut Verbo vacuus fieret, sed ut Verbum gigneret, et cum suo Verbo semper versaretur. Hæc nos docent Scripturæ sanctæ, et quotquot Spiritu sancto afflati fuere, in his Joannes ita dicens : « In principio » erat Verbum, et Verbum erat apud Deum[2]. » Quibus verbis ostendit initio solum fuisse Deum et in eo Verbum. Tum addit : « Et Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt, » et sine ipso factum est nihil. » Verbum igitur cum Deus sit et ex Deo genitum, illud Pater universorum, cum ita visum fuerit, mittit in aliquem locum, quo cum venerit, auditur et videtur missum ab eo et in loco invenitur[3].

XXIII. Hominem igitur Deus die sexto creavit, ejus autem creationem patefecit post diem septimam cum Para-

[1] Generatio illa Verbi, seu emanatio ad extra, nihil addit, nihil detrahit personæ Filii, sed est tantum voluntaria administratio in mundi creatione suscepta. Nam 1° ante hanc generationem erat Patris consiliarius, et Verbum semper existens in corde Patris : ergo persona a Patre distincta. 2° Ita generatur, et mittitur ad mundi creationem, ut Pater Verbo suo vacuus non fiat, et cum Verbo suo semper versetur : ergo generatio hæc nihil addit Filio. 3° Statum Filii docet explicari in illis verbis Joan. 1, *In principio erat Verbum,* etc. ex quibus clare patet, Verbum, quod semper fuerat apud Patrem, prodiisse ad mundi creationem, absque eo quod tunc productum fuerit. Numericam etiam essentiæ in tribus personis unitatem S. Theophilus aperte adstruit : nam Verbum a Patre ita distinguit, ut Deus sit, et ex Deo natus, et a Patre mittatur, et cum Patre ita conjungatur, ut semper insitum sit in corde Patris, ejusque mens, et prudentia, nec eo Pater carere possit; quæ omnia sine consubstantialitate Filii subsistere non possunt.

[2] Joan. 1.

[3] Non fit ex diversitate essentiæ, quod Pater in loco non inveniri possit, sed quia Pater mitti non potest : Theophilus enim clare dicit, ideo Filium mitti, et in loco inveniri, quia Deus est et ex Deo genitus. Hinc illa Filii missio in aliquem locum nihil ejus immensitati detrahit, semper enim exstitit in corde Dei; et Pater in loco inveniri non potest, quia non potest esse vox seu Verbum alterius personæ, nec virtus aut sapientia alterius dici valet, nec Deus ex Deo genitus. Fatendum nihilominus, aliqualiter obscure Theophilum de Verbo locutum fuisse, cujus mentem illi difficulter assequuntur qui ejusmodi loquendi phrases perfecte non callent; quod etiam in reliquis scriptoribus ecclesiasticis observatur qui ante concilium Nicænum floruerunt.

disum parasset, ut in optimo et præstantissimo loco eu constitueret. Hæc autem vera esse res ipsa demonst Nonne enim licet animadvertere dolores illos quos p ferunt in partu et postea oblivioni tradunt mulier et Dei sermo impleatur et augeatur et crescat gen manum? Nonne etiam ipsius serpentis condemnati quomodo exosus sit, ventre serpens ac terram edens, hoc quoque argumento veritas eorum quæ diximus co metur?

XXIV. Produxit igitur Deus de humo omne lignum chrum visu et ad vescendum suave. Initio enim ea tummodo erant quæ die tertio producta fuerant, pl semina, herbæ. Quæ vero in Paradiso, ea præstanti pulchritudine et amœnitate, quippe cum plantarium letur ab ipso Deo satum; cæteras quidem plantas n haud absimiles habuit. Duas autem arbores, vitæ et s tiæ, nulla alia terræ pars habuit nisi Paradisus. Para autem esse terram, et in terra satum docet Scriptura ait : « Et plantavit Deus Paradisum in Edem ad orie » et posuit ibi hominem. Et produxit adhuc Deus de » omne lignum pulchrum visu et bonum ad comeden His igitur verbis, *adhuc de terra* et *ad orientem* dic clare divina Scriptura Paradisum sub hoc cœlo esse ab oriens et terra. Quod autem Hebraice dicitur Eden, terpreteris, idem est ac deliciæ. Fluvium quoque indic Edem oriri, Paradisum alluere, ac inde in quatuor ca dividi, quorum duo, Phison et Geon vocata, rigant or tales partes, præcipue Geon qui totam Æthiopiam circ fluit, et in Ægypto sub Nili nomine apparere dicit Reliqui autem duo, quorum alter Tigris, alter Euphr vocatur, nobis certo cogniti sunt; sunt enim nostris gionibus vicini. Cum autem posuisset Deus hominem, prædiximus, in Paradiso ut operaretur et custodiret eu

præcepit ei ut de omnibus fructibus comederet, et de ipso videlicet vitæ arbore; de solo autem scientiæ ligno interdixit ne gustaret. Illum autem transtulit Deus de terra ex qua factus erat, in Paradisum, subjiciens ei stimulos proficiendi, ut augescens, ac tandem perfectus, imo declaratus Deus, sic in cœlum ascenderet, habens æternitatem. Medius enim homo factus fuerat, nec omnino mortalis, nec prorsus immortalis, sed utriusque capax. Similiter et Paradisus, quantum ad pulchritudinem, medius inter cœlum et terram factus est. Quod autem ait Scriptura, *ut operaretur*, non alium laborem significat quam præcepti divini custodiam, ne si dicto audiens non esset, seipsum perderet, ut peccato perdidit.

XXV. Bonum quidem erat ipsum scientiæ lignum, bonusque illius fructus. Neque enim, ut quidam existimant, mortiferum erat lignum, sed mandati prætergressio. Aliud enim non erat in ligno nisi scientia; bona autem scientia, si quis ea apte utatur. Qua autem ætate erat Adam, adhuc infans erat [1], necdum idoneus esse poterat qui scientiam perciperet. Nam et nunc infans, cum genitus fuerit, nondum potest panem edere, sed primum lacte nutritur, deinde progrediente ætate etiam ad solidum cibum accedit. Idem quoque Adamo evenisset: quapropter non invidens ei Deus, ut quidam existimant, interdixit ne de ligno scientiæ comederet. Adhuc etiam volebat eum experiri et periclitari utrum sibi dicto auditurus esset. Simul diutius volebat simplicem et sincerum permanere hominem puerascentem.

[1] Infantia illa, quæ Adamo a S. Theophilo tribuitur, metaphora non caret; nam infantiam hanc repetit, tum ex recenti ejus creatione, tum ex medio statu illius: etsi enim maximarum rerum scientia instructus esset, hæc tamen infantia erat respectu illius quæ illi in cœlo promittebatur. Deinde puerum quodammodo vocat Adamum, ob simplicitatem, et obsequium quod Deo, uti filius patri, debebat: unde præceptum illi impositum dicit, ut diu in illa pueritia permaneret; quod sane de pueritia imbecilli intelligi nequit.

Hoc enim sanctum est non solum apud Deum, sed etiam apud homines, in simplicitate et innocentia subjici parentibus. Quod si pueri summissi esse parentibus debent quanto magis parenti omnium Deo? Præterea indecorum est pueros infantes plus sapere quam ætas postulet; quemadmodum enim nemo crescit ætate nisi quibusdam velut gradibus; ita nec sapientia. Denique, cum lex præscribit ut ab aliqua re abstineatur; si quis non pareat, perspicuum est non legem causam esse supplicii, sed inobedientiam legis prætergressionem. Pater enim filio suo interdum in nullis rebus interdicit, ac si paterno mandato non paruerit vapulat et mulctatur, quia obsequi noluit: nec jam res ipsæ sunt plagæ, sed detrectata obedientia damno est detrectanti. Sic primo homini mandati prætergressio id attulit ut e Paradiso ejiceretur; non quod mali quidquam inerat ligno scientiæ, sed ex peccato tanquam ex fonte in hominem fluxerunt labores, dolores, molestiæ, ac denique mors ipsa.

XXVI. Atque id quidem ei Deus in magni beneficii loco præstitit, ne in ævum omne permaneret obstrictus peccatis; sed quodam veluti exilio damnatum ejecit e Paradiso, ut cum hac pœna peccatum intra certum tempus expiasset, ac castigatus fuisset, postea revocaretur. Quare cum homo formatus in hoc mundo fuisset, non sine mysterio res in Genesi sic refertur, quasi bis in Paradiso collocatus fuisset; ita ut semel quidem impletum id fuerit cum ibi collocatus est, alterum autem adimplendum sit post resurrectionem et judicium. Quin etiam quemadmodum vas si, postquam confectum fuerit, vitii aliquid habeat, refunditur et refingitur ut novum et integrum fiat; idem homini mors affert quodam enim modo confringitur, ut sanus in resurrectione inveniatur, id est mundus, justus et immortalis. Quod autem Deus Adamum vocat, et ait: *Adam ubi es?* non quod

ignoraret, ita faciebat; sed cum sit admodum patiens, locum ei dabat pœnitendi et confitendi.

XXVII. Sed nobis dicet aliquis : Natura mortalis factus est Adam? Minime. Num immortalis? Nihilo magis. Nihil ergo erat? Neque etiam id dicimus. Igitur nec mortalis natura, nec immortalis factus. Nam si immortalem ab initio fecisset, Deum eum fecisset. Rursus si mortalem, videretur Deus causa illius mortis esse. Nec immortalem igitur fecit nec mortalem, sed, ut supra diximus, capacem utriusque : ut si ad ea ferretur quæ ducunt ad immortalitatem, observandis Dei mandatis, mercedem ab eo acciperet immortalitatem, et Deus fieret; si vero deflecteret ad ea quæ ducunt in mortem, non obediens Deo, ipse sibi mortis auctor esset. Liberum enim Deus et sui juris hominem fecit. Quod igitur sibi ipse negligentia et inobedientia accersiverat, id nunc Deus ei redonat pro sua singulari humanitate et in homines ipsi obtemperantes misericordia. Quemadmodum enim homo, non obediendo, mortem sibi ipse traxit; sic voluntati Dei obsequendo potest qui voluerit æternam vitam sibi conciliare. Legem enim Deus et sancta nobis præcepta dedit, quæ quisquis observaverit potest salutem assequi, et compos resurrectionis factus, status a corruptione alieni hæreditatem accipere.

XXVIII. Ejectus igitur Adam ex Paradiso, sic cognovit uxorem suam, quam ei Deus in uxorem ex ipsius costa fecerat. Atque id quidem, non quod separatim uxorem ipsius fingere non posset, sed providebat Deus multitudinem deorum ab hominibus inductum iri. Cum igitur præscius futurorum esset, ac futurum videret ut serpentis opera multitudinem deorum non exstantium error inveheret (tum cum enim unus esset Deus, jam meditabatur error multitudinem deorum spargere et dicere : *Eritis sicut dii*), ne quis igitur suspicaretur virum ab altero Deo, mulierem ab

altero factam esse, ambos separatim non fecit, sed ut mys-terium monarchiæ Dei etiam ex ea re demonstraretur, si-mul ipsius uxorem finxit; atque ut major esset inter eos benevolentia. Dixit ergo Adam ad Evam : « Hoc nunc os » ex ossibus meis, et caro ex carne mea. » Præterea vati-natus est in hæc verba : « Propterea derelinquet homo pa-» trem suum et matrem et adhærebit uxori suæ, eruntque » duo in carnem unam; » quod ipsum in nobis perfici patet. Quis est enim qui, cum legitime nubat, non contemnat patrem et matrem et cognationem omnem ac propinquos omnes, adhærens et conjunctus uxori, eamque majore be-nevolentia complectens? Unde etiam nonnulli multa ve-discrimina propter uxores suas adeunt. Quoniam autem hæc Eva antiquitus a serpente decepta, et origo pec-fuit, malorum inventor dæmon, qui et Satanas vocatur, ac tum eam per serpentem alloquutus est, hactenus de-in hominibus a se correptis operatur, Evam vocat. Dæ-mon autem ac draco vocatur, eo quod a Deo fugiens abscesserit; angelus enim ab initio fuerat. Ac de eo qui-dem longa est oratio : quapropter impræsentiarum missam faciamus ejus rei explicationem; alibi enim de eo disse-vimus.

XXIX. Cum igitur Adam cognosceret Evam uxorem suam, concepit ista et filium peperit cui nomen Cain, et dixit : « Possedi hominem per Deum. » Adhuc addidit ut alterum pareret, cui nomen Abel : « Hic cœpit esse pas-» ovium; Cain autem terram colebat. » Ac ea quidem quæ ad illos spectant plurimam habent historiam, imo narra-tionis œconomiam : quare discendi cupidos accuratius po-test de hac historia liber ipse qui *Genesis mundi* inscri-bitur, edocere. Satanas igitur ut Adamum et uxorem ejus vidit non solum vivere, sed etiam liberos suscepisse, invidia stimulatus quod mortem illis inferre non potuisset, cum

um Abelem videret Deo placere, ipsius fratrem, Cainum omine, impulit et perduxit ut fratrem suum Abelem occideret. Ab his initiis in hunc mundum inducta mors, totum hactenus genus humanum pervasit. Deus autem cum nisericors sit, et quemadmodum Adamo, ita etiam et Caino ditum ad pœnitentiam et confessionem aperire vellet, ita um alloquutus est : « Ubi est Abel frater tuus? » Cain autem contumaciter et arroganter respondit Deo : « Nescio. Num ego custos sum fratris mei? » Hinc iratus Deus : « Quare, inquit, hoc fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, quæ aperuit os suum ut susciperet sanguinem fratris tui de manu tua. Gemens et tremens eris in terra. » Ex hoc tempore timore perculsa terra, nullius jam hominis sanguinem suscipit, sed nec ullius animalis. Ex quo patet culpam in ea non residere, sed in homine præceptum transiliente.

XXX. Ipse quoque Cain filium habuit cui nomen Enoch, ac urbem ædificavit, quam de nomine filii sui Enoch appellavit. Hoc fuit initium urbium ædificandarum, idque ante diluvium; non ut Homerus mentitur ita canens :

Lingua haud dum variis structæ mortalibus urbes.

Genuit Enoch filium nomine Gaidad, a quo genitus est Meel; a Meel Mathusala, a Mathusala Lamech. Lamech autem duas sibi uxores accepit, quarum nomina Ada et Sela. Jam tum initium habuit uxorum multitudo, ac ipsa etiam musica. Nam Lamech nati sunt tres filii, quorum nomina Obel, Jubal, Thobel. Ac Obel quidem vir fuit in tabernaculis pecus nutriens. Jubal autem is est qui psalterium et citharam monstravit. Thobel fuit faber æris et ferri. Hactenus igitur recensetur Caini genus : reliquam autem ejus progeniem, eo quod fratrem suum occidisset, oblivio delevit. In locum autem Abelis dedit Deus Evæ ut conciperet

et pareret filium, qui Seth appellatus est, a quo reliquum hominum genus hactenus propagatur. Omnes autem generationes si pernoscere voluerint qui discendi sunt cupidi, facile est eas ex Scripturis sanctis demonstrare. Jam enim a nobis aliqua ex parte instituta est, ut supra diximus, hæc disputatio, nempe genealogiæ series in primo de historiis libro. Hæc autem omnia docuit nos Spiritus sanctus, qui per Moysen et cæteros Prophetas loquutus est, ita ut nostræ, qui Deum colimus, litteræ omnibus scriptoribus et poetis antiquiores sint : sed et veriores demonstramus. Musicæ autem inventorem Apollinem fuisse nonnulli nugati sunt; alii ab Orpheo ex suavi avium concentu inventam dicunt : vana autem et inanis eorum oratio demonstratur; hi enim multis post diluvium annis fuerunt. De rebus autem Noe, qui Deucalion a nonnullis vocatur, disputatio a nobis in eo quem diximus libro instituta est, quam potes tu quoque inspicere si velis.

XXXI. Post diluvium initium rursus urbium *et regum* ortum est in hunc modum. Prima urbs Babylon, tum Orech, Archat et Chalane in terra Senaar. Harum rex exstitit nomine Nebroth. Ex his prodiit is qui Assur vocatur, unde dicti Assyrii. Nebroth autem ædificavit urbes Ninive et Roboom et Calae, et Dasen quæ inter Niniven et Calae sita est. Ninive vero urbs fuit imprimis magna. Semi autem filii Noe filius alter nomine Mesraim genuit Laudonim, Enemigim, Labiim, Nephtaliim, Patrosoniim, unde editus Philisthiim. Tres igitur Noe filios eorumque exitum et genealogiam summatim recensuimus in eo quem diximus libro. Nunc autem quæ supersunt memorabimus, tum de urbibus et regibus, tum de iis quæ gesta sunt cum unum labium esset ac lingua una. Antequam linguæ dividerentur, hæ urbes fuerunt quas supra descripsimus. Cum autem instaret illud tempus ut homines in varias partes dispergerentur.

consilium de sua propria, non de Dei sententia ceperunt urbis ædificandæ et turris cujus caput cœlum attingeret, ut sibi nomen inclytum parerent. Sed quia præter Dei voluntatem grave opus ausi fuerant aggredi, evertit Deus eorum urbem et turrim dejecit : eo tempore in hominum linguas varietatem induxit, data unicuique diversa lingua. Atque hæc quidem Sibylla declaravit, cum iram mundo eventuram obnuntiaret : sic autem loquuta est :

Sed quando magni Dei perficiuntur minæ, [fabricarunt
Quas aliquando comminatus est mortalibus quando turrim
In terra Assyria. Erant autem omnes unius linguæ,
Et voluerunt scandere cœlum stelligerum.
Statim autem Immortalis magnam imposuit necessitatem
Ventis. Venti magnam et altam turrim
Ubi dejecerunt, etiam inter mortales discordiam excitarunt.
Rursus ubi turris cecidit, ac linguæ hominum
Mortalium in multas divisæ sunt dialectos,
Terra mortalibus impleta sub variis regibus.

et quæ sequuntur. Atque hæc quidem gesta sunt in terra Chaldæorum. In terra autem Chanaan urbs fuit nomine Charra. Iis temporibus primus in Ægypto regnavit Pharao, qui et Nechaoth apud Ægyptios dictus est : sicque cæteri reges consequuti sunt. In terra autem Senaar quam Chaldæi tenebant, primus rex fuit Arioch : post quem Ellasar, deinde Chodollagomor rex Ælan, tum Thargal rex gentium quæ dictæ sunt Assyriorum. Quinque aliæ urbes fuerunt in ea parte quam tenuit Cham filius Noe : prima Sodoma, cæteræ Gomorrha, Adama et Seboim et quæ Segor nuncupata est. Nomina regum qui istis urbibus præfuere sic habent : Ballas rex Sodomorum, Barsas rec Gomorrhæ, Senaar rex Adamæ, Hymor rex Seboim, Balac rex Segor, quam urbem alio nomine vocarunt Kephalam. Hi servierunt regi Assyriorum Chodollagomor duodecim annis. Anno autem tertio

et decimo defecerunt ab Assyrio; sicque factum est ut [illegible] tuor Assyriorum reges bellum cum quinque his regibus [illegible] rerent. Hæc prima fuit origo bellorum in terra, et fregerunt gigantes Caranain, et cum eis in ipsa urbe gentes valida[illegible] Chorræos qui montes Seir dictos incolebant, usque ad [illegible] rebinthum illam quæ in deserta regione sita Pharan [illegible] latur. Erat illo tempore rex justus nomine Melchisedec [illegible] urbe Salem, quæ nunc Hierosolyma. Hic primus fuit [illegible] nium sacerdotum Dei altissimi, ab eoque Hierusalem [illegible] pellata est ea quam paulo ante diximus Hierosolyma [illegible] eodem sacerdotes in toto terrarum orbe exstiterunt. [illegible] hunc regnavit Abimelech in Geraris: tum Abimelech [illegible] deinde Ephron cognomento Chettæus. Primorum igitur [illegible] gum nomina ita se habent. Cæteri autem Assyriorum re[illegible] qui multis annis interjectis regnarunt, silentio prætermissi sunt, scriptoribus omnibus propriora ætati nostræ temp[illegible] commemorantibus. Reges autem Assyriorum fuerunt [illegible] glaphasar, ac post eum Salnanasar, deinde Sennacherim. Hujus triarcha fuit Adramelech Æthiops, qui etiam Ægypti regnum obtinuit: quamquam hæc, quantum ad litteras [illegible] tras attinet, omnino recentia sint.

XXXII. Inde igitur judicium de historiis ferre possunt qui eruditionis et antiquitatis studiosi sunt, quod recentia sint quæ a nobis sine sanctis Prophetis dicuntur. Nam cum his primis temporibus pauci essent homines in Arabia et Chaldæa, postquam divisæ sunt eorum linguæ, paulatim ac[illegible] geri et multiplicari cœperunt in toto terrarum orbe; atque alii quidem ad orientem incolendum declinarunt, alii ad partes majoris continentis et septentrionem, ita ut usque ad Britannos pertenderent in Arcticas regiones: alii Chananæam regionem, quæ Judæa et Phœnicia cognominata est, tum partes Æthiopiæ, Ægypti et Libyæ, tum etiam eam regionem quæ Torrida dicitur, et quæ ad occidentem perti[illegible]

t loca : reliqui vero partim eos tractus qui a maritimis onibus et Pamphylia porriguntur, tum Asiam, Græciam, ;edoniam, partim Italiam, Gallias, Hispanias, Germanias uerunt, ita ut nunc totus orbis terrarum incolis replea-. Cum igitur initio tripartita esset hominum habitatio in ra, ad orientem, ad meridiem et occidentem, postea eræ etiam partes incoli cœperunt hominibus redundanus. Hæc cum ignorent scriptores, mundum sphæricum ere non dubitant, et cubo similem pronuntiare. Qui ssint autem in his vera dicere, cum ignorent creationem ındi ejusque habitationem? Paulatim crescentibus, ut imus, et multiplicatis in terra hominibus, maris quoque ulæ ac cæteræ regiones similiter habitari cœperunt.

XXXIII. Quis igitur ex iis qui sapientes et poetæ et hisrici dicuntur, verum in his rebus dicere potuit, cum multo steriores exstiterint, ac turbam deorum induxerint qui t annis post urbes geniti fuere, et regibus et gentibus et llis juniores sunt? Oportebat enim mentionem ab illis nnium fieri, etiam eorum quæ ante diluvium evenerunt: mundi autem origine ac hominis formatione, iisque reıs quæ postea consequutæ sunt, accurate Ægyptiorum ophetæ et Chaldæi cæterique scriptores disserere debueınt, si quidem divino et puro spiritu loquebantur ac vera untiabant. Nec præterita solum aut præsentia, sed ea etiam uæ mundo eventura erant, prænuntiata ab eis oportebat. x quo patet cæteris omnibus errorem illusisse, Christianos utem veritatem solos apprehendisse : quippe cum a Spiritu ıncto doceamur, qui loquutus est in sanctis Prophetis ac mnia prænuntiavit.

XXXIV. Cæterum auctor tibi sum, res divinas, id est, a quæ a Prophetis dicta sunt, summo studio scruteris, ut ontentione facta et eorum quæ a nobis et eorum quæ a æteris dicuntur, verum invenire possis. Eorum igitur quos

vocant deorum nomina, hominum qui apud eos fuere nomina inveniri, ut supra demonstravimus, ex ipsis historiis quas scripsere ostenderunt. Hactenus autem eorum imagines quotidie effinguntur, mera simulacra, *opera manuum hominum*. Atque iis quidem cultum adhibet hominum ineptorum multitudo. Creatorem autem et opificem universorum et altorem omnis spiritus flocci faciunt credi vanis sententiis, et accepto a patribus stultæ opinionis errore decepti. Deus autem et pater et conditor universorum, non deseruit humanum genus; sed legem dedit, ac sanctos prophetas misit, qui nuntiarent generi humano et præciperent ut quisque nostrum expergefactus unum esse Deum agnosceret. Ab iisdem edocti sumus ut ab infando simulacrorum cultu, ab adulterio, cæde, stupro, furto, avaritia, perjurio, iracundia, lascivia omni et impuritate abstineamus, et quæ sibi quisque fieri nolit, ea alteri ne faciat; sicque justitiæ cultor æterna supplicia effugiat, et vitam æternam a Deo consequatur.

XXXV. Vetat igitur lex divina, non solum simulacra, sed etiam elementa, solem et lunam, ac cæteras stellas adorari, aut cœlo aut terræ, aut mari aut fontibus, aut fluminibus cultum adhiberi; sed is qui vere Deus est ac universorum conditor, solus sancto pectore et sincero animo colendus. Quamobrem sancta lex ait : « Non mœchaberis : non occides : » non furaberis : non falsum testimonium dices : non concupisces uxorem proximi tui[1]. » Similiter et Propheta Salomon ne oculorum quidem nutu peccandum esse nobis docet his verbis : « Oculi tui recta videant : palpebræ tuæ » annuant justa[2]. » Moses qui et ipse propheta *extitit*, de singulari Dei imperio sic loquitur : « Hic Deus vester qui » firmat cœlum et condit terram : cujus manus ostenderunt » universam militiam cœli : nec ea vobis monstravit ut p

[1] Exod. xx, 14. — [2] Prov. iv, 25.

ea abiretis. » Ipse etiam Esaias ait : « Sic dicit Dominus Deus, qui firmavit cœlum et fundavit terram et quæ in ea, et dat spirationem populo qui super eam, et spiritum calcantibus eam : hic Dominus Deus vester est[1]. » Et rursus per eumdem : « Ego, inquit, feci terram et hominem super eam. Ego manu mea firmavi cœlum[2]. » Et in alio capite : Hic est Deus vester qui construxit extrema terræ : non esuriet, nec fatigabitur : nec est investigatio ejus prudentiæ[3]. » Similiter Jeremias ait : « Qui fecit terram in fortitudine sua : qui erexit orbem in sapientia sua, et in prudentia sua extendit cœlum et multitudinem aquæ in cœlo : et eduxit nubes ab extremo terræ : fulgura in pluviam fecit, et eduxit ventos de thesauris suis[4]. » Videre est quam amica inter se et consona Prophetæ omnes loquuti sint, uno et eodem spiritu de singulari Dei imperio, mundi origine, et hominis creatione pronuntiantes. Quin etiam intimis sensibus angebantur, cum impium hominum genus lugerent : ac eos qui videbantur esse sapientes, propter eorum errorem et cor induratum ignominia notaverunt. Jeremias quidem sic loquitur : « Infatuatus est omnis homo a scientia sua, pudore suffusus est omnis opifex ob sculptilia sua : frustra argentarius faber argentum fabricatur : non est spiritus in eis : in die visitationis suæ interibunt[5]. » Idem dicit David : « Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum; omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt[6]. » Similiter Habacuch : « Quid prodest homini sculptile quia sculpsit illud? Formavit illud imaginem falsam : væ qui dicit lapidi, Expergiscere, et signo, Elevare[7]. » Similiter loquuti cæteri veritatis Prophetæ. Et quid multitudinem Prophetarum enumerem, qui et multi fuerunt, et de rebus

[1] Esai. XLII, 5. — [2] Esai. XLV, 12. — [3] Esai. XL, 28. — [4] Jerem. X, 12. — [5] Jerem. X, 13, et LI, 16, 17. — [6] Psal. XIV, 2. — [7] Habac. II, 18.

innumeris amice inter se et consentanee dixerunt? Poss enim qui volunt, si eorum dicta consulant, veritatem ac- rate cognoscere, nec cogitationum æstu et operosis n- abripi. Hi igitur quos prædiximus Prophetæ apud Hebr extiterunt, illiterati homines et pastores et imperiti.

XXXVI. Sibylla autem, quæ apud Græcos et cæte gentes vates extitit, sic initio prophetiæ suæ in human genus invehitur :

Homines mortales et carnei, qui nihil estis,
Quomodo cito efferimini, vitæ finem non respicientes?
Non tremitis, nec timetis Deum inspectorem vestrum,
Altissimum, cognitorem, omnium speculatorem, testem
Nutritorem omnium, creatorem, qui dulcem spiritum in
Posuit, et ducem mortalium omnium constituit?
Unus Deus, qui solus imperat, magnitudinem excedens
Omnipotens, invisibilis, videns solus ipse omnia,
Ipse autem non videtur ab ulla carne mortali.
Quæ enim caro potest cœlestem et verum
Oculis videre Deum immortalem, qui cœlum habitat?
Sed ne ex adverso quidem radiorum solis
Stare homines possunt, mortales geniti
Viri, qui in pectoribus venæ et carnes sunt.
Hunc solum existentem colite ducem mundi,
Qui solus in sæculum et ex sæculo fuit,
Ex se genitus, ingenitus, omnia tenens semper,
Omnibus hominibus judicium describens in luce commun
Mali consilii dignam habebitis mercedem,
Quia Deum omittentes verum et æternum
Celebrare, ipsique immolare sacras hecatombas,
Dæmonibus sacrificastis, iis qui in inferno.
Superbia et furore perciti inceditis, et callem rectum
Deserentes abiistis per spinas
Ac per fossas : quid erratis? Mortales, desinite vani
Errare in tenebris, et obscura nocte nigraque :
Relinquite tenebras noctis, et lucem prehendite.

Ecce hic omnibus conspicuus et erroris expers.
Venite nec tenebras sequimini et caliginem semper:
Solis dulce visu ecce lumen egregie splendet:
Cognoscite ponentes sapientiam in pectoribus vestris.
Unus Deus est, imbres, ventos, terræ motus immittens,
Fulgura, fames, pestes et luctus tristes,
Et nives et glaciem. Et quid singula commemoro?
Cœlum gubernat, terram tenet, ipse existit.

Et in eos qui geniti dicuntur, sic loquuta est:

Si genitum omnino corrumpitur, non potest hominis
Ex lumbis et matrice Deus formatus esse.
Sed Deus solus, unus, excelsissimus, qui fecit
Cœlum et solem et astra et lunam,
Fertilem terram et marinas ponti procellas,
Montes excelsos, et perennes scaturigines fontium:
Etiam aquatilium generat innumerabilem multitudinem,
Et reptilia quæ in terra moventur et in humidis locis, nutrit;
Varia etiam animalia, suaviter resonantia et balbutientia,
Pulchra, alis dulce crepantia, et aerem pennis turbantia:
In saltibus autem montium sylvestre genus posuit ferarum:
Nobis jumenta subjecit omnia mortalibus:
Omniumque ducem constituit a se conditum,
Viroque subjecit admodum varia et innumerabilia.
Nam quæ mortalium caro hæc omnia cognoscere potest?
Sed ipse solus novit qui fecit hæc ab initio,
Incorruptus, creator, æternus, æthera inhabitans,
Bonis bonam proferens et multiplicem mercedem,
In malos autem et injustos iram et furorem excitans,
Et bellum et pestem et dolores lacrymosos.
Homines quid frustra erecti radicitus peritis?
Pudeat vos feles et animalia insecta in deos referre:
Nonne id furor est et rabies animorum et stulta onera?
Lances furantur dii, ollasque diripiunt!
Et cum auratum cœlum et pingue colere deberent,
Vermibus exesa respiciunt, et araneis prætexta!

Adoratis serpentes, canes, feles, insani,
Volucres quoque colitis et reptilia animalia terræ,
Et lapideas statuas, et simulacra manu facta,
Et in viis lapidum acervos. Hæc adoratis
Et vana alia multa quæ vel appellare turpe est.
Sunt enim hi dii hominum deceptores stultorum:
Horum ex ore funditur lethale venenum.
Cujus autem vita est et incorruptum ac sempiternum...
Quique dulci melle dulciorem hominibus lætitiam
Fundit, huic soli oportet cervicem flectere,
Et viam in piis sæculis inclinare.
Hæc omnia relinquentes, justitiæ plenum poculum,
Purum, forte, pressum, non temperatum
Traxistis imprudentia et amenti spiritu omnes,
Nec vultis evigilare et ad prudentem mentem convert.
Et cognoscere Deum regem, omnia inspicientem.
Quapropter ardentis ignis fulgor venit ad vos,
Flammis comburemini in sæculum quotidie,
Pudore suffusi ob falsa et inutilia simulacra.
Qui autem Deum colunt verum et æternum,
Vitam hæreditate accipient in æternum tempus,
Inhabitantes paradisi simul amœnum hortum,
Edentes dulcem panem a stellato cœlo.

Hæc igitur vera et utilia et justa et amica omnibus ho-nibus esse perspicuum est.

XXXVII. Quod autem qui male fecerint, necesse ha-bent pro meritis actionum puniri, id jam et poetarum n-nulli futurum veluti quodam oraculo pronuntiarunt, t- in seipsos, tum in eos qui inique faciunt, testimonium -centes. Æschylus dixit :

Qui namque fecit, debitum illi etiam pati.

Ipse etiam Pindarus ait :

Namque facientem aliquid æquum est et pati.

Similiter et Euripides :

Patere haud iniquus : feceras enim lubens
Lex est in hostem ut sævias, si ceperis.

Et rursus idem :

Hosti nocere fortis arbitror viri.

Similiter et Archilochus :

Unum esse novi maximum, si quid mali
Inflixerit quis, gnaviter rependere.

Quod autem Deus omnia videt, nec eum quidquam latet, ed cum patiens sit, exspectat dum judicet, ea quoque de e Dionysius dixit :

Justitiæ oculus, etsi videtur leniter
Spectare, semper prospicit tamen omnia.

'uturum autem Dei judicium, ac improbos mala ex improviso deprehensura, Æschylus significavit his verbis :

Haud tarda gressu hominibus ingruent mala,
Theminque tristis pœna deserentibus.
Invisam et absque voce justitiam vides.
At sive dormis, sive eas, seu sederis,
Obliqua sequitur proxime, interdum eminus :
Nullumque prorsus nox nefas celaverit.
Si prave agas quid, esse qui cernat puta.

nnon etiam Simonides?

Haud ulla præter spem accidunt homini mala,
Horæque momento omnia evertit Deus.

ursus Euripides :

Hominis mali res prosperas
Nunquam, atque opum superbiam
Stabiles oportet credere;
Sed nec malorum filios.

Parente nam tempus carens
Demonstrat hominum crimina.

Rursus Euripides :

Non enim Deus
Prudentiæ expers, sed valet pernoscere
Qui prava jurant, quique sponte non sua.

Et Sophocles :

Mala si dedisti, oportet et pati mala.

Cum ergo de iniquo jurejurando et alio quovis pecc... quisiturum Deum, iidem quoque pene prædixerunt; ... etiam de mundi conflagratione, volentes nolentes conse... nea Prophetis dixerunt, quamvis multo juniores nati ... rint, atque ex Lege et Prophetis hæc suffurati sint.

XXXVIII. Sed quid refert utrum posteriores an pr... fuerint? Certe consentanea Prophetis ipsi quoque dixer... De mundi conflagratione Malachias propheta sic præd... « Ecce dies Domini venit ut clibanus ardens, et ... » omnes impios[1]. » Et Esaias : « Veniet enim ira Dei ut » grando ruens impetu, et ut aqua trahens in conv... Sibylla igitur et reliqui prophetæ, sed et poetæ et p... sophi, et de justitia et judicio et pœnis pronuntiarunt ... etiam de providentia, Deum nostri curam gerere, ne... lum viventium, sed etiam mortuorum, vel inviti dixer... vincebantur enim a veritate. Atque ex Prophetis qui... Salomon de mortuis sic loquitur : « Erit sanatio carnib... » curatio ossium[3]. » Similiter et David : « Exsultabunt ... » humiliata[4]. » His consentanee Timocles :

Urna repostos respicit clemens Deus.

Qui ergo scriptores deorum multitudinem admiserunt, ... ad monarchiam devenerunt; et qui judicium negarunt, ...

[1] Malach. IV, 1. — [2] Esai. XXX, 28 et 30. — [3] Prov. III, 8. — [4] Psal. ...

icium confessi sunt; et qui sensum post mortem nullum ;se asseruerunt, sensum superesse confessi sunt. Homeas igitur cum dixisset :

> Anima instar somni avolavit, *Odyss.* Λ, 221,

libi dicit :

> Anima ex membris avolans ad inferos descendit.
> *Iliad.* Π, 856, *et* Υ, 362.

Et alibi :

> Sepelito me, ut quam primum portas Plutonis transeam.
> *Iliad.* Ψ, 71.

De cæteris quos legisti, accurate cognitum tibi esse arbi ror quomodo disseruerint. Hæc omnia intelliget quisquis sapientiam Dei quærit, eique per fidem et justitiam et bona opera placet. Dixit enim aliquis ex Prophetis quos supra demonstravimus, nomine Osee : « Quis sapiens et intelliget » hæc, prudens et cognoscet? quoniam rectæ viæ Domini » et justi ambulabunt in eis : impii autem infirmabuntur in » eis [1]. » Oportet igitur ut qui discendi cupidus est, libenter discat : ac proinde da operam ut sæpius congrediaris, ut vivam quoque vocem audiens, verum accurate discas.

[1] Os. XIV, 10.

LIBER TERTIUS.

I. Theophilus Autolyco salutem. Quia plurimos libros scriptores componere amant ad inanem gloriam, alii de diis et bellis aut temporibus, alii de fabulis inutilibus, cæterisque operosis nugis, quibus tu hactenus addictus libenter hunc perfers laborem, ac post sermones mecum habitos adhuc pro delirio habes doctrinam veritatis, recens admodum esse litteras nostras existimans; hanc ob causam nec ego gravabor tibi antiquitatem litterarum nostrarum ab origine et capite repetitam, Deo annuente, exponere, et paucis tibi hoc monimentum conficiam, ut *illud* perlegere non pigreris, ac ineptias cæterorum scriptorum perspicias.

II. Eos enim oportebat aut suis oculis ea vidisse de quibus affirmant, aut accurate ab iis qui vidissent didicisse. Nam qui incerta scribunt, ii quodammodo aerem cædunt. Quid enim Homerum juvit quod bellum Trojanum scripserit ac multos in errorem induxerit? aut Hesiodum, quod eorum quos vocat deorum genealogiæ seriem recensuerit; aut Orpheum, quod trecentos et sexaginta *quinque* deos numeraverit, quos idem sub exitum vitæ sustulit, in Præceptis suis unum esse Deum asserens? Quid Aratus et sphærographia cycli mundani retulit, aut qui eadem ac ille dixerunt, præter humanam gloriam, quam ne suo quidem merito consequuti sunt? Quid veri dixerunt? Quid Euripidem et Sophoclem cæterosque tragœdos tragœdiæ juverunt, aut Menandrum et Aristophanem cæterosque comœ-

dos comœdiæ, aut suæ Herodotum et Thucydidem historiæ? aut Pythagoram Adyta et Herculis columnæ, aut Diogenem cynica philosophia? Quid Epicuro profuit nullam esse providentiam decernere, aut Empedocli nullum esse Deum docere, aut Socrati per canem jurare et anserem et platanum, et fulmine tactum Æsculapium, et dæmonia quæ ille invocabat? Cur libenti animo mortem oppetiit? quam se et qualem post mortem accepturum mercedem sperans? Quid Platonem juvit instituta ab eo disciplina, aut quid alios philosophos, ne magnum eorum numerum recenseam, suæ opiniones juverunt? Hæc autem dicimus, ut eorum inutilem et impiam animi sententiam ostendamus.

III. Hi enim omnes vanæ et inanis gloriæ cupidi nec verum ipsi viderunt, nec alios ad veritatem excitarunt; ex suis enim ipsorum dictis arguuntur, quatenus pugnantia loquuti sunt, ac sua ipsorum decreta plerique dissolverunt. Neque enim sese invicem solum evertunt, sed jam nonnulli sua ipsorum decreta irrita fecerunt; ita ut eorum gloria in ignominiam et stultitiam evaserit : nam condemnantur ab hominibus intelligentia præditis. Vel enim de diis loquuti sunt, ac postea nullum esse Deum docuerunt; vel de mundi origine, ac postremo sua sponte orta esse omnia docuerunt. Quin etiam de providentia disputantes, rursus mundum nulla regi providentia decreverunt. Quid? Annon etiam de morum honestate scribere aggressi, flagitia et stupra et adulteria patrare docuerunt, ac detestanda et nefanda scelera induxerunt? Ac deos etiam suos prædicant principes exstitisse in infandis flagitiis sese volutandi, et in detestandis cibis epulandi. Quis enim non canit Saturnum filiorum voratorem, aut Jovem ejus filium Metin absorbentem, et scelerata convivia diis apponentem, in quibus Vulcanum quemdam claudum et fabrum perhibent illis ministrare; Junonem autem propriam ipsius sororem cum eo non solum matri-

monio conjunctam, sed etiam infanda flagitia ore im-patrare? Ac cætera Jovis facinora qualia a poetis canuntur, verisimile est a te non ignorari. Quid jam recenseam Neptuni, Apollinis, Bacchi, Herculis, Minervæ sinus am... Veneris pudorem projicientis facinora, cum de his ac... tius alio in libro disputaverim?

IV. Nam ne hæc quidem a me refelli oportebat, nisi te adhuc video circa veritatis doctrinam incertum et dubium. Quamvis enim ipse prudens sis, perfers tamen nos non invitus. Alioquin non te commovissent homines stulti ut vanis sermonibus abriperesis, et rumori in... rato crederes ab impiis linguis sparso, quæ ficta in nos... mina, qui Dei cultores sumus et Christiani vocamur, ... ferunt, ac communes omnium esse nostras uxores dict... nosque promiscuo concubitu uti et cum propriis soror... misceri, et quod maxime impium et longe crudelis... est, carnem quamlibet degustare. Addunt etiam recens ... diisse nostram doctrinam, nec quidquam a nobis affer... ad veritatem illius demonstrandam, stultitiamque ... tutum nostrum. Equidem te plurimum admiror, qui ... cætera diligens et consideratus sis, ac omnium rerum ex-plorator, negligenter nobis aurem accommodes. Nam ... fieri posset, ne noctem quidem dubitares in biblioth... consumere.

V. Quoniam autem multa perlegisti, quid tibi visa ... illa Zenonis et Diogenis et Cleanthis præcepta, qualia ... rum libris continentur, ut humana caro voretur, ac parentes a propriis filiis coquantur et vorentur; ac si quis ... aut membrum aliquod infandi illius cibi projiciat, ipse ... comedatur qui non comedit? Hanc impietatem superat ... illa Diogenis docentis ut suos filii parentes in victimas ... immolent et comedant. Quid? Nonne Cambysem fabulatur historiæ scriptor Herodotus, cum Harpagi filios occidisset

ctos patri epulum apposuisse? Idem etiam apud Indos ɔulatur comedi a propriis filiis parentes. O doctrinam imam talia scribentium vel potius docentium! o impietatem atheismum! o mentem tam accurrate philosophantium : philosophiam præ se ferentium! Nam qui hæc docuere, undum impietate repleverunt.

VI. Nam et de infando scelere pene inter eos omnes conɔnit qui in philosophiæ choro erraverunt. Ac primus quiɔm Plato, qui præclarius inter eos philosophatus videtur, ominatim in primo de Republica libro, sancit veluti quiam legislator communes esse omnium uxores, auctore tens Jovis filio et Cretensium legislatore (ut per interositam causam fœcunda proles ex talibus nasceretur; siıul quod eos qui labores exantlarent, hujusmodi copulis emulceri oportebat), quamvis ea res legibus prohiberetur. Iam Solon etiam ea de re legem diserte sancivit, ut ex pare matrimonio conjuncto legitime pueri nascantur, non utem ex adulterio, ne quis in patris loco eum colat qui ɔater non sit, aut eum qui vere sit ignominia afficiat, parem esse ignorans. Epicurus autem, præter quam quod Deum non esse docet, auctor est ut cum matribus et ororibus consuetudo stupri habeatur, ac ejusmodi faciıora patrentur quæcumque reliquis legibus Romanorum et Græcorum prohibentur. Cur igitur Epicurus et Stoici incestos cum sororibus et masculis concubitus docent, qua doctrina bibliothecas impleverunt, ut a teneris infanda flagitia ediscerentur? Sed quid attinet pluribus circa eos immorari, cum de iis etiam quos appellant diis similia prædicaverint?

VII. Postquam enim deos esse dixerunt, rursus eos ad nihilum redigunt. Alii enim ex atomis eos constare dixerunt; alii in atomos abire, nec quicquam amplius quam homines posse. Plato autem postquam deos esse dixit, eos-

dem ex materia constituere non dubitat. Pythagoras autem, qui tot ac tanta de diis laboravit, ac sursum deorsum peregrinatus est, postremo natura et fortuito concursu omnia contineri, nec ullam hominum procurationem deos gerere definit. Mitto etiam quot et quanta Clitomachus Academicus excogitarit, ut nullos esse deos probaret. Quid me etiam Critias? nonne Protagoras, cujus est illud: « Neque » utrum sint dii possum dicere, nec quales sint demonstrare : multa enim sunt quæ me deterreant? » Quæ autem ab Euhemero summæ impietatis homine dicta sunt, ea commemorare quidem operæ pretium videtur. Is enim postquam multa de diis disserere ausus est, postremo nec omnino esse, ac fortuito omnia gubernari contendit. Plato autem, qui tam multa de monarchia Dei disputavit, ac de anima humana, immortalem eam esse statuens, nonne postea secum ipse pugnare deprehenditur, dum quorumdam animas in alios homines migrare dicit, quorumdam autem in animalia rationis expertia concedere? Annon horrenda et nefanda ejus sententia viris prudentibus videbitur, ut qui olim homo fuerit, is rursus lupus aut canis fiat, aut asinus aut aliud quidpiam animal rationis expers. Huic consona Pythagoras quoque nugatus esse deprehenditur, præterquam quod étiam providentiam sustulit. Utri igitur credemus? Philemoni Comico dicenti :

> Præclara namque numinis cultoribus
> Spes ad salutem suppetit?

an iis quos diximus, Euhemero, Epicuro et Pythagoræ cæterisque Deum colendum esse negantibus, ac providentiam tollentibus? Ac de Deo quidem et providentia sic loquutus est Aristo :

> Confide dignis; nam omnibus solet Deus
> Opem tulisse, maximeque talibus.

Ni sit statutum præmium viventibus
Præscribit ut fas, esse quid prodest pium?
Sed rem esse sic fac: sæpe sed vidi tamen
Illos pie ævum qui volunt traducere,
Uti haud secundis rebus; et qui aliud nihil
Præter lucellum ipsisque solis utile
Curant, honore fulgidos quam nos magis
Esse hoc in ævo. Longius sed cernere
Et præstolari finem oportet omnium.
Non enim, ut inhæret pluribus sententia,
Nefanda prorsus, sæculoque inutilis,
Injussa quædam motio est; et omnia
Reguntur ut sors fert. Habere enim volunt
Morum suorum hæc improbi munimina.
Pietatis autem et præmium est cultoribus;
Est et scelestis, ut decet, punitio:
Nil quippe, nil fit absque providentia.

t quæcumque alii et prope modum plerique de Deo et ·ovidentia dixere, ea quam parum inter se consona dixeıt in promptu est. Alii enim Deum omnino et providentiam ıstulerunt, alii Deum esse statuerunt, et providentia gu-ɜrnari omnia confessi sunt. Prudenti igitur auditori et lecri diligenter considerandum est quid a quoque dicatur, ıemadmodum ait Simylus:

Mos est poetas nomine æquo dicere,
Natura inepti sive sint, sive optimi.
At judicare oportet.

uemadmodum et Philemon:

Res est molesta, ineptus auditor sedens:
Haud namque culpat seipse præ vecordia.

ttendere igitur oportet et considerare quid dicatur, jucio expendentem quæ a philosophis et poetis dicta sunt.

VIII. Nam qui negant deos esse, rursus confitentur, ac

infanda facinora ab his patrari dixerunt. Ac Jovis quidem imprimis nefarie facta pleniori ore poetæ prædicant. Chrysippus autem qui multa nugatus est, annon significare invenitur Junonem ore impuro cum Jove esse congressam? Quid enim matris illius, quæ dicitur, deorum, aut Jovis Latiaris sanguinem humanum sitientis, aut Attidis castrati lascivias recenseam? aut Jovem illum cognomine Tragœdum, qui suam ipsius, ut perhibent, manum inundavit, et nunc deus apud Romanos colitur? Taceo templa Antinoi et cæterorum, quos vocant, deorum; risum enim, dum narrantur, cordatis viris excutiunt. Vel impietatis igitur ex sui ipsorum scriptis arguuntur qui talia philosophati sunt, vel etiam promiscui ac nefandi concubitus. Quin etiam hominum vorandorum inhumanitas apud eos deprehenditur in iis quæ scripta reliquerunt; et quos colunt deos, principes eos scribunt fuisse horum facinorum edendorum.

IX. Nos autem et Deum confitemur, sed unum, conditorem et creatorem et opificem hujus universi: et providentia gubernari omnia scimus, sed ab eo solo: et legem sanctam didicimus, sed legislatorem habemus verum Deum a quo et justitiam colere et pietatem et bona opera facere edocemur. Ac de pietate quidem sic præcepit: « Non erunt » tibi dii alieni præter me. Non facies tibi ipsi idolum, neque » cujusquam similitudinem quæcumque in cœlis desuper, » aut quæcumque in terra deorsum, aut quæcumque in aquis » sunt subter terram. Non adorabis ea neque coles illa; ego » enim sum Dominus Deus tuus[1]. » De bonis autem operibus sic ait: « Honora patrem tuum et matrem tuam, ut bene » tibi sit, et ut longævus sis super terram quam ego do tibi » Dominus Deus. » Atque etiam de justitia: « Non mœchaberis. Non occides. Non furaberis. Non falso testaberis contra proximum tuum testimonium falsum. Non concupisces

[1] Exod. xx.

ıxorem proximi tui. Non concupisces domum ejus, nec grum nec servum ejus, nec ancillam ejus, nec bovem ejus, ıec subjugale; neque ullum pecus ejus, neque quæcumque unt proximi tui. Non pervertes judicium pauperis in julicio ejus. Ab omni verbo injusto recedes. Innocentem et ustum non occides, nec justificabis impium, et munera ıon accipies : munera enim excæcant oculos videntium et ›ervertunt verba justa[1]. » Hujus divinæ legis minister fuit ›ses famulus Dei, toti quidem mundo, præcipue vero Heæis qui et Judæi dicti sunt; quos antiquitus rex Ægypti servitutem redegit, cum essent semen justum hominum ›rum et sanctorum, Abraham, Isaac, et Jacob. Horum cordatus Deus, factisque miraculis et stupendis per Mosen odigiis liberavit eos et ex Ægypto eduxit, ac per eam reonem quæ deserta dicitur deductos, restituit in terram ıananæam, quæ postea Judæa vocata est; legemque poit, et hæc eos edocuit. Magnæ igitur et admirabilis ad om·m justitiam legis decem capita, quæ modo retulimus, sic ıbent.

X. Quoniam igitur inquilini in Ægypto fuerant, qui ge›re Hebræi erant ex Chaldæa (orta enim his temporibus me, necesse habuerunt in Ægyptum transmigrare frucnti causa quod illic vendebatur, ubi et diu commorati nt : hæc autem eis eveniebant secundum Dei prædictio›m); cum, inquam, inquilini in Ægypto annis quadrinntis et triginta fuissent, cumque illos Moyses in desertum ›rducturus esset, sic eos Deus per legem edocuit : « Peregrinum non affligetis : vos enim nostis animam peregrini : ipsi enim peregrini in terra Ægypti fuistis. »

XI. Cum autem legem eis a Deo datam populus trans·ederetur, benignus et misericors Deus nolens eos e medio ›llere, ad legem quam eis dederat illud etiam adjecit, ut

[1] Deut. xx, 19.

prophetas eis deinceps ex fratribus suis mitteret, qui d-
rent et in memoriam redigerent instituta legis, atque
pœnitentiam eos converterent, quo amplius non pecca-
Sin autem in pravis actionibus permanerent, prænun-
fore ut captivi traderentur omnibus regnis terræ : qua-
dem jam eis evenisse in promptu est. De pœnitenti-
Esaias propheta communiter quidem omnes, non-
vero populum alloquitur : « Quærite Dominum, et in-
» niendo eum, invocate, et postquam vobis appropi-
» verit, relinquat impius vias suas, et vir iniquus cog-
» nes suas, et convertatur ad Dominum et misericor-
» consequetur; quia multum dimittet peccata vestra[1].
Ezechiel alius propheta ait : « Si iniquus averterit -
» omnibus iniquitatibus quas fecit, et custodierit præ-
» mea, et fecerit justificationes meas, vivens vivet e-
» morietur, et iniquitates ejus quas fecit non memora-
» tur, sed justitia quam fecit vivet; quia nolo morte-
» qui, dicit Dominus, sed ut avertat se a via sua m-
» vivat[2]. » Rursus Esaias : « Convertimini qui profu-
» consilium initis et iniquum, ut salvemini[3]. » Et ali-
pheta Jeremias : « Convertimini ad Dominum Deum-
» trum, quemadmodum vindemians ad cartellum su-
» misericordiam consequemini[4]. » Multa quidem vel p-
innumerabilia sunt de pœnitentia in Scripturis sanctis d-
volente semper Deo humanum genus ab omnibus pec-
convertere.

XII. Adhuc etiam et de justitia quam lex præcipit,
sentaneæ inveniuntur Prophetarum et Evangeliorum -
tentiæ, propterea quod omnes uno Dei afflati Spiritu loqu-
sunt. Sic igitur Esaias ait : « Auferte mala ex animabus
» tris, discite facere bonum, quærite judicium, liberate

[1] Esai. LV, 6, 7. — [2] Ezech. VIII, 21 et seqq. — [3] Esai. XXXI, 6, et XL-
— [4] Jerem. VI, 9.

ressum, judicate pupillo, et justificate viduam [1]. » Idem :
issolve, inquit, omnem colligaturam iniquitatis; solve ob-
gationes violentorum contractuum : dimitte fractos in
missionem; et omnem scripturam iniquam conscinde :
ange esurienti panem tuum, et pauperes sine tecto induc
i domum tuam : si videris nudum, operi : et domesticos
minis tui ne despexeris. Tunc erumpet matutinum lu-
ien tuum, et sanitates tuæ cito orientur, et præibit ante
justitia tua [2]. » Similiter Jeremias : « State, inquit, su-
er vias et videte et interrogate qualis sit via Domini nostri
ona et ambulate in ea, et invenietis requiem animabus
estris. Judicium justum judicate, quia in his est voluntas
omini Dei vestri [3]. » Similia dicit Moses : « Custodite
idicium et appropinquate ad Dominum Deum vestrum,
ui firmavit cœlum et condidit terram. » Et alius, qui Joel
itur, his congruentia loquutus est : « Congregate popu-
im, sanctificate ecclesiam, suscipite presbyteros, congre-
ate parvulos sugentes ubera. Egrediatur sponsus de cu-
ili suo, et sponsa de thalamo suo. Et orate ad Dominum
eum vestrum intente, ut misereatur vestri et deleat pec-
ata vestra [4]. » Similiter alius, qui Zacharias dicitur : « Hæc
icit Dominus omnipotens : Judicium veritatis judicate :
misericordiam et miserationem facite unusquisque ad
roximum suum : et viduam et pupillum et advenam non
pprimetis, et malitiam unusquisque non meminerit fratri
io in cordibus vestris, dicit Dominus omnipotens [5]. »
XIII. De castitate autem docet nos Scriptura sancta,
i solum nihil opere peccare, sed ne cogitatione quidem;
ut nec mali quidquam corde concipiamus, nec oculis
picientes alienam uxorem concupiscamus. Salomon igi-
, qui rex et propheta extitit, ait : « Oculi tui recta vi-

Esai. I, 6, 7. — [2] Esai. LVIII, 6. — [3] Jerem. VI, 17. — [4] Joel. II, 16, 17.
Zach. VII, 9, 10.

» deant, et palpebræ tuæ annuant justa : rectas fac semi-
» pedibus tuis [1]. » Vox autem evangelica intentius de ca-
tate præcipit his verbis : « Quisquis adspicit uxorem al-
» nam ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam
» corde suo : et qui ducit, inquit, dimissam a viro, mœ-
» tur : et qui dimittit uxorem excepta fornicationis ca-
» facit eam mœchari [2]. » Ait adhuc Salomon : « Illigabit q
» ignem in veste sua, vestimenta autem sua non combu-
» aut ambulabit quis super carbones ignis et pedes non c
» buret? Sic qui proficiscitur ad mulierem quæ sub vi
» est, innocens non erit [3]. »

XIV. Atque ut non eos solum qui nostri sunt gen-
benevolentia complectamur, ut quidam existimant, Esa-
ait : « Dicite his qui vos oderunt et his qui exsecrant
» Fratres nostri estis; ut nomen Dei glorificetur et videat
» in lætitia eorum [4]. » Evangelium autem : « Diligite, inqu
» inimicos vestros, et precamini pro his qui lædunt v
» Nam si dilexeritis eos qui diligunt vos, qualem merced-
» habetis? Hoc et latrones et publicani faciunt [5]. » Qui au-
tem bene faciunt, eos non gloriari docet, ne studiosi si
hominibus placendi : « Nesciat enim, inquit, manus tua
» nistra quid faciat manus tua dextra [6]. » Illud etiam ju
Scriptura sancta, ut magistratibus et potestatibus subji-
mur ac pro iis precemur, ut « tranquillam et pacatam vi
» agamus [7]. » Ac omnibus omnia reddere docet : « Cui h
» norem, honorem : cui timorem, timorem : cui tribut
» tributum; nec quidquam ulli debere, nisi ut diligat
» omnes [8]. »

XV. Vide igitur an possint qui talia edocentur indif-
renter vivere, et in nefariis flagitiis volutari, aut quod o
nem impietatem superat, carnes humanas attingere, cu

[1] Prov. IV, 25. — [2] Matth. V, 28. — [3] Prov. VI, 27. — [4] Esai. LXVI, 5. —
[5] Matth. V, 44. — [6] Matth. VI, 3. — [7] I Tim. II, 2. — [8] Rom. XIII, 7, 8.

ræsertim nec gladiatorum ludos spectare nobis liceat, ne articipes et conscii cædium fiamus. Neque etiam cætera ɔectacula obeunda sunt, ne polluantur oculi nostri et au-ɜs, si participes eorum fiant quæ illic decantantur. Si quis nim de carnis humanæ epulo loquitur, illic Thyestis et 'erei filii vorantur; si vero de adulterio, illud apud eos non ɔlum de hominibus sed etiam de diis, quos canora voce ecantant non sine præmio et mercede, tragice exhibetur. 'rocul autem absit a Christianis, ut iis quidquam hujus-ıodi facere in mentem veniat; apud quos adest temperan-a, continentia colitur, unicum matrimonium servatur, astimonia custoditur, injustitia exterminatur, peccatum adicitus evellitur, justitia exercetur, lex observatur, cultus)ei peragitur, Deus confitendo celebratur, veritas domina-ur, gratia custodit, pax communit, sanctum verbum manu ucit, sapientia docet, vita dirigit, Deus regnat. Igitur cum ermulta habeamus quæ de institutis nostris et Dei ac con-litoris universorum justificationibus dicamus, satis multa ıactenus nobis videmur commemorasse, ut animum rei ernoscendæ adjicias; cum præsertim etiamnum perlegere iceat, ut quemadmodum hactenus discendi studiosus fuisti, ta etiam nunc libenter discas.

XVI. Volo autem tibi et ea quæ spectant tempora, Deo oncedente, accuratius demonstrare; ut intelligas nec re-entem nec fabulosam esse doctrinam nostram, sed anti-uiorem et veriorem omnibus poetis ac scriptoribus qui ncerta scripserunt. Alii enim cum mundum ingenitum di-erent, in infinitum abierunt : alii cum genitum assererent, am annorum myriades quindecim et tria millia supra sep-uaginta quinque annos effluxisse dixerunt. Atque hæc qui-lem litteris mandavit Apollonius Ægyptius. Plato autem, ui Græcorum sapientissimus videtur fuisse, quantas in nu-gas aberravit! Nam in ejus libro qui *Civitates* inscribitur,

hæc totidem verbis leguntur : « Quomodo enim, si hæc
» omni tempore mansissent ut hodie ornata sunt,
» quidquam aliquando inveniretur; cum hæc decies m..
» decem annorum millibus eos qui tum erant latuerint..
» mille anni aut bis mille effluxerint, ex quo partim..
» dalo, partim ab Orpheo, partim a Palamede inven..
» lucem prodiere? » Quæ cum facta esse dicit, decie..
lies decem annorum millia a diluvio ad Dædalum ne..
Et cum multa de variis per orbem civitatibus et hab..
nibus et gentibus dixisset, fatetur hæc se conjectura..
Ait enim : « Si quis igitur, hospes, nobis polliceatur..
» fore ut si iterum legis ferendæ rationem consideran..
» grediamur, sermonibus modo habitis, etc. » conje..
videlicet loquutus est; quod si conjectura, minus pr..
vera quæ ab eo dicta sunt.

XVII. Satius igitur est alumnum esse disciplinæ.. næ, quemadmodum ipse confitetur aliter *non* posse ve.. accurate disci, nisi Deus per legem doceat. Quid? Ne.. etiam poetæ, Homerus, Hesiodus et Orpheus, instituto.. fuisse a divina providentia dixerunt? Quin etiam scrip.. vatibus et prophetis æquales fuisse narrant, a quibus.. eruditi fuissent, eos accurate scripsisse. Quanto igitur m.. gis veritas a nobis cognoscetur, qui a sanctis Prophetis sa.. Dei Spiritu plenis didicimus? Hinc consona omnes Prop.. et amica inter se dixerunt, ac futuros totius mundi even.. prænuntiarunt. Ipse enim prædictarum rerum *et jam p..* fectarum eventus, potest discendi vel potius veri cup.. edocere vera esse quæ ab illis de temporibus et annis an.. diluvium elapsis prædicata sunt, quomodo scilicet se hab.. ab origine mundi ad nostram ætatem annorum series.. ut facile pateat inepte mentitos esse scriptores, nec ve.. esse quæ ab his dicta sunt.

XVIII. Plato enim, ut diximus, cum diluvium contig..

monstrasset, non totius orbis terrarum, sed tantum
mporum fuisse dixit; et qui in altissimos montes fugis-
it, eos incolumes evasisse. Alii Deucalionem et Pyr-
am tunc extitisse dicunt, eosque in arca servatos fuisse;
ucalionem autem ex arca egressum, lapides post tergum
tasse, atque ex his homines natos esse. Hinc hominum
ltitudinem λαοὺς, sive populos, appellatam dicunt. Alii
ymenum in secundo diluvio extitisse dicunt. Miseros
tur ac impios et stultos reperiri, qui talia scripsere et
ilosophati sunt inutili opera, ex his quæ diximus satis
rspicuum est. Noster autem propheta et famulus Dei
ses originem mundi exponens, narravit quomodo dilu-
m in terra factum sit, imo etiam quæ cum diluvio fuere
njuncta quomodo evenerint; non Pyrrham, aut Deuca-
nem aut Clymenum fingens, aut campos solum inun-
tos fuisse, et qui in montes fugissent, solos evasisse in-
lumes.

XIX. Sed neque etiam alterum diluvium fuisse declarat,
o nullum amplius diluvium aquarum mundo eventurum
e asserit; quemadmodum re vera nec evenit nec even-
um est. Octo autem omnino homines in arca servatos
sse dicit, ea quam jussu Dei non Deucalion, sed Noe,
jus nomen Hebræum si Græce interpreteris, idem est
requies, construxerat; quemadmodum in alio libro de-
nstravimus, Noe hominibus illius ætatis futurum dilu-
m nuntiantem, ita illis esse vaticinatum : « Venite, vocat
os Deus ad pœnitentiam. » Unde Deucalion proprie ap-
latus est. Huic Noe tres erant filii, quemadmodum in
undo libro demonstravimus, quorum nomina Sem, Cham
Japhet, qui suam singuli uxorem habuerunt; tum ipse
uxor ejus. Hunc hominem nonnulli Eunuchum vocave-
it. Octo igitur omnino homines cum in arca inventi fuis-
it, incolumes evasere. Idem Moses demonstrat diluvium

quadraginta diebus totidemque noctibus sæviisse, cata-
cœli abruptis, et fontibus abyssi manantibus, ita ut
altissimos quosque montes quindecim cubitis superar-
tum periit universum genus humanum, præter illos
quos in arca servatos diximus fuisse; cujus quidem
adhuc in montibus Arabiæ reliquiæ monstrantur. Ca-
diluvii historia sic summatim enarratur.

XX. Moses autem dux fuit Judæorum qui ejecti
terra Ægypti a rege Pharaone cujus nomen fuit Amas-
ut aiunt, post exactum populum, regnavit annis 25 et
sibus 4, ut supputat Manæthos. Huic successit Che-
qui regnavit annis 13. Huic Amenophis, qui regnavit
nis 20 et mensibus 7. Huic soror, nomine Amessa, qu-
gnavit annis 21 et mense 1. Post hanc Mephres, annis
mensibus 9. Post hunc Methrammuthosis, annis 20 et
sibus 10. Post hunc Tythmoses, annis 9 et mensib-
Huic successit Damphenophis, qui regnavit annis 30
mensibus 10. Huic successit Orus, qui regnavit annis
et mensibus 5. Huic filia, quæ regnavit annis 10 et mensi-
bus 3. Post hanc Mercheres, annis 12 et mensibus 3. Hu-
successit filius nomine Armais, qui regnavit annis
mense 1. Huic Messes Miammi filius, qui regnavit annis
et mensibus 2. Huic Rhamesses, qui regnavit anno
mensibus 4. Huic successit Amenophis, qui regnavit
nis 19 et mensibus 6. Post hunc Thœssus et Rhame-
annis 10, quos ferunt habuisse plurimas copias equestres
navales. Ac Hebræi quidem, post proprias gentis suæ
tes, cum eo tempore in Ægypto advenæ essent, a rege
jam dictum est, Tethmosi in servitutem addicti sunt, et
exstruxerunt urbes munitas, Peitho et Rhamesen et
quæ est Heliopolis : ita ut urbibus quæ tunc apud Ægyp-
tios celebres fuerunt, seniores esse pateat Hebræos, qui
majores nostri sunt, nobisque sacros libros *omnibus*, et

ı dictum est, scriptoribus antiquiores transmiserunt. ;ypti autem regio dicta est a rege Sethos. Nam Sethos m sonare ac Ægyptum dicunt. Huic autem Sethos frafuit nomine Armæn, qui Danaus appellatus est, et Argos cta Ægypto venit, memoratus apud cæteros scriptores ›mnino antiquus.

(XI. Manæthos autem, qui multa in favorem Ægyptioı nugatus est, ac blasphemias etiam in Mosem et He:os qui cum eo erant effutiit, quasi ob lepram ejectus Ægypto fuisset, non potuit accuratam temporum ratioı exhibere. Atque illos quidem pastores invitus, prente veritate dixit. Erant enim re vera pastores nostri |ores qui in Ægypto commorati sunt, sed non leprosi. n cum venissent in terram quæ vocatur Jerosolyma, etiam deinceps habitarunt, nota res est quomodo eoı sacerdotes, Dei præcepto, perseverantes in templo, rbum omnem curaverint, ita ut et lepra infectos et morn omnem sanarent. Templum ædificavit Salomon rex lææ. Quod autem Manæthos circa tempora aberrat, ex us dictis manifestum est. (Sed et circa regem qui eos ulit, Pharaonem nomine. Is enim non jam amplius Ætiis imperavit. Nam cum Hebræos persequeretur, cum rcitu submersus est in mari Rubro. Sed et quos ait tores bellum gessisse cum Ægyptiis, mentitur.) Nam ›ssi sunt ex Ægypto et incoluerunt regionem quæ nunc m Judæa dicitur, annis antequam Danaus Argos venitrecentis nonaginta tribus. Hunc autem cæteris anti›rem apud Græcos a plerisque existimari manifestum Itaque Manæthos duo nobis capita veritatis invitus laravit in scriptis suis : primum quidem, quod eos pas:s fuisse confessus est; deinde, quod egressos esse e a Ægypti : adeo ut vel ex his temporum descriptious, Mosem et qui eum sequuti sunt, nongentis vel

etiam mille annis [1] antiquiores bello Trojano esse pe

XXII. Sed quod spectat ad templi constructionem, c
in Judæa rex Salomon ædificavit annis post exitum Ju
rum de Ægypto quingentis et sexaginta; apud Tyrios
tum est quomodo ædificatum fuerit templum, et in
archivis asservantur commentarii, in quibus invenit
ditum fuisse templum annis ante conditam a Tyri
thaginem centum quadraginta tribus, mensibus oct
autem his in commentariis narratur, sub rege Tyr
nomine Hieromo, quia is amicus fuit Salomoni
consuetudinem quam cum illius patre habuerat,
præstantiam sapientiæ Salomonis. Nam propositis q
nibus sese invicem perpetuo exercebant. Atque hu
indicium etiam faciunt exemplaria illorum epistolarum
etiamnum asservari dicuntur apud Tyrios; tum et
quas sibi invicem scribebant:) quemadmodum test
nander Ephesius, qui regum Tyriorum historiam
sic loquitur : « Mortuo Abeimalo rege Tyrioru
» bernacula suscepit filius ejus Hieromus, qui vi
» Huic successit Bazorus, qui vixit annis 43, et re
» nis 17. Post hunc Methuastartus, qui vixit ann
» regnavit annis 12. Huic successit frater Athar
» vixit annis 58, et regnavit annis 9. Hunc interfec
» nomine Helles, qui vixit annis 50, et regnavit men
» Hunc peremit Juthobalus Astartæ sacerdos, qui vi
» nis 40, et regnavit annis 12. Huic successit filius
» Bazorus, qui vixit annis 45, et regnavit annis 7. Huic
» nomine Mettin, qui vixit annis 32, et regnavit an

[1] Tatianus, Clemens et Eusebius profectionem Israelitarum e
annis 400 ante excidium Trojanum collocant. S. Theophilus ve
etiam Tertullianus Apol. c. 19 sequitur, subductas a Manetho
rum rationes ad gentiles refellendos videtur assumpsisse : vel jam
ran Josephus illi forte erroris ansam præbuit, qui lib. 1 cont. A
» discessum ex Ægypto ita antiquum temporibus, ut propemodum
» annis Iliaca superet. »

Huic successit Pygmalion Pygmalii filius, qui vixit annis 56, et regnavit annis 7. At in septimo anno ejus regni in Libyam fugiens ejus soror urbem condidit, quæ adhuc hodie Carthago appellatur. » Continet igitur omne tempus ɔ Hieromi regno usque ad conditam Carthaginem an-os 155, et menses octo. Duodecimo anno regis Hieromi dificatum est templum Jerosolymitanum. Itaque univerım tempus ab constructo templo usque ad conditam Car-ıaginem complectitur annos 143, et menses octo.

XXIII. Phœnicum ergo et Ægyptiorum de rerum nos-arum temporibus testimonia quomodo retulerint Manæıos Ægyptius et Menander Ephesius, ac etiam Josephus, ıi bellum Judæis a Romanis illatum litteris mandavit, no-is sufficiant quæ diximus. Ex his enim qui antiqui sunt, iam cæterorum scripta iis quæ per Mosem nobis tradita ınt, recentiora esse demonstratur, imo et ipsis Prophetis; am qui ultimus prophetarum fuit Zacharias nomine, is gnante Dario floruit. Sed et ipsi legislatores omnes inveuntur leges suas posterius posuisse. Si quis enim objiciat olonem Atheniensem; is temporibus Cyri et Darii regum xit, æqualis prædicti prophetæ Zachariæ, annis admodum ıultis posterioris. Quod si quis Lycurgum aut Draconem ıt Minoem legislatores objiciat; præcedunt libri sacri, ut ;ribit Josephus, cum Jove Cretensium rege et bello Troıno antiquiores sint litteræ Legis divinæ quæ nobis per losem tradita est. Sed ut accuratius temporum et annorum ıtionem demonstremus, Deo nobis favente, non ea solum uæ post diluvium, sed ea etiam quæ anteriora enarrando, a ut omnium, quantum nobis fas erit, annos numeremus, l nunc exsequemur, ad remotissimum recurrentes mundi reationis initium, quod Moses Dei famulus, Spiritu sancto fllante, descripsit. Disserens enim de creatione ac generatione mundi et primi hominis et eorum qui deinceps nati

sunt, ea etiam declaravit quæ ante diluvium evenerunt. Ego autem hanc gratiam peto a solo Deo, ut vera secundum illius voluntatem omnia accurate dicam, ut et tu et quisque hæc leget, ducem habeatis veritatem et gratiam ejus. Initium autem ducam a genealogiis quæ descriptæ sunt, id est, a primo homine.

XXIV. Adam natus annos 230 genuit Seth. Seth natus annos 205 genuit Enos. Enos vixit annos 190, et genuit Cainan. Cainan natus annos 170 genuit Malaleel. Malaleel natus annos 165 genuit filium nomine Jared. Jared natus annos 162 genuit Enoch. Enoch natus annos 165 genuit Mathusala. Mathusala natus annos 167 genuit Lamech. Lamech natus annos 188 genuit Noe. Noe natus annos 500 genuit Sem. Sub Noe, cum annos natus esset 600, contigit diluvium. Itaque ab condito homine usque ad diluvium reperiuntur anni, ut ex prædictis liquet, 2,242. Sem natus annos 100 genuit Arphaxat statim post diluvium. Arphaxat natus annos 135 genuit Sala. Sala natus annos 130 genuit Heber : ab hoc universum ipsorum genus Hebræi dicuntur. Heber natus annos 134 genuit Phaleg. Phaleg natus annos 130 genuit Rhageu. Rhageu natus annos 132 genuit Seruch. Seruch natus annos 130 genuit Nachor. Nachor natus annos 75 genuit Tharra. Tharra natus annos 70 genuit Abraham. Abraham patriarcha noster natus annos 100 genuit Isaac. Itaque anni numerantur a condito homine usque Abraham 3,278. Isaac natus annos 60 genuit Jacob. Jacob natus fuit annos 130 cum proficisceretur in Ægyptum. Hebræi in Ægypto morati sunt annis 430. Egressi Ægypto, hæsere in deserto annis 40. Exstant ergo omnino anni 3,938. Quo tempore mortuo Mose, imperii administrationem suscepit Jesus filius Nave, qui præfuit populo annis 27. Jesu defuncto cum Hebræi defecissent a præceptis Domini, servierunt regi Mesopotamiæ cui nomen Chusara-

thon, annis 8. Deinde ad pœnitentiam conversi, judices a quibus judicarentur nacti sunt. Gothonoel judicavit Hebræos annis 40, Eglon annis 18, Aoth annis 8. Dehinc prævaricati legem Domini alienigenis servierunt annis 20. Debbora postmodum judicavit Hebræos annis 40. Deinde servierunt Madianitis annis 7. Deinceps Gedeon judicavit annis 40, Abimelech annis 3, Thola annis 22, Jair annis 22. Postea Hebræi servierunt Philistinis et Ammonitis annis 18. Jephte in libertatem antiquam assertos judicavit annis 6, Esbon annis 7, Ailon annis 10, Abdon annis 8. Postea servierunt alienigenis annis 40. Deinde Samson judicavit Hebræos annis 20. Deinceps pax Hebræis fuit annis 40. Inde Samira judicavit Hebræos anno 1, Elis annis 20, Samuel annis 12.

XXV. Judicibus successere reges, quorum primus fuit Saül, qui regnavit annis 20. David pater noster regnavit annis 40. Inveniuntur itaque anni 495 decurrere ab Isaac usque ad regnum Davidis. David (ut diximus) regnavit annis 40. Salomon, templi ex Dei præscripto conditor, regnavit annis 40. Roboam regnavit annis 17. Abias regnavit annis 7. Asa regnavit annis 41. Josaphat regnavit annis 25. Joram regnavit annis 8. Ochozias regnavit anno 1. Gotholia regnavit annis 6, Josias annis 40, Amasias annis 39, Ozias annis 52, Joatham annis 16, Achaz annis 17, Ezechias annis 29, Manasse annis 55, Amos annis 2, Josias annis 31, Ochas mensibus tribus. Post hunc Joachim, annis 11. Tum alter Joachim, mensibus 3 et diebus decem. Sedecias, annis 11. Sub idem tempus cum populus Judaicus perseveraret in peccatis, nec pœnitentiam ageret; ascendit, ut prædictum fuerat a propheta Jeremia, rex Babylonis in Judæam, nomine Nabuchodonosor. Hic populum Babylona transtulit, et templum quod Salomon exstruxerat destruxit. Babylone fuerunt Judæi annis 70.

Tempus igitur universum a condito homine usque ad migrationem Babylonicam complectitur annos 4,954, menses sex et dies decem. Quemadmodum Deus prædixit per Jeremiam prophetam populum Babylonem captivum ductum iri, præsignificavit eos reversuros in terram suam post annos 70. Expletis igitur annis 70, regnum Persarum adipiscitur, qui secundum Jeremiæ prophetiam, altero regni sui anno edictum scripto consignatum promulgat, ut Judæi omnes qui in suo imperio essent, patriam sedem repeterent, et templum Deo instaurarent, quod prædictus rex Babylonis everterat. Ad hæc Cyrus divinis jussis obtemperans, in mandatis dedit Sabessaro et Mithridati satellitibus suis, ut vasa ex templo Judææ a Nabuchodonosoro exportata restituerent et reponerent in templo. Anno igitur secundo Cyri complentur anni illi septuaginta a Jeremia prædicti.

XXVI. Hinc perspicere licet, quomodo antiquiores et veriores demonstrentur sacræ apud nos litteræ, quam Græci et Ægyptii, et si qui alii extitere, historiarum scriptores. Herodotus enim et Thucydides et Xenophon et reliquique alii historici, initium fere scribendi a Cyri et Darii regno fecerunt, cum de antiquis et primis temporibus non possent accurate dicere. Quid enim magni dixerunt, si de Dario et Cyro, qui reges apud Barbaros fuere, aut de Zopyro et Hippia qui apud Græcos, aut de Atheniensium et Lacedæmoniorum bellis scripsere, aut de rebus a Xerxe gestis, aut a Pausania, qui in Minervæ templo pene fame necatus est; aut de Themistocle et bello Peloponnesiaco, aut de Alcibiade et Thrasybulo? Neque enim mihi propositum est loquaciter omnia persequi, sed annorum a mundi creatione numerum demonstrare et operosas ineptias scriptorum arguere, quippe cum nec viginti mille myriades annorum fuerint, ut Plato pronuntiavit, totidem a mundi cre-

·e ad suam ætatem annos effluxisse decernens; nec
ındecim myriades et trecenti septuaginta quinque anni,
Apollonium Ægyptium narrare diximus; nec mundus
;enitus sit, nec fortuito omnia ferantur, quemadmodum
thagoras et cæteri nugati sunt, sed genitus et providen-
regatur ab eo qui omnia creavit Deo; ac tempus omne
anni facile demonstrentur his qui veritati obtemperare
lunt. Ne videar igitur demonstrationem ad Cyrum qui-
m perduxisse, quæ autem consequuta sunt tempora ne-
gere, eo quod ea demonstrare non possim; Deo juvante
nsequentium quoque temporum ordinem conabor quoad
tero exponere.

XXVII. Cyro igitur post regnum annorum 29 a Tomy-
le apud Messagetas occiso, Olympiade sexagesima secun-
, jam tum Romanæ res crescebant Deo eos confirmante,
ım urbs a Romulo, qui Martis et Iliæ filius perhibetur,
ındita fuisset Olympiade septima, undecimo calendas
aii, quo tempore annus decem mensium numerabatur.
ƴro igitur, ut jam diximus, Olympiade 62 mortuo, fit
mpus ab Urbe condita anni 220, quo tempore regnabat
ırquinius cognomine Superbus, is qui primus Romanos
ınnullos ejecit, pueros vitiavit, ac cives spadones fecit,
ıo et virgines post stuprum in matrimonium dedit. Hinc
oprie Superbus Romana lingua dictus est: quod idem
nat ac Græce ὑπερήφανος, arrogans. Is enim primus sanci-
t ut qui se salutarent, ab alio resalutarentur. Regnavit
ınis 25. Post eum incœperunt annui consules, tribuni et
diles annis 453, quorum nomina recensere longum et su-
ərvacaneum putamus. Hæc enim si quis discere velit, re-
ɜriet in commentariis quos Chryseros scriptos reliquit,
ɔmenclator M. Aurelii Veri libertus, qui ab Urbe condita
l obitum patroni sui, imperatoris Veri, clare omnia de-
ɜripsit et nomina et tempora. Romanis igitur præfuere an-

nui, ut diximus, magistratus annis 453. Postea imperarunt ii qui Imperatores vocati. Primus C. Julius imperavit annis 3 mensibus 4 diebus 6. Deinde Augustus, annis 56 mensibus 4 die 1. Tiberius, annis 22. Tum Caius alter, annis 3 mensibus 8 diebus 7. Claudius, annis 23 mensibus 8 diebus 24. Nero, annis 13 mensibus 6 diebus 28. Galba, annis 2 mensibus 7 diebus 6. Otho, mensibus 3 diebus 5. Vitellius, mensibus 6 diebus 22. Vespasianus, annis 9 mensibus 11 diebus 22. Titus, annis 2 diebus 22. Domitianus, annis 15 mensibus 5 diebus 6. Nerva, anno 1 mensibus 4 diebus 10. Trajanus, annis 19 mensibus 6 diebus 16. Adrianus, annis 20 mensibus 10 diebus 28. Antoninus, annis 22 mensibus 7 diebus 6. Verus, annis 19 diebus 10. Tempus igitur Cæsarum usque ad mortem Veri imperatoris est annorum 237 dierum 5. A morte autem Cyri et regno Tarquinii Superbi, ad mortem imperatoris Veri, universum tempus colligitur annorum 744.

XXVIII. A mundo autem condito sic universum tempus summatim deducitur. A mundo condito ad diluvium, anni fluxerunt 2,242. A diluvio usque ad susceptum a proavo nostro Abrahamo filium, anni 1036. Ab Isaac filio Abrahæ usque ad populi in deserto cum Mose commemorationem, anni 660. A morte Mosis et Josue filii Nave principatu, usque ad obitum Davidis patriarchæ, anni 498. A morte Davidis et regno Salomonis, ad populi transmigrationem in terram Babylonis, anni 518 menses 6 dies 10. A Cyri regno ad mortem imperatoris Aurelii Veri, anni 744. A condito mundo universum tempus collectum annos exhibet 5698 et qui excurrunt menses ac dies.

XXIX. Collectis igitur temporibus, iisque omnibus quæ diximus, videre est antiquitatem propheticorum librorum et divinitatem doctrinæ nostræ. Nec sane recens hæc doctrina, nec instituta nostra, ut quidam existimant, fabulosa

ndacia, sed longe antiquissima et certissima. Nam et Assyriorum regis, et Croni Titanis Thallus meminit, n referens cum Titanibus adversus Jovem et deos qui us partibus stetisse dicuntur, bellum gessisse. Quo in aiunt Gygum superatum fugisse Tartessum : qui quiin ea regione regnavit quæ nunc Attica, tum vero Acte atur. Cæteras autem regiones et urbes, a quibus suas llationes habuerint, necessarium non arbitror recen- præsertim apud te qui in historiis versatus es. Liquet r Mosen antiquiorem esse omnibus scriptoribus, (nec ipsum solum, sed etiam plerosque post eum Prophetas) rono, et Belo, et bello Trojano. Nam secundum Thalli oriam Belus antiquior invenitur bello Trojano annis 322; en autem annis nongentis vel etiam mille ante bellum janum extitisse supra demonstravimus. Cum autem Cro- et Belus æquales fuerint, plerique quis sit Cronus, aut Belus ignorant. Ac Cronum quidem nonnulli colunt, umdem Bel aut Bal appellant, ii præsertim qui regiones ntales incolunt; nec tamen sciunt quis sit Cronus aut us. Apud Romanos Saturnus vocatur : nam nec ipsi uter antiquior Cronus aut Belus sciunt. Quod autem spectat Olympiades, quodcumque eis initium adsignetur, ab ito cultum et solemnitatem habuere, aut, ut alii volunt, ino qui et Ilius cognominatus est. Numerus annorum et ympiadum quem ordinem habeat supra demonstravimus. rum ergo nostrarum antiquitatis et annorum numerum nnem arbitror, quam fieri potuit, accuratissime compre- nsum. Atque ut nos latuerit tempus, verbi gratia, anno- m 50 aut 100 aut etiam 200, non tamen annorum millia t decem millia, ut Platoni et Apollonio et cæteris mendaci- us scriptoribus placuit. Ac nos quidem fortasse omnium nnorum numerum accurate non scimus, quia in sacris lit- eris descripti non fuere superfluentes menses et dies. Quod

autem spectat ad ea quæ dicimus tempora, consentit et Berosus, qui apud Chaldæos philosophatus est, et Græci cognoscendas tradidit litteras Chaldaicas. Is Mosi consentanee nonnulla dixit de diluvio et pluribus aliis historiis: atque etiam cum prophetis Jeremia et Daniele ex parte consentit. Nam eorum quæ Judæis evenerunt sub rege Babyloniorum, quem ipse Abobassarum, Hebræi Nabuchodonosor appellant, mentionem fecit; adhuc etiam et templi Jerosolymitani, quomodo a rege Chaldæorum solo æquatum sit, atque ut fundamentis templi anno secundo regis Cyri jactis, rursus anno secundo Darii regis templum absolutum fuerit.

XXX. Historiarum ad veritatem pertinentium Græci non meminere; primum quidem quia recentes ipsi litterarum cognitionis participes facti sunt; quod quidem ipsi confitentur, dum litteras dicunt inventas, alii quidem a Chaldæis, alii vero ab Ægyptiis, rursus alii a Phœnicibus: deinde vero quia aberraverunt et aberrant, dum *Dei mentionem* non faciunt, sed inanium et inutilium rerum. Sic enim Homerum et Hesiodum et reliquos poetas libenter commemorant; at incorrupti et unici Dei gloriam non modo oblivioni tradiderunt, sed etiam maledictis impugnarunt: adhuc etiam et Dei cultores persequuti sunt et quotidie persequuntur: quin etiam iis qui canora voce conviciantur Deo, præmia et honores posuerunt: qui autem properant ad virtutem et sanctam vitam exercent, horum alios lapidibus obruerunt, alios interfecerunt; ac etiam hactenus crudelibus cruciatibus subjiciunt. Quare tales homines necessario amiserunt sapientiam Dei, nec verum invenerunt. Si vis igitur, hæc diligenter evolve, ut habeas symbolum et pignus veritatis.

HERMIAS.

PHILOSOPHORUM IRRISIO.

HERMIAS,

PHILOSOPHUS CHRISTIANUS.

(CIRCA FINEM SECUNDI SÆCULI.)

GRÆCUS.

HERMIAS, philosophus christianus, parvum et utile
nfecit opus, cui titulus *Irrisio Gentium*. Vita illius
ι densis involvitur tenebris, ut vix qua ætate flo-
erit certe possit assignari. Videtur tamen, Tertu-
ıni antecessor, circa finem secundi sæculi causam
ligionis propugnasse.

Hermias vidit lucem primum ex Joan. Jacobi Fuggeri codice
m versione Raph. Seilari, Augustani, Basileæ, 1553, in-8°, cum
:metrii Cydonii oratione *de Morte contemnenda;* atque inter
teres aliquot theologos græcos excusos Tiguri an. 1560, in-fol.
æce et latine, curante Gesnero; deinde, ut latinas editiones in
bliothecis Patrum repetitas omittam, græce et latine iterum
m castigationibus Frontini Duceri in auctuario, Parisiis, 1624,
-fol. et ad calcem Justini martyris, Parisiis, 1615, 1636; et Co-
niæ, sive potius Vittembergæ, 1686, in-fol. tum studio Wilh.
'orthi ad calcem Tatiani, Oxonii, 1700, in-8°; denique curan-
ɔus Benedictinis cum Justino, Tatiano, etc. an. 1742: quæ pos-
ema inter omnes alias editiones primatum tuetur.

HERMIÆ,

PHILOSOPHI GENTILIUM,

PHILOSOPHORUM IRRISIO.

EX INTERPRETATIONE RAPHAELIS SEILERI PLURIBUS LOCIS EMENDATA.

:. Beatus Apostolus Paulus Corinthiis, qui juxta Laco-am Græciam habitant, scribens, dilecti, sic pronuntiat: *pientia mundi hujus apud Deum stultitia est;* haud eter rei veritatem loquutus. Videtur enim mihi ab ange-um defectione principium accepisse: quam ob causam ; verbis nec sententiis consentanea inter se philosophi erunt, dum dogmata exponunt. Nam eorum alii dicunt, mum ignem esse, ut Democritus: alii aerem, ut Stoici: mentem, alii motionem, ut Heraclitus: alii exhalatio-m, alii vim a sideribus promanantem: alii numerum ovendi vi præditum, ut Pythagoras: alii aquam genita-n, ut Hippon: alii elementum ab elementis, alii harmo-im, ut Dinarchus: alii sanguinem, ut Critias: alii spiri-m, alii unitatem, ut Pythagoras: et prisci diversa. Quot his sententiæ! Quot philosophorum et sophistarum con-ndentium magis quam veritatem invenientium, argu-entationes!

II. Verum esto, de anima inter se dissentiant: at de teris concordes pronuntiaverunt. Atqui alius volupta-m ejus bonum, alius malum, alius rursum medium inter num et malum appellat. Ejus porro naturam alii immor-lem, alii mortalem esse aiunt, alii ad parvum aliquod

ejus Anaximander æternam illam motionem humido v... tiorem esse dicit, eaque alia oriri, alia interire. Itaque li... Anaximandro adhiberi debet.

V. Nonne vero celebratur Archelaüs, qui univers... principium esse calidum et frigidum statuit? Sed huic ... gniloquus Plato non assentitur, qui rerum exordia, D... et materiam, et exemplar esse dixit. Jam vero persu... mihi est. Quidni vero cum philosopho qui Jovis cu... etiam fecerit, crediturus sim? A tergo autem stat ej... cipulus Aristoteles, qui magistrum ob currus fabricati... illam æmulatur. Ille alia principia describit, facere ... rum et pati; ac id quidem quod faciat, nulla re affi... delicet ætherem; id vero quod patiatur, quatuor ha... qualitates, ariditatem, humiditatem, caliditatem, frig... tem : horum enim mutua inter se mutatione omnia et... et interire. Defatigatus jam sum, sursum ac deorsum... nionibus jactatus. Verum Aristotelis sententiæ stab... que ulla amplius sententia tumultum mihi concitabit.

VI. Sed quid agam? nam senes his vetustiores ar... mei nervos incidunt : Pherecydes, qui principia es... Jovem, Tellurem, et Saturnum; Jovem ætherem, ... rem terram, Saturnum tempus : ac ætherem quidem ... ducere, terram autem ferre; tempus vero esse in ... fiant omnia. At inter senes illos etiam est æmulatio. ... enim hæc omnia Leucippus nugas esse existimans, prin... dia esse dicit, infinita et immobilia et minima : et sub... quidem sursum elata, ignem et aerem fieri; crassa au... infra subsistentia, aquam ac terram. Quo usque tandem ... talia edoceor, veri tamen nihil addisco? Nisi Democritus ... ab hoc errore me liberet, demonstrans, initia esse id q... sit, et id quod non sit : ac id quod sit, esse plenum; quod ... vero non sit, esse vacuum : plenum autem in vacuo omnia ... vel conversione, vel figura efficere. Fortassis autem bo...

mocrito assentirer, et una cum eo ridere vellem, nisi a ıtentia me deduceret Heraclitus simul et plorans, et di- ıs : Universorum exordium est ignis : duæ autem ipsius ections, raritas et densitas, quarum altera facit, altera titur; altera coagmentat, altera separat. Abunde jam sa- sum, atque etiam tot principiis inebriatus. Sed et illinc icurus me adhortatur, ut nequaquam pulchram suam de mis et de vacuo opinionem contumelia afficiam. Nam rum multiplici et multiformi complexione cuncta et ri et interire.

VII. Non contradico tibi, Epicure, vir optime : sed anthes, capite e puteo elato, sententiam tuam deridet. que et ipse vera principia haurio, Deum nimirum et ma- iam : ac statuo, terram in aquam migrare, aquam in em : efferri aerem, ignem ad terræ proxima accedere : imum autem per totum mundum penetrare, cujus par- n aliquam nos adeptos animari. Cum autem horum tan- sit numerus, alia mihi multitudo ex Libya affluit, Car- ades et Clitomachus, eorumque sectatores, qui omnium orum placita conculcant, ipsi vero plane pronuntiant, iversa incomprehensa esse, et veritati semper falsam amdam imaginationem esse proximam. Quid igitur agam st tanti temporis ærumnas? quo pacto tot opiniones ex imo meo effundam? Si enim comprehendi potest, veri- facessit ab hominibus, et celebrata philosophia umbras tius consecratur, quam rerum scientiam comprehensam bet.

VIII. Jam vero alii ex antiqua tribu, Pythagoras, et tri- iles ejus, graves et taciturni, alias mihi opiniones, quasi ædam mysteria tradunt, atque etiam illud magnum et canum, Ipse dixit : Omnium initium est unitas, e cujus uris et numeris elementa fiunt. Atque eorum cujuslibet imerum, formam et mensuram ita demonstrat : Ignem

quatuor et viginti triangulis rectangulis perfici
æquis lateribus contineri; unumquodque aute
rum sex triangulis rectangulis constare. Unde
midi assimilant. Aerem autem octo et quadr
triangulis impleri, et æqualibus lateribus oct
Æquiparari autem figuræ octonorum sessuum
triangulis æqualium laterum contineatur, quor
in sex rectos angulos dividantur. Itaque anguli
octo et quadraginta. Aquam autem centum et vi
neri, et comparari figuræ viginti sessuum, qua
bus constat, et triangulis æquorum laterum se
ginti. . . . . Æthe
perfici duodecim quinquangulis æqualium laterum
lem esse figuræ duodecim sessuum. Terram comp
gulis octo et quadraginta : contineri autem sex
æqualium laterum, et cubo similem esse. Cubum
quadrangulis contineri, quorum singuli quatuor
habeant : ut summatim omnia fiant quatuor et

IX. Mundum igitur Pythagoras ita metitur.
rursum numine afflatus, domum, patriam, uxorem
contemno, neque amplius curo : verum in ipsum
rem ascendo et cubito a Pythagora sumpto, ignem
incipio. Nec enim satis est metiri Jovem : sed nisi
ego magnum illud animal, magnum corpus, magnum
mus, ipse in cœlum venero, et dimetiar ætherem,
Jovis imperium. Ubi mensus fuero, et Jupiter ex m
gnoverit quot angulos habeat ignis, rursus ex cœlo
cendo : et olivas comedens, ficus, ac olera, quamprimum
ad aquam me confero, et per ulnam et digitum et
digitum, humidam naturam metior et profunditatem
supputo, ut Neptunum quoque doceam quantum sit
cui imperat. Nam terram quidem universam una die
et numerum ejus colligo, et mensuram, et figuras. Persu

im habeo, me ne dodrantem quidem totius mundi nissurum, cum talis et tantus sim. Præterea etiam m numerum et piscium et bestiarum novi, et mundo ncem imposito, facile pondus ejus possum cognos-Hactenus quidem animus meus his rebus intentus, universitatis imperium affectat.

Prospiciens autem Epicurus, mihi ait : Tu quidem, unum duntaxat mundum dimensus es, cum sint mundi et infiniti. Itaque denuo dicere cogor multos alios ætheres, eosque multos. Age vero non amplius ns comparato paucorum dierum commeatu, Epicuri los peragrato. Terminos igitur Thetyn et Oceanum transvolo. In novum autem mundum, et quasi in civitatem ingressus, cuncta paucis diebus metior. iterum transcendo in tertium mundum : postea in tum, et quintum, et decimum, et centesimum, et mil-num, et quo tandem usque? Omnia enim jam igno-iæ tenebræ sunt, et nigra fraus et infinitus error, et erfecta cogitatio, et incomprehensa inscitia : nisi ipsas m atomos numerare velim, e quibus tot mundi orti t, ut nihil inexcussum prætermittam, præsertim res necessarias, et utiles, unde et domus et civitatis feli-as pendet.

Hæc itaque enarravi, ut contrarietatem quæ in eorum est inionibus patefacerem, et inquisitionem rerum quam sus-piunt, in infinitum vagari, et nullo termino contineri, eo-imque finem esse inexplicabilem atque inutilem : quippe ui nulla re evidenti et ratione perspicua confirmetur.

S. IRENÆUS.

DETECTIONIS ET EVERSIONIS

FALSO COGNOMINATÆ AGNITIONIS,

SEU

CONTRA HÆRESES

LIBRI QUINQUE.

S. IRENÆUS.

DETECTIONIS ET EVERSIONIS

FALSO COGNOMINATÆ AGNITIONIS,

SEU

CONTRA HÆRESES

LIBRI QUINQUE.

SANCTUS IRENÆUS,

EPISCOPUS LUGDUNENSIS.

(AN. 203.)

GRÆCUS.

Sanctus Irenæus natus est circa annum Christi 120, natione Græcus, et, ut videtur, ex Asia minori oriundus. In vita B. Polycarpi Smyrnensis episcopi jam notavimus Irenæum in ejus sanctissimi viri schola educatum fuisse, cunctaque tanti doctoris quasi odoratum esse vestigia. Qua occasione, quove tempore in Gallias ex Asia accesserit, non satis compertum habemus, quamquam S. Gregorius Turonensis a B. Polycarpo missum illum prædicet. (Histor. Franc. I, 20.) Hoc autem certum est eum anno 177, quo maxime efferbuit Lugduni adversus Christianos persecutio, ejus ecclesiæ presbyterum fuisse, cum a martyribus Lugdunensibus destinatus fuerit qui ad Eleutherum papam epistolas deferret, non solum ut ecclesiæ Lugdunensis *presbyter*, sed ut *æmulator testamenti Christi* commendatus.

Sic enim pietatem ejus ardentissimumque christianæ legis tuendæ et amplificandæ studium laudant: « Te per omnia ac perpetuo optamus in Domino valere, pater Eleuthere. Has litteras ut ad te perferret, fratrem et collegam nostrum Irenæum hortati sumus. Quem quidem ut commendatum habeas

S. Clemens Alexandrinus apud Eusebium (Hist. VI. 13), et S. Cyrillus Hierosolymitanus (Cath. 16), qui honorabilem de illo mentionem faciunt.

Theodoretus illum dicit *lumen occidentalium Gallorum*. (Dialog. 1.) Unde non immerito Irenæum inter *viros sanctitate et præstantia insignes*, qui hæreses nascentes retuderunt, numerat Tertullianus, eumque *omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem* laudibus extollit. (Lib. advers. Valentin.) Et re quidem vera hunc beatum antistitem sacras et profanas optime scientias calluisse, ex ipsius operum lectione facile quisque advertere potest, quamvis simplicem scribendi modum et omni verborum ornatu destitutum se amplexum fuisse dicat in præfatione ad libros Contra hæreses.

Hoc unum illi exprobrandum occurrit, quod male interpretato Apocalypsis textu mille annorum fabulæ nimium credulus adhæserit, unde Photius *ecclesiasticorum dogmatum certam veritatem spuriis rationibus fucari* in aliquibus asserit (Cod. 120); qui quidem error nondum ab Ecclesia proscriptus, interrogata juxta Irenæi placitum traditione, postea reprobatus est.

Græce scripserat, non latine, licet græcis quoad magnam partem careamus præter ea quæ S. Epiphanius ex libro primo servavit, et quæ aliunde viri docti eruerunt.

Opera S. Irenæi ex recensione Erasmi primum in lucem emissa sunt Basileæ an. 1526, et postea sæpius recusæ, tum in eadem urbe, tum Parisiis, tum Genevæ usque ad annum 1570, modo in-8°, modo in-fol. Jacobus Grynæus illa rursus prelo subjecit an. 1571. Basileæ in-fol. cum nova fragmentorum græcorum versione a Joanne Cornaro elucubrata. Hujus laborem subsecuta est Fevardentii editio, quæ ampliata et emendata prodiit Parisiis 1575 et

1576, Coloniæ 1596 et 1625, Parisiis iterum 1639 et 1675, et Lugduni in Bibliotheca Patrum 1677, in-fol. Ernestus Grabe novam emisit sancti doctoris editionem an. 1702 Oxonii, quæ mendis adhuc non est omnino purgata. Tandem nitida et luculenta prodierunt B. Irenæi opera, curante Renato Massueto, Benedictino, cum tribus ejusdem exquisitis dissertationibus an. 1710, Parisiis, in-fol. quæ quidem an. 1734 Venetiis recusa est, additis fragmentis Irenæi anecdotis a Psaffio, non sine erroris nota, primum editis Hagæ-Comitum, 1715, in-8°.

Videri potest ejus operis breviarium gallicum apud D. Fleury, Hist. eccles. IV, 23.

SANCTI IRENÆI,

EPISCOPI LUGDUNENSIS ET MARTYRIS,

DETECTIONIS ET EVERSIONIS

FALSO COGNOMINATÆ AGNITIONIS,

SEU

CONTRA HÆRESES

LIBRI QUINQUE.

LIBER PRIMUS.

Cum libri illi et scriptoris auctoritate, et antiqui-:atis pondere maxime commendentur, nec desint amen plura quæ, evanescentibus hujus temporis nsanis hæresibus, nunc minus utilia videantur, po-iora seligentes, à cæteris prudenter abstinebimus: .tque totius primi hujus libri scopus evidentius rimo intuitu pateat, variis sectionibus pro variis æresibus dividetur. Quarum prima erit de argu-ıento et occasione operis; octo sequentes, de variis æreticis; decima tandem conclusionem libri os-:ndet.

S. IRENÆUS.

DETECTIONIS ET EVERSIONIS

FALSO COGNOMINATÆ AGNITIONIS,

SEU

CONTRA HÆRESES

LIBRI QUINQUE.

expertes et ignari sumus. Verum ea quæ simpliciter et vere, ac vulgari sermone, benevolo tamen animo, ad te scripta sunt, tu quoque pari animi benevolentia accipies, eaque ipse, utpote nobis eruditior, quasi semina quædam et initia a nobis accepta, apud te amplificabis, atque in mentis tuæ latifundio, quæ breviter a nobis dicta sunt, uberius efferes, quæque nos imbecille narravimus, ea tu iis quibuscum tibi consuetudo est non sine robore declarabis. Et quemadmodum nos, flagitante te jam pridem quænam ipsorum sententia esset intelligere, studuimus sedulo non modo eam tibi perspicuam reddere, sed ad ipsius falsitatem commonstrandam facultates suppeditare : eodem modo tu quoque, pro ea gratia quam a Domino consecutus es, prompte atque obnixo studio cæteris inservies : ut homines non jam amplius eorum oratione ad persuadendum comparata distrahantur. Est autem ea hujusmodi.

§ II.

DE VALENTINIANIS.

Cum Valentinianos præcipue confutandos aggrediatur, fusius contra illos agens :

1° Exponit ridicula Valentini inventa circa Æonas et Pleroma, quorum brevitatis causa hanc habeas summam a Benedictinis ita quasi coagulatam [1] :

Totam Valentini ac discipulorum ejus hypothesim tribus niti capitibus, notum est. Primum Pleromatis, seu plenitudinis rerum divinarum, explicationem complectitur. Alterum circa ea versatur quæ extra Pleroma contigerunt. Tertium denique mundi hujus aspectabilis originem et constitutionem exponit. In prima parte res superiores ac divinæ pertractantur; in postrema res infimæ et corporales;

[1] Massuet. Dissert. I, art. v, n. 12 et seqq. vol. II.

in secunda res inter utrasque mediæ. Prima triginta Æonum, quorum quindecim masculi et totidem feminæ, seriem exhibet, in varias veluti stirpes divisam, quarum omnium caput sit unus Deus, invisibilis, sempiternus, ingenitus et incomprehensibilis, quem Proarchen, Propatora, et Bython, seu primum Principium, primum Patrem, et Profunditatem vocabant; cui conjugis loco sociabant Ennœam, seu Cogitationem, quam etiam Sigen et Charin, Silentium et Gratiam nuncupabant. Hæc suscepto a Bytho semine gravida genuit Nun, id est, Mentem, Unigenitum, et Patrem et Principium omnium, et una cum eo Alethiam, hoc est, Veritatem. Hæc primigena quaternitas, radix omnium. Ex hac erupit altera tetras, Logi et Zoes, id est, Verbi et Vitæ, et Anthropi seu Hominis, ac Ecclesiæ : ex Unigenito quidem Verbum et Vita, ex his vero Homo et Ecclesia; quamquam alii ab Unigenito primum Hominem et Ecclesiam, tum ab Homine et Ecclesia Verbum et Vitam derivarent. Ex utraque tetrade ogdoada conflabant, quam et ipsam primigenam ogdoada, radicem et substantiam omnium dicebant. Uti enim prima tetras secundam effuderat, sic secunda cæteris deinceps Æonibus ortum præbuit. Et hinc Logos postremæ caput, « Pater omnium eorum qui » post se futuri essent, et initium et formatio universi Ple» romatis » vocabatur. A Logo siquidem pullulavit nova Æonum decas, Bythius videlicet et Mixis, Ageratos et Henosis, Autophyes et Hedone, Acinetus et Syncrasis, Monogenes et Macaria : ab Homine et Ecclesia dodecas, Paracletus et Pistis, Patricos et Elpis, Metricos et Agape, Ænus et Synesis, Ecclesiasticos et Macariotes, Theletos et Sophia; totidem nomina Græca, quorum significata doctis facile patent. Hi triginta Æones adeo decantati; hoc Valentinianorum Pleroma in tria velut agmina divisum, in ogdoada, decada et dodecada, quorum prius ducebat Bythus cum Sige,

secundum Logos cum Zoe, posterius Homo cum Ecclesia.

Quamvis autem uni et eidem stipiti, Bytho nimirum, originem acceptam referrent Æones omnes, non una tamen et eadem fuit omnium conditio, sed dispar. Soli No, utpote primogenito, indulta perfecta cum Bytho communio; soli pervia hujus magnitudo, cæteris inaccessa. Hinc in aliis omnibus cognoscendi Patris æstus, ac propemodum in Num invidiæ livor; major vero in novissima Æonum Sophia, quæ præcipiti exquisitionis impetu lata, absorpta fere fuisset, et in universam substantiam dissipata, nisi tempestive occurrisset Horo, id est, Termino, Virtuti illi ab omni conjugio liberæ, quæ omnia fulcit, et extra ineffabilem magnitudinem custodit; a qua demum repressa, suffulta, et ad se ipsam revocata, priorem cogitationem simul cum ea *passione*, quæ ex stupendo illo miraculo orta erat, abjecit. At desiderio rei impossibilis gravidæ vix potis erat, quin impetus abortum afferret. Attulit vero, immaturumque fetum abegit, substantiam videlicet informem; cujus generis? haud satis inter fabulæ architectos conveniebat, nec Matri ipsi constabat. Inde miseræ mœstitia, timor, summaque perplexitas, pristinæ cogitationis appendices, necessariaque veluti consectaria : a quibus Hori, quem diximus, opera perpurgata, conjugio demum ac Pleromati restituta fuit; ipsa ejus Enthymesi, abortivo illo fetu formæ ac figuræ experte, et appendice *passione* extra Pleroma relegatis.

Ne vero similem casum subirent cæteri Æones, alterum par Æonum per Unigenitum supremus Pater emittit, Christum et Spiritum sanctum, a quibus alii numeris omnibus absolverentur. Christi enim officium erat Æones immensam Patris altitudinem edocere, quod nempe nec percipi, nec intelligi, nec denique cerni aut audiri, nisi Monogenis beneficio, posset. Spiritus vero sanctus eos omnes inter se exæquatos, gratias agere docuit, ac veram requiem

induxit. Sicque Æones omnes tum forma, tum voluntate, ac sententia pares constituti sunt; facti omnes quod unusquisque, omnes in Noas, Sermones, Homines et Christos transformati; et quæ feminæ, in Veritates, Vitas, Spiritus, et Ecclesias. Tum tanta metamorphosi gaudentes, in Propatoris laudes erumpunt, acceptique beneficii memores, communi consilio, consentientibus Christo et Spiritu sancto, Patre quoque calculum adjiciente, quidquid optimum ac florentissimum habebant singuli conferentes, apteque compingentes, Jesum in Bythi gloriam et honorem emittunt, ceu perfectissimum Pleromatis sidus et fructum, Salvatorem etiam, et Verbum, et Christum, ac Omnia denique nuncupatum; quem Angelis quoque satellitibus stipant. Christi et Spiritus sancti ortum aliter explicabat Valentinus. Hunc quidem ab Ecclesia productum fuisse, ad Æonum *examinationem* et fecunditatem dicebat : illum vero non ab iis Æonibus qui in Pleromate sedem habent, sed a Matre illinc exclusa, secundum recordationem meliorum procreatum fuisse, nec sine quadam umbra; verum ingratum, cum masculus esset, excisa a se umbra, ad Pleroma recurrisse, Matre una cum umbra relicta, ac spirituali substantia orbata. Jesum autem interdum ex Theleto, interdum ex Christo, nonnunquam ex Homine et Ecclesia ortum asserebat. Has de rebus divinis nugas venditabant veteratores isti; et hæc prima fabulæ pars.

Altera in iis quæ extra Pleroma gesta sunt, referendis versatur. Superioris nempe Sophiæ Enthymesis (Achamoth ab Hebraica voce *Sapientia* vocabant), quam extra Pleroma cum appendice *passione* relegatam diximus, in umbra et vacuo, formæ, figuræ ac luminis expers, misere jacebat. Ipsius calamitate commotus superior Christus, vi sua formam quidem ei indidit, sed secundum substantiam tantum, non secundum scientiam : statimque subtracta vir-

tute ad supera recedens, infelicem deseruit, nonnullo tamen incorruptibilitatis odore perfusam. Ea vero jam formata ac mentis compos effecta, acriori desiderio exquirendi luminis, quod eam defecerat, incenditur. Sed ecce, festinanti importunus intercedit Horus, temerariumque coercet impetum. Hinc animum despondet illa, omnique perturbationis generi succumbit : mœrori quidem, quod votis frustrata; metui, ne quemadmodum lux, ita et vita eam deficeret; animi denique anxietati, ac lacrymis : parum id, nisi omnis rerum ignoratio tot perturbationibus mista, pondus auxisset. Interdum tamen, priorum oblita, luminisque, quod eam deseruerat, pulchritudinem mente revolvens, lætitia diffundebatur ac ridebat. Sed momentaneus risus, quem cito excipiunt perturbationes consuetæ. His sibi per vices succedentibus jactata, tandem seipsam colligens, ad lumen quod jam delibaverat, hoc est, ad Christum rogandum convertitur. Quorsum, inquis, tot perturbationum fluctibus æstuantis, nec quiescere valentis animi motus? Hoc fabulæ exordium. Hinc enim materiæ ex qua mundus hic conflatus est, substantia ortum cepit. Nam ex conversione, et mundus, et Demiurgus, rerum conditor, et denique omnis alia anima originem sumpsit; ex metu autem et mœrore, reliqua omnia. Ex ipsius siquidem lacrymis liquida omnis substantia initium habuit : ex risu lucida; ex mœrore tandem et stupore, corporea mundi elementa. Nempe cum Achamoth supplex ad Christum se convertisset, hic Paracletum, hoc est Salvatorem ad eam misit, satellitibus Angelis stipatum, qui scientiæ formam ei indidit, et a perturbationibus liberavit. Nec tamen has ab ea ita secrevit, ut curam omnem earum abjiceret : imo secretas fixit, condensavit, et in materiam transformavit, ex qua fieret duplex substantia; altera mala, quæ ex passionibus exstitisset; altera passionibus obnoxia, quæ ex conversione orta esset.

Sic malis omnibus expedita Achamoth, jam gaudio gestiens, in Angelos Salvatoris comites defigit obtutus, quorum splendore capta, aspectuque fecundata, concipit paritque fructum spiritualem, ad eorum imaginem effictum. Jam ergo triplicem habemus substantiam, Achamothæ fetum; materialem ex passione, animalem ex conversione, et spiritualem ex imaginatione. Nec satis erat rerum materiam ministrasse, nisi etiam formam afferret; hæc prima Achamothæ cura. Et cum nulla ei esset substantiæ spiritualis informandæ copia, quoniam ejusdem cum ea essentiæ erat, in animalis formationem se confert, ex qua Demiurgum efficit, cæterarum deinceps rerum conditorem, parentem, regem et deum. Et hic alterius fabulæ partis finis.

Sequitur aspectabilis hujus mundi constitutio et origo, quam sic exponebant. Conditus Demiurgus ad opus se accingit, in idque totus incumbit; cæcus tamen (hoc stupeas), et quid ageret nescius. At clam regebat Mater, sub Salvatoris moderamine, quo instigante superioris Pleromatis imaginem et hic exprimi curavit. Achamoth siquidem Demiurgo ignota Bythum, Demiurgus Unigenitum, Angeli et Archangeli a Demiurgo conditi cæteros Æones referebant. Sic itaque tantum opus molitur inscius ille Demiurgus. Separatis atque distinctis, hactenus confuse permistis, animali et materiali essentia, ex iis cœlestia simul et terrena condidit; fabricatisque septem cœlis (quos intelligentia præditos, imo et Angelos esse volebant), sedem sibi supra septimum delegit, Matre superiorem locum occupante, medium inter Pleroma et Mundum. Ea propter ille dictus est Hebdomas; hæc Ogdoas, quo suprema illa ac primigena Pleromatis ogdoas exprimeretur. At supina Demiurgi ignoratio immanem peperit errorem. Cum enim tanta condidisset, nec spiritualia attingere valeret, sui ipsius ac matris, multo magis superioris Pleromatis ignarus, se so-

lum esse Deum existimavit, ac per Prophetas dixit : « Ego » Deus, et præter me non est alius. » Sed ad rem redeamus.

Quoniam materialis essentia ex tribus affectibus conflata erat, ex metu, mœrore, et anxietate : ex metu et conversione, ea omnia quæ anima prædita sunt, coagmentata fuerunt; Demiurgus nempe ex conversione, ex metu quidquid reliquum est animalis substantiæ, ut animæ brutorum animantium, ferarum et hominum : ex tristitia spirituales nequitiæ, Angeli mali, et Dæmones, quorum princeps Diabolus, Cosmocrator dictus, cui sedes assignata subtus Demiurgum in hoc mundo : in eo tamen proprio conditore potior, quod quæ supra eum sunt perspecta habeat, quia spiritualis nequitia est; Demiurgus autem ignoret, quia animalis est. Postremo ex stupore et anxietate, ceu ex ignobiliori stirpe, corporea mundi elementa prodierunt. Omnibus vero insitus ignis mortifer et exitiosus; ut et ignorantia prædictis tribus perturbationibus abdita et occultata.

Condendus supererat homo, mundi hujus inferioris pars nobilior. Fabricavit hunc Demiurgus ex fusili ac fluida substantia; et hic homo choicus seu terrenus, in quem insufflatus animalis, ut similitudinem et imaginem Creatoris exhiberet. Circumposita dein terreno pellicea tunica, hoc est, corpus quod in sensum cadit. Parum erat, nisi spiritualis homo, inscio Demiurgo, una cum ipsius insufflatione inspersus a Matre fuisset. Semen illud spirituale est, quod ex Angelorum contemplatione protulit Achamoth, dictum alias Ecclesia, speculum superioris Ecclesiæ. Triplex igitur in uno homine homo, seu tres unius ejusdemque hominis partes, materialis, animalis, et spiritualis, quarum dispar sors et exitus. Prior omni incorruptibilitatis afflatu destitutus, necessario perit : posterior, quibuscumque tandem flagitiis ac sceleribus sese mancipet, certam salutem recipit : animalis, inter utrumque medius, vel materialis, vel

spiritualis, exitum sortitur prout vel in hanc, vel in illam partem declinaverit. Ut autem hic salutem adipisceretur, sensibilibus disciplinis indigebat, ac proinde Salvatore hic opus erat. Sed quali? Qui sibi accommodatus esset, animali nimirum et spirituali, corpore tamen induto, ut sensibus pateret. Materiale autem nihil suscepit; ea enim duntaxat assumpsit quibus salutem impertiturus erat : at materia salutis incapax. Per Mariam ille, perinde atque aqua per tubum, transmeavit, ab ea nihil quidquam accipiens : atque in ipsum, cum baptismi aqua tingeretur, Jesus ille seu Salvator, qui de Pleromate erat, et ex omnibus ortum traxerat, sub columbæ forma descendit. Ut adeo Dominus noster ex quatuor hisce conflatus esset, ex spirituali, quod ab Achamoth erat; ex animali, quod a Demiurgo; ex corpore, quod a dispensatione; ex Salvatore demum, quod erat ea quæ descendit in illum columba; ex quibus solus psychicus passus est Christus, et is qui ex dispensatione mystico modo conditus fuerat; perpessionis expertibus manentibus Salvatore, et spirituali Christo, et a Domino avolantibus cum Pilato sisteretur : sic tota salutis nostræ œconomia, et quodcumque de Verbi divini incarnatione, Christique meritis, morte et satisfactione fides docet, in aniles fabulas ridiculaque commenta totum abit. Sed audi cætera.

Triplex hominum genus Valentinianos distinxisse jam notavimus : choicum, quod salutem percipere nullo modo valet : animale, quod percipere potest vel non potest, prout bonis vel malis adhæserit : spirituale denique, quod a salute excidere nunquam potest. Ad secundum genus Catholicos revocabant. His fidem et bona opera, ut salutem adipiscerentur, necessaria esse dicebant : sibi vero, qui ad tertium genus pertinebant, spiritualibus et perfectis, utpote spirituali semine Achamoth fecundatis, hæc super-

flua esse jactabant; eam enim esse spiritalium hominum naturam, ut, quidquid agant, in corruptionem et interitum cedere nullo modo possint; neque enim actiones aditum ad Pleroma munire, sed solum spirituale semen. Et hinc confractis omnibus claustris, ad scelera quævis omniaque vitiorum genera latissima facta via. In cumulum accessit et illud principium non minus exitiosum, animas quasdam natura bonas esse, quasdam natura malas : bonas quidem eas esse quæ seminis capaces effectæ sint; eas autem quæ natura malæ sunt, ita esse comparatas, ut semen illud nunquam recipiant. Quod Gentilium fatum inducebat. Et inde etiam latissimum intervallum quod Catholicos ab iis pseudospiritualibus disjungebat, non tantum quod illos animales, se vero perfectos, spirituales, ac semina electionis superbe vocarent; sed quod vellent nos in ancipiti usu gratiam sic accipere ut ea nobis adimeretur, se vero illam proprio veluti jure ita possidere, ut semper accresceret, decresceret nunquam, aut efflueret. At quænam spiritualium istorum gratia? quid spirituale illud semen? aliud nihil quam spiritualis agnitio, supernorum Pleromatis arcanorum scientia, qua tantopere gloriabantur, et qua sibi Gnosticorum nomen adscribebant. Hæc a Matre sibi indita, pusilla quidem e supernis initio emittitur, hic autem paulatim adolescat et perficiatur necesse est. Cum autem numeris omnibus absoluta fuerit, consummationem futuram asserebant : tuncque Achamoth e medietatis loco in Pleroma migraturam, sponso suo Salvatori nupturam : Spirituales autem, animis animalibus exutos, spiritusque intelligentes factos, Pleroma itidem subeuntes, in sponsas assignatum iri Angelis Salvatoris satellitibus : Demiurgum vero, cum justorum animalibus animis in locum matris Achamoth, medietatem videlicet, migraturum, ibi perenni quiete donandum; neque enim psychici quidquam intra Pleroma admitti : tum vero ignem

eum qui in mundo latet erupturum, confectaque omni materia, mundo simul et ludicræ huic Valentinianorum fabulæ finem impositurum.

2° Carpit eorum corruptos mores[1] :

Animalibus disciplinis imbuti sunt animales homines, qui per opera et nudam fidem confirmantur, nec perfecta cognitione præditi sunt. Quales nos, qui Ecclesiæ fidem profitemur, esse aiunt. Ex quo etiam nobis hoc necesse esse pronuntiant, ut probas actiones adhibeamus; nec enim alioqui fieri posse ut salutem consequamur. At se non per actionem, sed quod natura spirituales sint, omnino ac sine ulla dubitatione salvos fore affirmant. Ut enim hylicum nullo modo salutis particeps esse posse dicunt, quod ejus capax minime sit : sic rursus spirituale (quod ipsi se esse volunt) ea conditione esse, ut nullo prorsus modo interitum atque corruptionem recipere queat, quibuscumque tandem in flagitiis sceleribusque versetur. Quemadmodum enim aurum in cœno positum, pulchritudinem suam haud proinde amittit, verum naturam suam incolumem servat, nec detrimenti quidquam ei a cœno afferri potest : eodem modo sese quoque, quibuslibet tandem in materialibus actionibus versentur, nihil hinc lædi, nec spiritualis essentiæ jacturam facere.

Quo etiam fit, ut eorum perfectissimi quique omnia ea quæ legis interdicto prohibentur, et de quibus affirmat Scriptura, quod « qui hæc faciunt regni Dei hæreditatem » minime consequentur[2], » sine ullo metu perpetrent. Nam et ea quæ idolis immolata sunt, libere ac sine ullo discrimine edunt, nec iis inquinari se arbitrantur : atque ad omnia Gentilium festa et oblectamenta quæ ad idolorum ho-

[1] Cap. vi, n. 2 et seqq.
[2] Gal. v, 21.

norem cultumque celebrantur, primi confluunt; adeo ut nonnulli eorum, ne a sanguinario quidem et funesto, Deoque et hominibus inviso spectaculo, in quo cum feris dimicatur, vel gladiatores inter se pugnant, abstinendum sibi esse putent. Sunt etiam qui carnis voluptatibus ad satietatem usque obsequentes, carnalia carnalibus, et spiritualia spiritualibus persolvi aiunt. Quin etiam ipsi partim occulte cum mulierculis iis quas in doctrina sua erudiunt, stupri commercium habent, quemadmodum ipsæ sæpe a quibusdam ipsorum circumventæ, atque in fraudem impulsæ, ac postea ad Dei Ecclesiam reversæ, cum reliquo suo errore hoc quoque confessæ sunt : partim aperte, perfrictaque fronte quascumque adamarint mulieres, eas a viris avulsas matrimonio sibi copulant. Alii rursus cum honeste primum, velut cum sororibus, habitare se finxissent, progrediente tempore deprehensa fraus est, gravida nimirum a fratre facta sorore.

Ac pleraque alia impia et exsecranda flagitia designantes, nos quidem, qui Dei metu cavemus ne vel cogitatione tenus et sermone peccemus, ut indoctos ac prorsus ignaros insectantur : seipsos autem mirifice extollunt, ac perfectos appellant, et semina electionis. Nos enim in usu tantummodo gratiam accipere dicunt, ob idque fore ut ea nobis adimatur : se autem eam, ab ineffabili, et omni nomine præstantiori conjugatione cœlitus devectam proprie possidere, ob eamque causam fore ut ipsis accrescat; proindeque sibi quovis modo faciendum esse, ut conjugii mysterium exerceant. Atque ut hoc stolidis hominibus persuadeant, his ipsis verbis utuntur : Quisquis in mundo existens mulierem non amavit, ita ut ea potiatur, non est ex veritate, nec ad veritatem perveniet : quisquis autem de mundo existens cum muliere rem habuit, non perveniet ad veritatem, quoniam in concupiscentia mulieri succubuit. Propterea nobis quidem, quos psychicos vocant, ac de mundo esse

statuunt, necessarium esse continentiæ ac bonarum actionum studium, ut per eas ad medietatis locum perveniamus: sibi autem, hoc est, ut ipsi se vocant, spiritualibus et perfectis, haudquaquam. Neque enim actionem aditum ad Pleroma munire; sed semen, quod pusillum quidem illinc emittitur, hic autem adolescit ac perficitur.

3° Quomodo Scripturas sacras ad vanas interpretationes detorqueant arguit[1] :

His ita ab eis positis, quemadmodum nec Prophetæ unquam prædicarunt, nec Christus docuit, nec Apostoli tradiderunt, se præ cæteris mortalibus rerum omnium scientiam perceptam habere gloriantur, quædam videlicet de iis quæ litterarum sacrarum monumentis haudquaquam prodita sunt, lectitantes; et, quod dici solet, funem ex arena nectere studentes, probabiliter interim, atque ad faciendam fidem apposite, vel parabolas quasdam Dominicas, vel Propheticas voces, vel Apostolica verba iis quæ dicta sunt accommodare conantur, ut ne commentum suum nullius testimonii auctoritate niti videatur : ita tamen ut Scripturarum ordinem seriemque transiliant, ac, quantum in ipsis est, veritatis membra dissolvant. Transferentes enim, ac refingentes, atque aliud ex alio facientes, plerosque per divinorum oraculorum, quæ figmentis suis adaptant, prave consarcinatam argutiam, in fraudem inducunt. Perinde scilicet, ac si quis regis imagine ex insignibus gemmis ab industrio quodam artifice pulchre et eleganter elaborata, subjectam hominis formam deleat, ac gemmas illas transferat, atque in diversum accommodet, canisque aut vulpis formam efficiat, et quidem male constructam, ac deinde serio affirmet hanc esse pulchram illam regis imaginem quam peritus ille artifex condiderat (ostendens nimirum gemmas illas quæ

[1] Cap. VIII, n. 1.

a priori quidem artifice ad regis imaginem præclare compositæ fuerant, verum a posteriore ad canis formam improbe translatæ); atque per lapillorum speciem imperitiores homines, quique regiam formam haudquaquam norint, circumscribat, fidemque ipsis faciat putidum hoc vulpis simulacrum pulchram illam regis imaginem esse. Ad eumdem enim isti quoque modum anilibus quibusdam fabulis consutis, ac deinde verbis, et vocibus, et parabolis hinc atque hinc avulsis, oracula divina fabulis suis accommodare student. Atque ea quidem omnia quæ interno Pleromatis cœtui adaptant, jam commemoravimus.

Ac deinde[1] voculas quasdam et nomina, quæ variis locis sparsa sunt, in unum collecta ex genuino, uti jam diximus, sensu ad adulterinum traducunt : perinde utique facientes atque illi qui argumenta quælibet sibi proponunt, ac tum dant operam; ut Homeri versibus ea contexant adeo ut imperitissimi quique Homerum de illo recens elaborato argumento versus hujusmodi condidisse putent, ac multi per rite compactam versuum seriem eo adducuntur, ut ambigant num Homerus ita hæc elucubraverit. Quo in genere illud est quod quidam Herculem ab Eurystheo ad Inferni canem missum Homericis versibus describens, ad hunc modum cecinit. Nec enim quidquam prohibet quominus exempli gratia hæc commemoremus, cum similis idemque sit utrisque conatus :

Hæc ait, atque alto suspiria corde trahentem
Armis egregium Alcidem Stheneleia proles
Confestim ad Stygii descendere tecta tyranni
Jussit, ut inde canem superas efferret ad oras.
Ergo ille intrepidus, furibundi more leonis,
Egreditur. Juvenes illum, innuptæque puellæ,
Grandævique senes, mœsti lacrymisque madentes,

[1] Cap. IX, n. 4.

Exitium velut ad certum comitantur euntem.
At ductabat eum Cyllenius, atque Minerva :
Norat enim ærumnas fratris durosque labores.

Ecquis, quæso, ex iis qui simplici ac minus vafro animo sunt, hisce versibus non abripiatur, in eaque sit opinione, ut Homerum in ejusmodi argumento versibus ita lusisse putet? At qui Homericæ poesis argumentum callet, versus quidem agnoscet, materiam autem haudquaquam agnoscet, utpote qui compertum et exploratum habeat aliquid ex iis de Ulysse, aliquid de ipso Hercule, aliquid de Priamo, aliquid de Menelao et Agamemnone dictum esse. Quo fit, ut si ea dimoverit, ac suo quodque libro reddiderit, præsentem materiam de medio sublaturus sit. Ad eumdem modum, qui veritatis normam, quam per baptismum accepit, firmam in se atque constantem retinet, vocabula quidem e Scripturis petita, et dictiones, et parabolas agnoscet : at nefarium et impium argumentum haud agnoscet. Nam etsi gemmas agniturus est, interim tamen vulpem pro regia imagine non admittet : verum ubi singula eorum quæ dicta sunt in classem suam retulerit, ac veritatis corpori accommodaverit, ita demum eorum figmentum deteget, ac tale esse ostendet, ut nullo modo subsistere queat.

3° Pugnantia eorum dogmata ostendit, quod ut clarius demonstret ecclesiasticæ doctrinæ unitatem iis opponit[1] :

Etenim Ecclesia, tametsi per universum orbem usque ad extremos terræ fines dispersa, fidem eam ab Apostolis eorumque discipulis acceptam, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem, « qui fecit cœlum, et terram, et mare, » et omnia quæ in eis sunt[2]; » et in unum Jesum Christum

[1] Cap. x.
[2] Psal. cxlv, 6; Act. iv, 24, et xiv, 15.

Filium Dei, nostræ salutis causa incarnatum; et in Spiritum sanctum, qui per Prophetas Dei dispensationes et adventus prædicavit, et ortum ex Virgine, et passionem, et resurrectionem a mortuis, et cum carne in cœlos ascensum dilecti Domini nostri Jesu Christi, et e cœlo in gloria Patris adventum ipsius ad instauranda omnia [1], et a morte ad vitam revocandam omnem mortalium omnium carnem, ut Christo Jesu Domino nostro, et Deo, et Salvatori, et Regi, de benigna Patris invisibilis voluntate « omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et inferorum, et omnis lingua » ei confiteatur [2], » atque ipse justam de omnibus sententiam ferat, *spiritualia* videlicet *nequitiæ*, et Angelos transgressores, quique perfide defecerant, impiosque item homines, et injustos, et flagitiosos, et blasphemos in ignem æternum mittens, justis contra, et pietate præditis, quique ipsius præcepta servaverunt, atque in ipsius charitate, partim jam inde ab initio, partim ex pœnitentia, perstiterunt, vitam donet, atque incorruptibilitatem largiatur, gloriamque sempiternam afferat.

Acceptam, inquam, hanc prædicationem, ac fidem, uti ante diximus, Ecclesia, tametsi per totum terrarum *orbem* sparsa, summo studio et cura, perinde atque unam domum incolens, conservat, ac velut animam unam, atque unum idemque cor habens, his æque fidem accommodat, et miro consensu, quasi uno ore prædita, hæc prædicat, docet, ac tradit. Quamquam enim dispares inter se mundi linguæ sunt, una tamen et eadem est traditionis vis. Ac neque hæ quæ in Germaniis sitæ sunt, Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt; nec quæ in Hispaniis, aut Galliis, aut in Oriente, aut in Ægypto, aut in Africa, aut in mediterraneis orbis regionibus sedem habent. Verum, ut sol hic a Deo conditus in universo mundo unus atque idem est : ita

[1] Ephes. I, 10. — [2] Philip. II, 10 et seqq.

etiam veritatis prædicatio passim lucet, omnesque homines qui ad veritatis agnitionem venire cupiunt, illustrat. Nec vero aut is ex Ecclesiæ antistitibus qui dicendi facultate pollet, ab his diversa dicturus est (nemo enim supra magistrum assurgit); aut is rursus qui parum dicendo valet, traditioni detrimentum afferet. Nam cum una atque eadem fides sit, nec qui de ea uberrimam orationem habere potest, exuberat; nec qui pauca habet quæ dicat, eam imminuit.

Quod autem quidam ingenio ac scientia præstare, aut inferiores esse dicantur, non eo fit, quod argumentum ipsum mutent, ac præter eum qui hujusce universitatis architectus et conservator est (quasi non in eo nobis satis præsidii sit), alium quemdam Deum, aut alium Christum, aut alium unigenitum excogitent : verum in eo demum consistit, ut quis ea omnia quæ in parabolis dicta sunt accuratius pertractet, fideique argumento accommodet, in eoque etiam, ut Dei molitionem, ac dispensationem ob humani generis salutem factam exponat, quodque diuturna animi lenitate tum Angelorum qui ab eo recesserunt defectionem, tum hominum inobedientiam tulerit, explanet; quidque causæ sit; cur alia caduca, et alia æterna, alia cœlestia, et alia terrena, unus et idem Deus procrearit, enarret; quaque de causa Deus, cum invisibilis esset, Prophetis tamen non in una forma, sed aliter aliis atque aliis conspicandum se præbuerit, intelligat; qui etiam factum sit ut plura Testamenta hominum generi contigerint, indicet, quisque cujusque Testamenti character sit, edoceat; quid item causæ fuerit, quamobrem « Deus omnia in incredulitate conclu» serit, ut omnium misereatur[1], » investiget; quam etiam ob causam *Verbum* Dei *caro factum* sit, cruciatusque subierit, grata oratione complectatur; cur præterea extremis temporibus, hoc est, in fine potius quam in initio, adventus

[1] Joan. XI, 32.

Filii Dei extiterit, commemoret; de fine quoque ipso et rebus futuris, quidquid in Scriptura situm est, explicet; tum etiam quamobrem Deus Gentiles, quorum salus deplorata erat, cohæredes, et concorporeos, et participes sanctorum effecerit, non taceat; quoque pacto *mortale hoc corpus immortalitate, et corruptibile hoc incorruptibilitate induendum sit*[1], edisserat; denique qui *populus factus sit, qui populus non erat, et dilecta, quæ dilecta non erat*[2]; et qui *plures filii desertæ, quam ejus, quæ virum habebat*[3] prædicet. In his enim aliisque id genus exclamavit Apostolus : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! quam » inscrutabilia sunt judicia ejus, et impervestigabiles viæ » ejus[4] ! » In hoc, inquam, doctorum industria posita est, non in eo, ut quispiam, ultra creatorem et opificem, Enthymesin errantis Æonis, quæ ipsius parens sit, præterea comminiscatur, eoque blasphemiæ prorumpat; aut rursus in eo, quod ea sublimius sit, Pleromate, nunc triginta Æonas, nunc innumerabile Æonum examen confingat : quemadmodum aiunt isti divinæ sapientiæ vere expertes magistri: cum interim vera et universa Ecclesia unam et eamdem toto terrarum orbe fidem teneat, ut ante diximus.

5° Unius ex eorum grege, Marci nomine, præstigia et nefarias artes narrat[5] :

Jam vero Marcus quidam, non paucos utriusque generis homines, in errorem abductos, ad se illexit : quippe qui miserum illum eorum, de quibus ante verba fecimus, impostorum emendatorem esse ducerent, cum magicarum præstigiarum peritissimus esset. His itaque, quos in fraudem induxerat, persuasit, ut totos sese ad eum converte-

[1] 1 Cor. xv, 54. — [2] Os. II, 24, et Rom. IX, 25. — [3] Esai. LIV, 1, et Gal. IV, 27. — [4] Rom. XI, 33.

[5] Cap. XIII.

rent, velut ad hominem singulari quadam scientia præditum, vimque maximam ab iis locis qui nec oculis cerni, nec ullo nomine exprimi possunt, consecutum : vereque præcursorem Antichristi se præstitit. Anaxilai enim ludicra cum magorum (sic enim appellantur) versutia conjungens, mirifica quædam edere censetur.

Pocula vino mixta fingens se consecrare, atque invocationis verba in longius protendens, efficit ut purpurea et rubicunda appareant, existimeturque Gratia, ab iis quæ supra omnia sunt, sanguinem suum per ipsius invocationem in poculum illud stillare; gestiantque ii qui adsunt, ex ea potione gustare, ut etiam in ipsos Gratia ea, quæ per hunc magum prædicatur, influat. Rursus mulieribus pocula mista porrigens, ipsas adstante se consecrare jubet. Quod cum factum fuerit, ipse aliud poculum, longe majus eo quod a muliercula seducta consecratum est, proferens, atque ex minore illo, a muliere consecrato, in id quod a se allatum est, transfundens, ac simul hæc verba subjungens : « Gratia » ea, quæ supra omnia est, cogitationemque omnem et sermonem excedit, interiorem tuum hominem impleat, atque » insperso in terram bonam sinapis grano, cognitionem suam » in te amplificet; » aliaque nonnulla hujusmodi verba pronuntians, quibus miseram illam velut œstro quodam pungit, tum demum præstigiatoris hominis specimen edit, magno videlicet poculo ex parvo usque adeo impleto, ut etiam redundet. Atque alia quædam consimilia faciens, permultos fefellit, ac post se abduxit.

Quin illud quoque a vero non abhorret, habere eum dæmonem quemdam assessorem, cujus opera tum ipse vaticinia edere videtur, tum etiam efficit ut eæ omnes quas dignas censet quibus gratiam suam impertiat, vaticinentur : potissimum enim circa mulieres studium suum et operam impendit, easque præsertim quæ eleganter cultæ sunt ac

purpuratæ, maximisque opibus præditæ; quas persæpe ad se allicere studens, assentabunde ita alloquitur : « Libet tibi » gratiam meam impertire, quandoquidem universorum Pa- » ter Angelum tuum perpetuo cernit ante faciem suam. Lo- » cus autem tuæ Magnitudinis in nobis situs est. Oportet » nos unum effici. Accipe primum ex me, et per me, gra- » tiam. Adorna teipsam, ut sponsa sponsum suum exspec- » tans : ut sis quod ego, et ego vicissim quod tu. Luminis » semen in thalamo tuo colloca. Sponsum a me sume, et » capax ipsius esto, atque in ipso facito ut capiaris. En gra- » tia in te descendit : aperi os tuum, et vaticinare. » Respondente autem muliere : « Nunquam vates fui, nec vati- » cinandi artem calleo; » rursus ille invocationes quasdam faciens, ut seductam illam in admirationem ac stuporem trahat, his eam verbis affatur : « Aperi os tuum : loquere » quidquid libet, et prophetabis. » His igitur verbis illa stulte elata ac tumida, atque ob vaticinandi spem et exspectationem, in qua versatur, animo incalescens, corde plus quam par sit subsultante, audacia effertur, ac meras nugas, et quidquid temere occurrerit, inaniter et impudenter, utpote inani spiritu concalefecta (quemadmodum quidam nobis præstantior de hujusmodi mulieribus ait : Audax et impudens res est anima inani aere concalefacta); ac deinceps prophetissam sese arbitratur, gratiasque Marco agit, qui gratiæ suæ participem eam fecerit, eumque non modo facultatum suarum largitione (unde ille ingentem pecuniæ vim coegit), sed etiam corporis sui communicatione remunerari conatur, per omnia nimirum ei copulari studens, ut cum eo in unum veniat.

Enimvero mulieres quædam fideliores, ac timore Dei præditæ, nec ab eo in fraudem inductæ (quas æque ac reliquas seducere instituerat, jubens eas prophetare), exsufflantes eum, ac diris omnibus devoventes, ab hujusmodi

choro sese abstraxerunt; ut quibus hoc exploratum esset, vaticinandi munus non Marci beneficio hominibus contingere, verum eos demum quibus Deus gratiam suam superne immiserit, divinitus datam prophetiam habere, ac tum ubi et quando Deus voluerit loqui, non autem cum Marcus jusserit. Etenim is qui jubet, eo cui imperatur major est, atque auctoritate præstantior : quippe cum ille præsit, hic subsit. Quocirca si Marcus aut alius quispiam est qui jubet, ut consueverunt isti in cœnis illis, quas sortibus ineunt, semper ludere, atque alii aliis ut prophetent imperare, consentaneaque cupiditatibus suis vaticinia sibi ipsis edere, nimirum is qui jubet, homo cum sit, majore auctoritate præditus erit quam Spiritus sanctus : quod quidem fieri non potest. Verum hujusmodi spiritus, quibus illi imperant, quique ad eorum nutum arbitriumque loquuntur, infirmi illi quidem et imbecilles sunt; cæterum audaces et impudentes, a Satana missi ad eos in fraudem et exitium impellendos qui fidem eam, quam ab Ecclesia primum acceperunt, firmam ac vegetam haudquaquam tuentur.

Quod autem Marcus amatoria quædam et illectantia pharmaca (quo videlicet earum quoque corporibus probrum et contumeliam inferat), si non omnibus, at certe nonnullis adhibere soleat, ipsæmet sæpe, cum ad Dei Ecclesiam rediissent, confessæ sunt, seque corpore ab eo contaminatas fuisse, miroque ipsius amore exarsisse : adeo ut Asianus etiam quidam ex nostris diaconus, cum eum hospitio excepisset, in hanc calamitatem inciderit. Ipsius enim uxor, singulari pulchritudine femina, tum animo, tum corpore ab hoc mago corrupta est, eumque cum perdiu secuta esset, postea non sine magno labore a fratribus conversa, per omne reliquum vitæ tempus admissum scelus confiteri non destitit, labem eam, quæ ei a mago acciderat, lugens ac lacrymis prosequens.

Quin ipsius etiam discipuli, in iisdem studiis versante mulierculas multas in fraudem impulsas corruperunt: pe fectos interim se appellantes, atque ea scientiæ magnit dine præditos, ut nemo ad eam adspirare posset, etiam Paulum dixeris, etiamsi Petrum, aut alium quemqu Apostolorum; verum se scientia mortales omnes anteo lere, solosque ingentem illam ineffabilis potentiæ magni dinem ebibisse, ac supra omnem virtutem in summo fasti collocatos esse; ob idque etiam libere quidvis perpetra nullo rei ullius metu affectos: redemptionis enim benefic effici, ut a judice nec prehendi nec conspici possint. Q si etiam ille manum ipsis injiciat, adstantes ei una cu demptione his ad eum verbis utentur: « O quæ Deo a » et mysticæ ante Æonas Sigæ, quam Magnitudines Pa » faciem semper intuentes, duce te ac perductore ute » sursum formas suas abstrahunt, quas illa magnopere » animo informans, ob Propatoris bonum nos earum i » gines produxit, cum tunc superarum rerum cogitatio » insomnii cujusdam instar haberet: en judex immin » præco causam dicere me jubet. Tu vero, ut res utrius » notas et exploratas habens, pro utroque nostrum ra » nem, ut quæ una sit, judici exhibe. » Protinus autem ut Mater hæc verba acceperit, Homericam Orci galeam illi imponit, ut prospectum eorum judici eripiat, statimque i sos sursum tractos in thalamum inducit, sponsisque su attribuit.

His verbis et actionibus multas quoque in Rhodanensi nostra regione mulieres in fraudem impulerunt: quæ qu dem velut cauterio quodam inustam conscientiam habente partim publice pœnitentiam egerunt, partim cum id face præ pudore non sustinerent, ac tacite quodammodo de vi Dei desperarent, vel prorsus a fide desciverunt, vel cer in utramque partem propendent, quodque proverbio di

solet, nec foris nec intus sunt; hunc videlicet ex scientiæ filiorum semine fructum percipientes.

Unde illum per alphabeti litteras divinum explicantem sic objurgat[1]:

Quis non, in tantorum mendaciorum artificem et concinnatorem odio commoveatur, veritatem perspiciens a Marco idolum effectam, atque alphabeti litteris recens, et, ut proverbio dicitur, heri ac nudius tertius, quasi notis quibusdam compunctam, cum jam inde a principio sit? Græci etenim se a Cadmo primum sex et decem litteras accepisse confitentur; ac postea temporis progressu nunc adspiratas, nunc duplices invenisse; postremum vero omnium Palamedem longas adjecisse tradunt. Quid igitur? Antequam apud Græcos hæ litteræ exstarent, non erat veritas? Etenim de tua sententia, Marce, ipsius corpus Cadmo, iisque qui Cadmi ætatem antecesserunt, posterius est; iisque item qui reliquas litteras addiderunt, atque adeo te quoque ipso posterius. Tu enim solus eam, quam tu veritatem vocas, in idolum redegisti.

Quisnam autem tuam istam tot nugas effundentem Sigen feret, quæ et omni nomine sublimiorem nominat, et omni sermone superiorem exponit, et impervestigabilem explicat; eumque, quem tu corporis ac figuræ expertem esse ais, os aperuisse, ac Sermonem, tanquam unum aliquod ex compositis animantibus produxisse dicit; ipsiusque Sermonem parenti suo similem, atque invisibilis formam referentem, triginta elementa et quatuor syllabas continere? Ex quo sequi necessum erit, ut, de tua sententia, ille rerum omnium Parens, perinde ac Sermo, triginta elementis et quatuor syllabis constet. Ecquis rursus te feret in figuras et numeros, nunc triginta, nunc viginti quatuor, nunc sex

[1] Cap. xv, n. 4 et seqq.

duntaxat, rerum omnium conditorem, et artificem, et effectorem Dei Sermonem concludentem, eumque in quatuor syllabas et triginta elementa dissecantem? ac rerum omnium Dominum, qui cœlos firmavit, ad octingentesimum octuagesimum octavum numerum, æque atque alphabetum, devehentem; Patremque, qui omnia capit, cum a nullo ipse capiatur, in quaternitatem, et ogdoadem, et decadem, et duodecadem subdividentem, ac per hujusmodi multiplicationes id quod in Patre ineffabile est, omnique cogitatione, ut ipse inquis, præstantius exponentem? Et quem tum corporis, tum substantiæ expertem appellas, ejus naturam ac substantiam ex multis litteris, quarum aliæ ex aliis gignantur, exstruis ipse, falsum Dædalum, ac nefarium supremæ virtutis fabrum te præbens : quamque ab omni divisione remotam esse ais, in mutos, et vocales, ac semivocales sonos distribuens, idque quod in ipsis mutum est, rerum omnium Parenti, ipsiusque Cogitationi falso attribuens, in summam blasphemiam gravissimamque impietatem eos omnes qui tibi fidem adhibent conjecisti.

Quocirca etiam optimo jure, atque ad tantam temeritatem tuam perapposite, divinus senex ac veritatis præco versibus ita in te exclamavit :

> Marce, idolorum architecte, et portentorum observator,
> Astrologicæ, et magicæ artis perite,
> Per quas falsis et cum errore conjunctis doctrinis robur conciliias,
> His qui a te seducuntur facinora
> Apostaticæ virtutis pro miraculis ostendens,
> Quorum edendorum facultatem pater tuus Satanas tibi suppeditat
> Per Angelicam virtutem Azazelis,
> Ut qui te nefariæ atque impiæ versutiæ præcursorem nactus sit.

Atque hæc quidem verba in te torsit pius senex. Nos vero reliqua eorum mysteria, quæ longa sunt, brevi oratione

complecti, et quæ diuturno tempore occultata sunt, in lucem proferre conabimur. Sic enim facile ab omnibus refelli poterunt.

Equidem[1] non dubito, vir charissime, quin tu cum hæc leges, hujusmodi ipsorum falsa sapientiæ opinione sese venditantem stultitiam effuse risurus sis. Æquum est autem eos lugere qui talem Dei cultum, vereque ineffabilis potentiæ magnitudinem, totque ac tantas Dei administrationes per alpha et beta, ac per numeros adeo frigide et contorte lacerant. Ii autem omnes qui ab Ecclesia abscedunt, atque anilibus hisce fabulis fidem arrogant, vere ipsimet a se condemnati sunt : quos Paulus nobis post unam atque alteram admonitionem vitandos esse præcipit[2]. Joannes vero, Domini discipulus, condemnationem eorum auxit, ut qui ne ipsis quidem salutem a nobis dici velit. « Qui enim, inquit, » dicit eis, Ave, communicat operibus eorum malis[3]. » Idque haud sane abs re. « Non enim est salus impiis, dicit » Dominus[4]. » Impii enim, imo omni impietate sceleratiores isti sunt, qui cœli ac terræ conditorem, solum Deum omnipotentem, præter quem Deus alius nullus est, ex defectu, eoque ex alio defectu orto, productum esse dicunt : ita ut, de eorum mente ac sententia, a tertio defectu ortum traxerit. Quam quidem sententiam profecto exsufflare et exsecrari debemus, proculque ab eis fugere; quoque asseverantius loquuntur, atque inventis suis impensius oblectantur, eo magis persuasum habere eos a malorum spirituum ogdoade vehementius afflari. Quemadmodum enim iiqui in phrenesim inciderunt, quo effusius rident, ac valere se existimant, atque ut sani omnia faciunt, nonnulla etiam supra quam sani, eo gravius ac periculosius ægrotant : ad eumdem modum hi quoque, quo magis insigni

[1] Cap. xvi, n. 3.
[2] Tit. iii, 10. — [3] 2 Joan. 11. — [4] Esai. xlviii, 22.

quadam sapientia pollere sibi videntur, seque ipsos enervant, dum arcu immodice contento jaculantur, tanto magis desipiunt. Egressus enim immundus ignorantiæ spiritus, ac postea eos, non Deo, sed mundanis quæstionibus occupatos nactus, assumptis septem aliis spiritibus nequioribus se, eorumque animo, quasi quæ supra Deum sint cogitatione comprehendere queant, intumefacto, atque apte ad suscipiendam fraudem comparato, malorum ignorantiæ spirituum ogdoadem in eos immisit.

6° Quis sit autem apud hæreticos redemptionis modus sic exponit[1] :

Porro redemptionis traditionem invisibilem ipsis atque incomprehensibilem esse contigit : ut quæ eorum parens sit, quæ nec comprehendi, nec oculis conspici queunt. Ac proinde, cum incerta et instabilis sit, fieri non potest ut uno ac simplici sermone a me exponatur : quandoquidem unusquisque eorum pro libitu suo eam tradit. Quot enim sunt hujus sententiæ doctores, tot etiam sunt redemptiones. Et quidem quod ad baptismi illius, per quem ad Deum regeneramur, inficiationem, totiusque adeo fidei *abjectionem*, hoc genus a Satana suggestum sit, cum ad eorum dogmata refellenda ventum erit, suo loco referemus.

Aiunt autem hanc iis qui perfectam cognitionem consecuti sunt, necessariam esse, ut in eam virtutem quæ supra omnia eminet regenerentur; aliter fieri enim non posse ut cuiquam aditus ad Pleroma pateat, quippe cum ea sit quæ usque ad intimum Bythi sinum eos detrudat : etenim per conspicui quidem Jesu baptismum peccata remitti, per Christi autem, qui in eum descenderit, redemptionem, perfectionem comparari. Illum item animalem, hanc spiritualem esse statuunt. Ac baptismum quidem a Joanne ad

[1] Cap. XXI.

œnitentiam annuntiatum; redemptionem vero a Jesu onsequendæ perfectionis causa allatam : eoque spectare d quod ait : « Baptismo alio habeo baptizari, et ad eum magnopere festino[1]. » Quin etiam Zebedæi filiis, cum nater eorum ab ipso contenderet ut eos secum in regno, lterum a dextris, alterum a sinistris collocaret, Dominum anc redemptionem adjunxisse, cum dixit : « Potestis baptismo eo baptizari, quo ego baptizandus sum[2]? » Paulum tiam expresso vocabulo eam, quæ in Christo Jesu est, reemptionem persæpe indicasse, hancque eam esse quæ ab sis varie dissentienterque traditur.

Nonnulli enim ipsorum nuptiale cubiculum exstruunt, c mysticum munus cum profanorum quorumdam verboım pronuntiatione obeunt iis quos initiant, spiritualesie nuptias id quod agunt appellant, ad supernorum congiorum similitudinem. Alii ad aquam eos ducunt, atque ter baptizandum his verbis utuntur : « In nomine ignoti Patris universorum, in veritate matre omnium, in eo qui in Jesum descendit, in unione, et redemptione, et communione virtutum. » Alii rursus Hebraica quædam vocaula, quo magis eos quos initiant in stuporem trahant, l hunc modum effantur : « Basema, Chamassi, Baænaora, Mystadia, Ruada, Cusia, Babephor, Calathi. » Quorum erborum hæc est interpretatio : « Id quod virtutem omnem exsuperat invoco, quod lux, et Spiritus bonus, et vita nominatur : quia in corpore regnasti. » Sunt rursus ui redemptionem his verbis efferant : « Nomen quod absconditum est ab omni Deitate, et Dominatione, et veritate, quod induit Jesus Nazarenus in vitis luminis Christi Domini, viventis per Spiritum sanctum, in redemptionem Angelicam. » Nomen restitutionis in integrum : « Messia Uphareg, Namamsæman, Chaldæam, Mosomedæa, Ac-

[1] Luc. XII, 50. — [2] Marc. X, 38.

» phranæ, Psana, Jesu Nazaria. » Quorum item verborum hujusmodi est interpretatio : « Non divido spiritum, nec » cor, nec super cœlestem virtutem, quæ misericordia prædita est : utinam fruar nomine tuo, Salvator veritatis. » Atque hæc quidem profantur qui initiant : qui autem initiatus est, respondet : « Confirmatus et redemptus sum, ac » redimo animam meam ab hoc sæculo, et omnium quæ » ab eo sunt, in nomine Jao, qui redemit animam suam in » redemptionem, in Christo vivente. » Ac postea ii qui adsunt his verbis utuntur : « Pax omnibus super quos hoc » nomen requiescit. » Tum autem eum qui initiatus est opobalsamo inungunt. Hoc enim unguentum fragrantiæ illius quæ omnia exsuperat, typum esse aiunt.

Sunt etiam ex ipsis, qui eos quidem ad aquam adducere supervacaneum esse dicant; oleo autem et aqua una permistis, cum vocibus quibusdam iis quæ ante a nobis commemoratæ sunt, haud dissimilibus, in eorum quos initiant, caput injiciunt : idque redemptionem esse volunt. Atque ipsi quoque balsamum adhibent. Alii vero hæc omnia improbantes ac repudiantes, ineffabilis et invisibilis virtutis mysterium per creaturas in aspectum cadentes, interituique obnoxias, et eorum quæ in cogitationem non cadunt corporisque expertia sunt, per ea quæ sensibilia et corporea sunt, peragendum esse negant : perfectamque redemptionem in ineffabilis Magnitudinis agnitione positam esse censent. Nam cum et defectus et passio ex ignoratione profluxerint, quidquid ex ignoratione coagmentatum fuerit, per cognitionem deleri; ac proinde nihil aliud esse cognitionem, quam interni hominis redemptionem. Nec vero corporalem hanc esse, cum corpus interitui sit obnoxium, nec animalem, cum anima ex defectu orta sit, sitque tanquam spiritus domicilium : quocirca spiritualem esse redemptionem oportere. Per cognitionem enim internum ac

spiritualem hominem redimi aiunt, seque rerum universarum cognitionem adeptos, nihil præterea requirere : atque hanc veram redemptionem esse.

Sunt alii qui jam jamque ex hac vita excessuros rediimant, oleum aquæ immistum in eorum capita injicientes, una cum iis invocationibus quas superius commemoravimus. Quod quidem eo faciunt, ut a superioribus Principatibus et Potestatibus apprehendi et teneri nequeant, atque ut internus eorum homo invisibili modo ulterius ascendat : perinde nimirum ac corpora eorum inter res conditas relinquantur. Jubent autem eos, cum ad Principatus ac Potestates venerint, his verbis uti : « Ego filius a Patre, Patre, » inquam, præexistente, filius autem in eo qui præexistit. » Veni ut tam mea quam aliena cernerem : quamquam non » etiam prorsus aliena, sed Achamoth, quæ femina est, at» que hæc in usum suum effecit. Genus autem duco a præ» existente : ac rursus ad mea me confero, unde veni. » Atque hac oratione habita, eum Potestates effugere aiunt : ac deinde ad Demiurgum proficisci, eumque his verbis convenire. « Vas sum præstantius quam femina ea quæ vos » procreavit. Si mater vestra radicem suam ignorat, ego » meipsum novi, ac exploratum habeo unde venerim : at» que incorruptibilis Sapientiæ opem imploro, quæ est in » Patre, materque vestræ parentis, quæ patris est expers, » ac ne conjugem quidem masculum habet : verum femina » ex femina orta vos effecit, matrem etiam suam ignorans, » seque solam esse existimans. Ego vero ipsius matrem im» ploro atque obtestor. » Hoc autem cum Demiurgus audierit, magnopere perturbari, radicemque suam et matris genus incusare. Ipsum autem ad sua proficisci, projecto suo vinculo, et Angelo, hoc est, anima. Et de redemptione quidem hæc sunt quæ ad nos devenerunt.

7° Ostendit regulam veritatis ex qua deflectun: hæretici [1] :

Interpretatio vetus.

Cum teneamus nos regulam veritatis, id est, quia si: unus Deus omnipotens, qui omnia condidit per Verbum suum, et aptavit, et fecit ex eo quod non erat, ad hoc u: sint omnia, quemadmodum Scriptura dicit : « Verbo enim » Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis vir» tus eorum [2]; » et iterum : « Omnia per ipsum facta sur » et sine ipso factum est nihil [3] » (ex omnibus autem nihil su: tractum est; sed omnia per ipsum fecit Pater, sive visibil: sive invisibilia, sive sensibilia, sive intelligibilia, sive temporalia propter quamdam dispositionem, sive sempitern, et æonia) : non per Angelos, neque per Virtutes aliquas abscissas ab ejus sententia; nihil enim indiget omnium Deus: sed et per Verbum et Spiritum suum omnia faciens, et disponens, et gubernans, et omnibus esse præstans: hic qui mundum fecit (etenim mundus ex omnibus), hic qui hominem plasmavit, hic Deus Abraham, et Deus Isaac, Deus Jacob, super quem alius Deus non est, neque tium, neque Virtus, neque Pleroma : hic Pater Domini n tri Jesu Christi, quemadmodum ostendemus : hanc er tenentes regulam, licet valde varia et multa dicant, fac: eos deviasse a veritate arguimus. Omnes enim fere quotqu sunt hæreses, Deum quidem unum dicunt, sed per sententiam malam immutant, ingrati existentes ei qui fecit eos quemadmodum et gentes per idololatriam. Plasma autem Dei contemnunt, contradicentes suæ saluti, ipsi sui accusatores amarissimi, et falsi testes existentes. Qui quidem resurgent in carne, licet nolint, uti agnoscant virtutem susci

[1] Cap. xxii.
[2] Psal. xxxii, 6. — [3] Joan. i, 3.

tantis eos a mortuis : cum justis autem non annumerabuntur, propter incredulitatem suam.

Cum sit igitur adversus omnes hæreticos detectio atque convictio varia et multifaria, et nobis propositum est omnibus iis secundum ipsorum charactera contradicere; necessarium arbitrati sumus prius referre fontem et radicem eorum, uti sublimissimum ipsorum Bythum cognoscens, intelligas arborem de qua defluxerunt tales fructus.

§ III.

SIMONIS MAGI ET MENANDRI SENTENTIA ET MORES[1].

Simon enim Samarites, magus ille, de quo discipulus et sectator Apostolorum Lucas ait : « Vir quidam autem nomine Simon, qui ante erat in civitate magicam exercens artem, et seducens gentem Samaritanorum, dicens se esse aliquem magnum, quem auscultabant a pusillo usque ad magnum, dicentes : Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. Intuebantur autem eum, propter quod multo tempore magicis suis dementasset eos[2]. » Hic igitur Simon, qui fidem simulavit, putans Apostolos et ipsos sanitates per magicam et non virtute Dei perficere, et per impositionem manuum Spiritu sancto adimplere credentes Deo per eum qui ab ipsis evangelizatur Christus Jesus, per majorem quamdam magicam scientiam et hoc suspicans fieri, et offerens pecuniam Apostolis, ut acciperet et ipse hanc potestatem quibuscumque velit dandi Spiritum sanctum, audivit Petro : « Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri : non est tibi pars, neque sors in sermone hoc : cor enim tuum non est rectum coram Deo. In felle enim amaritudinis, et obligatione

[1] Cap. XXIII.
[2] Act. VIII, 9 et seqq.

» injustitiæ video te esse[1]. » Et cum adhuc magis n credidisset Deo, et cupidus intendit contendere adver Apostolos, uti et ipse gloriosus videretur esse, et univers magicam adhuc amplius scrutans, ita ut in stuporem geret multos hominum : quippe cum esset sub Clau Cæsare, a quo etiam statua honoratus esse dicitur prop magicam. Hic igitur a multis quasi deus glorificatus est docuit semetipsum esse, qui inter Judæos quidem q Filius apparuerit, in Samaria autem quasi Pater descen rit, in reliquis vero gentibus quasi Spiritus sanctus adv taverit. Esse autem se sublimissimam virtutem, hoc e eum qui sit super omnia Pater, et sustinere vocari se qu cumque eum vocant homines.

Simon autem Samaritanus, ex quo universæ hæreses su stiterunt, habet hujusmodi sectæ materiam. Hic Helena quamdam ipse a Tyro civitate Phœnices quæstuariam cu redemisset, secum circumducebat, dicens hanc esse pri mam mentis ejus conceptionem, matrem omnium, per quam initio mente concepit Angelos facere, et Archangelos. Hanc enim Ennoiam exsilientem ex eo, cognoscentem quæ vel pater ejus, degredi ad inferiora, et generare Angelos, et P testates, a quibus et mundum hunc factum dixit. Post quam autem generavit eos, hæc detenta est ab ipsis pro ter invidiam, quoniam nollent progenies alterius cujusdam putari esse. Ipsum enim se in totum ignoratum ab ipsis Ennoiam autem ejus detentam ab iis quæ ab ea emiss sunt Potestates, et Angeli; et omnem contumeliam ab i passam, uti non recurreret sursum ad suum patrem, usq adeo ut et in corpore humano includeretur, et per sæcu veluti de vase in vas transmigraret in altera muliebria co pora. Fuisse autem eam et in illa Helena, propter qu Trojanum contractum est bellum : quapropter et Stesich

[1] Act. VIII, 20 et seqq.

rum per carmina maledicentem eam, orbatum oculis : post deinde pœnitentem et scribentem eas quæ vocantur palinodias, in quibus hymnizavit eam, rursus vidisse. Transmigrantem autem eam de corpore in corpus, ex eo et semper contumeliam sustinentem, in novissimis etiam in fornice prostitisse : et hanc esse perditam ovem.

Quapropter et ipsum venisse, uti eam assumeret primam, et liberaret eam a vinculis, hominibus autem salutem præstaret per suam agnitionem. Cum enim male moderarentur Angeli mundum, quoniam unusquisque eorum concupisceret principatum, ad emendationem venisse rerum, et descendisse eum transfiguratum, et assimilatum Virtutibus, et Potestatibus, et Angelis : ut et in hominibus homo appareret ipse, cum non esset homo; et passum autem in Judæa putatum, cum non esset passus. Prophetas autem a mundi fabricatoribus Angelis inspiratos dixisse prophetias : quapropter nec ulterius curarent eos hi qui in eum et in Helenam ejus spem habeant, et ut liberos agere quæ velint : secundum enim ipsius gratiam salvari homines, sed non secundum operas justas. Nec enim esse naturaliter operationes justas, sed ex accidenti; quemadmodum posuerunt qui mundum fecerunt Angeli, per hujusmodi præcepta in servitutem deducentes homines. Quapropter et solvi mundum, et liberari eos qui sunt ejus, ab imperio eorum qui mundum fecerunt, repromisit.

Igitur horum mystici sacerdotes libidinose quidem vivunt, magias autem perficiunt, quemadmodum potest unusquisque ipsorum. Exorcismis et incantationibus utuntur. Amatoria quoque et agogima, et qui dicuntur paredri et oniropompi, et quæcumque sunt alia perierga apud eos studiose exercentur. Imaginem quoque Simonis habent factam ad figuram Jovis, et Helenæ in figuram Minervæ; et eas adorant : habent quoque et vocabulum a principe im-

piissimæ sententiæ Simone vocati Simoniani, a quibus fal nominis scientia accepit initia, sicut ex ipsis assertionib eorum adest discere.

Hujus successor fuit Menander, Samarites genere, qui ipse ad summum magiæ pervenit. Qui primam quidem Vi tutem incognitam ait omnibus; se autem eum esse q missus sit ab invisibilibus Salvatorem pro salute hominu Mundum autem factum ab Angelis; quos et ipse, similit ut Simon, ab Ennoia emissos dicit. Dare quoque per eau quæ a se doceatur, magiam, scientiam ad id, ut et ips qui mundum fecerunt, vincat Angelos. Resurrectione enim per id quod est in eum baptisma, accipere eju discipulos, et ultra non posse mori, sed perseverare ne senescentes et immortales.

§ IV.

DE SATURNINO ET BASILIDE[1].

Ex iis Saturninus, qui fuit ab Antiochia ea quæ est ap Daphnen, et Basilides, occasiones accipientes, distantes d trinas ostenderunt; alter quidem in Syria, alter vero in xandria. Saturninus quidem, similiter ut Menander, Patrem incognitum omnibus ostendit, qui fecit Angelos, changelos, Virtutes, Potestates. A septem autem quibus Angelis mundum factum, et omnia quæ in eo. Hominem tem Angelorum esse facturam, desursum a summa potest lucida imagine apparente, quam cum tenere non potuissent inquit, eo quod statim recurrerit sursum, adhortati sunt metipsos, dicentes : « Faciamus hominem ad imaginem » similitudinem : » qui cum factus esset, et non potuisse erigi plasma, propter imbecillitatem Angelorum, sed quasi vermiculus scarizaret, miserantem ejus desuper Virtutem

[1] Cap. XXIV.

quoniam in similitudinem ejus esset factus, emisisse scintillam vitæ, quæ erexit hominem, et articulavit, et vivere fecit. Hanc igitur scintillam vitæ post defunctionem recurrere ad ea quæ sunt ejusdem generis, dicit : et reliqua ex quibus facta sunt illa resolvi.

Salvatorem autem innatum demonstravit, et incorporalem, et sine figura, putative autem visum hominem : et Judæorum Deum unum ex Angelis esse dixit. Et propter hoc quod dissolvere voluerint Patrem ejus omnes Principes, advenisse Christum ad destructionem Judæorum Dei, et ad salutem credentium ei; esse autem hos qui habent scintillam vitæ ejus. Duo enim genera hic primus hominum plasmata esse ab Angelis dixit, alterum quidem nequam, alterum autem bonum. Et quoniam dæmones pessimos adjuvant, venisse Salvatorem ad dissolutionem malorum hominum, et dæmoniorum, ad salutem autem bonorum. Nubere autem et generare, a Satana dicunt esse. Multi autem ex iis qui sunt ab eo, et ab animalibus abstinent, per fictam hujusmodi continentiam seducentes multos. Prophetias autem quasdam quidem ab iis Angelis qui mundum fabricaverint, dictas; quasdam autem a Satana : quem et ipsum Angelum adversarium mundi fabricatoribus ostendit, maxime autem Judæorum Deo.

Basilides autem, ut altius aliquid et verisimilius invenisse videatur, in immensum extendit sententiam doctrinæ suæ, ostendens Nun primo ab innato natum Patre, ab hoc autem natum Logon, deinde a Logo Phronesin, a Phronesi autem Sophiam et Dynamin, a Dynami autem et Sophia Virtutes, et Principes, et Angelos, quos et primos vocat, et ab iis primum cœlum factum. Dehinc ab horum derivatione alios autem factos, aliud cœlum simile priori fecisse, et simili modo ex eorum derivatione cum alii facti essent, antitypi eis qui super eos essent, aliud tertium deformasse

cœlum : et a tertio deorsum descendentium quartum, et deinceps secundum eum modum alteros et alteros Principes et Angelos factos esse dicunt, et cœlos CCCLXV. Quapropter et tot dies habere annum, secundum numerum cœlorum.

Eos autem qui posterius continent cœlum, Angelos, quod etiam a nobis videtur, constituisse ea quæ sunt in mundo omnia, et partes sibi fecisse terræ, et earum quæ super eam sunt gentium. Esse autem principem ipsorum eum qui Judæorum putatur esse Deus. Et quoniam hic suis hominibus, id est, Judæis, voluit subjicere reliquas gentes, reliquos omnes Principes contra stetisse ei et contraegisse. Quapropter et reliquæ resiluerunt gentes ejus genti. Innatum autem et innominatum Patrem, videntem perditionem ipsorum, misisse primogenitum Nun suum (et hunc esse qui dicitur Christus), in libertatem credentium ei, a potestate eorum qui mundum fabricaverunt. Et gentibus ipsorum autem apparuisse eum in terra hominem, et virtutes perfecisse. Quapropter neque passum eum, sed Simonem quemdam Cyrenæum angariatum portasse crucem ejus pro eo : et hunc secundum ignorantiam et errorem crucifixum, transfiguratum ab eo, uti putaretur ipse esse Jesus : et ipsum autem Jesum Simonis accepisse formam, et stantem irrisisse eos. Quoniam enim virtus incorporalis erat, et Nus innati Patris, transfiguratum quemadmodum vellet, et sic ascendisse ad eum qui miserat eum, deridentem eos, cum teneri non posset, et invisibilis esset omnibus. Et liberatos igitur eos qui hæc sciant, a mundi fabricatoribus Principibus : et non oportere confiteri eum qui sit crucifixus, sed eum qui in hominis forma venerit, et putatus sit crucifixus, et vocatus sit Jesus, et missus a Patre, uti per dispositionem hanc opera mundi fabricatorum dissolveret. Si quis igitur, ait, confitetur crucifixum, adhuc

hic servus est, et sub potestate eorum qui corpora fecerunt: qui autem negaverit, liberatus est quidem ab iis, cognoscit autem dispositionem innati Patris.

Animæ autem solæ esse salutem: corpus enim natura corruptibile existit. Prophetias autem et ipsas a mundi fabricatoribus fuisse ait Principibus, proprie autem Legem a Principe ipsorum, qui eduxerit populum de terra Ægypti. Contemnere autem et idolothyta, et nihil arbitrari, sed sine aliqua trepidatione uti eis: habere autem et reliquarum operationum usum indifferentem, et universæ libidinis. Utuntur autem et hi magia, et imaginibus, et incantationibus, et invocationibus, et reliqua universa periergia: nomina quoque quædam affingentes quasi Angelorum, annuntiant hos quidem esse in primo cœlo, hos autem in secundo: et deinceps nituntur CCCLXV ementitorum cœlorum et nomina, et principia, et Angelos, et Virtutes exponere. Quemadmodum et mundus nomen esse, in quo dicunt descendisse et ascendisse Salvatorem, esse Caulacau.

Igitur qui hæc didicerit, et Angelos omnes cognoverit, et causas eorum, invisibilem et incomprehensibilem eum Angelis et Potestatibus universis fieri, quemadmodum et Caulacau fuisse. Et sicut filium incognitum omnibus esse, sic et ipsos a nemine oportere cognosci; sed cum sciant ipsi omnes, et per omnes transeant, ipsos omnibus invisibiles et incognitos esse. Tu enim, aiunt, omnes cognosce, te autem nemo cognoscat. Quapropter et parati sunt ad negationem, qui sunt tales, imo magis ne pati quidem propter nomen possunt, cum sint omnibus similes. Non autem multos scire posse hæc, sed unum a mille, et duo a myriadibus. Et Judæos quidem jam non esse dicunt, Christianos autem nondum: et non oportere omnino ipsorum mysteria effari, sed in abscondito continere per silentium.

Trecentorum autem sexaginta quinque cœlorum locales

positiones distribuunt similiter ut Mathematici. Illorum enim theoremata accipientes, in suum characterem doctrinæ transtulerunt : esse autem Principem illorum Ἀβράξας et propter hoc CCCLXV numeros habere in se.

§ V.

DE CARPOCRATE[1].

Carpocrates autem et qui ab eo, mundum quidem, et ea quæ in eo sunt, ab Angelis multo inferioribus ingenito Patre factum esse dicunt. Jesum autem e Joseph natum, et cum similis reliquis hominibus fuerit, distasse a reliquis secundum id, quod anima ejus firma et munda cum esset, commemorata fuerit quæ visa essent sibi in ea circumlatione, quæ fuisset ingenito Deo : et propter hoc ab eo missam esse ei virtutem, uti mundi fabricatores effugere posset, et per omnes transgressa, et in omnibus liberata, ascenderet ad eum ; et eas quæ similia ei amplecterentur, similiter. Jesu autem dicunt animam in Judæorum consuetudine nutritam contempsisse eos, et propter hoc virtutes accepisse, per quas evacuavit quæ fuerunt in pœnis passiones, quæ inerant hominibus.

Eam igitur quæ, similiter atque illa Jesu anima, potest contemnere mundi fabricatores Archontas, similiter accipere virtutes ad operandum similia. Quapropter et ad tantum elationis provecti sunt, ut quidam quidem similes se dicant Jesu, quidam autem adhuc et secundum aliquid illo fortiores, qui sunt distantes amplius quam illius discipuli, ut puta quam Petrus et Paulus et reliqui Apostoli : hos autem in nullo deminorari a Jesu. Animas enim ipsorum ex eadem circumlatione devenientes, et ideo similiter contemnentes mundi fabricatores, eadem dignas habitas

[1] Cap. XXV.

esse virtute, et rursus in idem abire. Si quis autem plus quam ille contempserit ea quæ sunt hic, posse meliorem quam illum esse.

Artes enim magicas operantur et ipsi, et incantationes, philtra quoque et charitesia, et paredros, et oniropompos, et reliquas malignationes, dicentes se potestatem habere ad dominandum jam Principibus et fabricatoribus hujus mundi; non solum autem, sed et his omnibus quæ in eo sunt facta. Qui et ipsi ad detractionem divini Ecclesiæ nominis, quemadmodum et Gentes, a Satana præmissi sunt, uti secundum alium et alium modum, quæ sunt illorum audientes homines, et putantes omnes nos tales esse, avertant aures suas a præconio veritatis; aut et videntes quæ sunt illorum, omnes nos blasphement, in nullo eis communicantes, neque in doctrina, neque in moribus, neque in quotidiana conversatione. Sed vitam quidem luxuriosam, sententiam autem impiam ad velamen malitiæ ipsorum nomine abutuntur, *quorum judicium justum est* [1], recipientium dignam suis operibus a Deo retributionem.

Et in tantam insaniam effrenati sunt, uti et omnia quæcumque sunt irreligiosa et impia in potestate habere, et operari se dicant. Sola enim humana opinione negotia mala et bona dicunt. Et utique secundum transmigrationes in corpora oportere in omni vita et in omni actu fieri animas (si non præoccupans quis in uno adventu omnia agat semel ac pariter, quæ non tantum dicere et audire non est fas nobis, sed ne quidem in mentis conceptionem venire, nec credere si apud homines conversantes in his quæ sunt secundum nos civitates, tale aliquid agitatur) : uti, secundum quod scripta eorum dicunt, in omni usu vitæ factæ animæ ipsorum, exeuntes in nihilo adhuc minus habeant ad operandum (autem) in eo : ne forte, propterea quod deest li-

[1] Rom. III, 8.

bertati aliqua res, cogantur iterum mitti in corpus. Propt
hoc dicunt Jesum hanc dixisse parabolam : « Cum es cu
» adversario tuo in via, da operam ut libereris ab eo, n
» forte te det judici, et judex ministro, et mittat te in carc
» rem. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novis-
» mum quadrantem [1]. » Et adversarium dicunt unum ex A
gelis qui sunt in mundo, quem diabolum vocant, dicent
factum eum ad id, ut ducat eas quæ perierunt anim
mundo ad Principem (et hunc dicunt esse primum
mundi fabricatoribus); et illum alterum Angelo qui m
trat ei tradere tales animas, uti in alia corpora includ
corpus enim dicunt esse carcerem. Et id quod ait : « N
» exies inde, quoadusque novissimum quadrantem redda
interpretantur, quasi non exeat quis a potestate Angelor
eorum qui mundum fabricaverunt; sic transcorporari
semper, quoadusque in omni omnino operatione quæ
mundo est, fiat : et cum nihil defuerit ei, tum liberatam
ejus animam elevari ad illum Deum qui est supra Ange-
los mundi fabricatores. Sic quoque salvari et omnes an
mas, sive ipsæ præoccupantes in uno adventu in omnib
misceantur operationibus, sive de corpore in corpus tr
migrantes, vel immissæ in unaquaque specie vitæ, adim
tes et reddentes debita liberari, uti jam non faciant in c
pore.

Et si quidem fiant hæc apud eos, quæ sunt irreligi
et injusta, et vetita, ego nequaquam credam. In conscr
tionibus autem illorum sic conscriptum est, et ipsi ita ex
nunt; Jesum dicentes in mysterio discipulis suis et Ap
stolis seorsum locutum, et illos expostulasse, ut digni
assentientibus seorsum hæc traderent. Per fidem enim
charitatem salvari : reliqua vero, indifferentia cum sit
secundum opinionem hominum quædam quidem bo

[1] Luc. xii, 58, et Matth. v, 25.

quædam autem mala vocari, cum nihil natura malum sit.

Alii vero ex ipsis signant, cauteriantes suos discipulos in posterioribus partibus exstantiæ dextræ auris. Unde et Marcellina, quæ Romam sub Aniceto venit, cum esset hujus doctrinæ, multos exterminavit. Gnosticos se autem vocant: et imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem et de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Christi factam a Pilato, illo in tempore quo fuit Jesus cum hominibus. Et has coronant, et proponunt eas cum imaginibus mundi Philosophorum, videlicet cum imagine Pythagoræ, et Platonis, et Aristotelis, et reliquorum; et reliquam observationem circa eas, similiter ut Gentes, faciunt.

§ VI.

DE CERINTHO, EBIONITIS ET NICOLAITIS[1].

Et Cerinthus autem quidam in Asia, non a primo Deo factum esse mundum docuit, sed a Virtute quadam valde separata, et distante ab ea principalitate quæ est super universa, et ignorante eum qui est super omnia, Deum. Jesum autem subjecit, non ex virgine natum (impossibile enim hoc ei visum est); fuisse autem eum Joseph et Mariæ filium, similiter ut reliqui omnes homines, et plus potuisse justitia, et prudentia, et sapientia ab hominibus. Et post baptismum descendisse in eum, ab ea principalitate quæ est super omnia, Christum figura columbæ; et tunc annuntiasse incognitum Patrem, et virtutes perfecisse: in fine autem revolasse iterum Christum de Jesu, et Jesum passum esse, et resurrexisse; Christum autem impassibilem perseverasse, existentem spiritualem.

Qui autem dicuntur Ebionæi, consentiunt quidem mundum a Deo factum: ea autem quæ sunt erga Dominum,

[1] Cap. XXVI.

non similiter ut Cerinthus et Carpocrates opinantur. Sed autem eo quod est secundum Matthæum Evangelio utuntur, et Apostolum Paulum recusant, apostatam eum Legis dicentes. Quæ autem sunt prophetica, curiosius exponere nituntur; et circumciduntur, ac perseverant in his consuetudinibus quæ sunt secundum Legem, et Judaico charactere vitæ, uti et Hierosolymam adorent, quasi domus sit Dei.

Nicolaitæ autem magistrum quidem habent Nicolaum unum ex septem qui primi ad Diaconium ab Apostolis ordinati sunt : qui indiscrete vivunt. Plenissime autem per Joannis Apocalypsin manifestantur qui sint, nullam differentiam esse docentes in mœchando et idolothyton edere. Quapropter dixit et de iis sermo : « Sed hoc habes quod » odisti opera Nicolaitarum, quæ et ego odi [1]. »

§ VII.

DE CERDONE ET MARCIONE [2].

Et Cerdon autem quidam ab iis qui sunt erga Simonem occasionem accipiens, cum venisset Romam sub Hygino qui octavum locum episcopatus per successionem ab Apostolis habuit, docuit eum qui a Lege et Prophetis annuntiatus sit Deus, non esse patrem Domini nostri Christi Jesu. Hunc enim cognosci, illum autem ignorari : et alterum quidem justum, alterum autem bonum esse.

Succedens autem ei Marcion Ponticus, adampliavit doctrinam, impudorate blasphemans eum qui a Lege et Prophetis annuntiatus est Deus; malorum factorem, et bellorum concupiscentem, et inconstantem quoque sententia, et contrarium sibi ipsum dicens. Jesum autem ab eo Patre,

[1] Apoc. II, 6.
[2] Cap. XXVII.

qui est super mundi fabricatorem Deum, venientem in Judæam temporibus Pontii Pilati præsidis, qui fuit procurator Tiberii Cæsaris, in hominis forma manifestatum his qui in Judæa erant, dissolventem Prophetas, et Legem, et omnia opera ejus Dei qui mundum fecit, quem et Cosmocratorem dicit. Et super hæc, id quod est secundum Lucam Evangelium circumcidens, et omnia quæ sunt de generatione Domini conscripta auferens, et de doctrina sermonum Domini multa auferens, in quibus manifestissime conditorem hujus universitatis suum Patrem confitens Dominus conscriptus est, semetipsum esse veraciorem quam sunt hi qui Evangelium tradiderunt, Apostoli, suasit discipulis suis; non Evangelium, sed particulam Evangelii tradens eis. Similiter autem et Apostoli Pauli Epistolas abscidit, auferens quæcumque manifeste dicta sunt ab Apostolo de eo Deo qui mundum fecit, quoniam hic Pater Domini nostri Jesu Christi, et quæcumque ex propheticis memorans Apostolus docuit prænuntiantibus adventum Domini.

Salutem autem solum animarum esse futuram, earum quæ ejus doctrinam didicissent; corpus autem, videlicet quoniam a terra sit sumptum, impossibile esse participare salutem. Super blasphemiam autem quæ est in Deum, adjecit et hoc, vere Diaboli os accipiens, et omnia contraria dicens veritati: Cain, et eos qui similes sunt ei, et Sodomitas, et Ægyptios, et similes eis, et omnes omnino gentes quæ in omni permixtione malignitatis ambulaverunt, salvatas esse a Domino, cum descendisset ad inferos et accucurrissent ei, et in suum assumpsisse regnum: Abel autem, et Enoch, et Noe, et reliquos justos, et eos qui sunt erga Abraham patriarcham, cum omnibus Prophetis, et his qui placuerunt Deo, non participasse salutem, qui in Marcione fuit serpens præconavit. Quoniam enim sciebant, inquit, Deum suum semper tentantem eos, et tunc tentare eum

suspicati, non accucurrerunt Jesu, neque crediderunt annuntiationi ejus : et propterea remansisse animas eorum apud inferos dixit.

Sed huic quidem, quoniam et solus manifeste ausus est circumcidere Scripturas, et impudorate super omnes obtrectare Deum, seorsum contradicemus, ex ejus scriptis arguentes eum; et ex iis sermonibus qui apud eum observati sunt, Domini et Apostoli, quibus ipse utitur, eversionem ejus faciemus, præstante Deo. Nunc autem necessario meminimus ejus, ut scires quoniam omnes qui quoquo modo adulterant veritatem, et præconium Ecclesiæ lædunt, Simonis Samaritani magi discipuli et successores sunt. Quamvis non confiteantur nomen magistri sui, ad seductionem reliquorum; attamen illius sententiam docent : Christi quidem Jesu nomen tanquam irritamentum proferentes, Simonis autem impietatem varie introducentes, mortificant multos per nomen bonum sententiam suam male disperdentes, et per dulcedinem et decorem nominis, amarum et malignum principis apostasiæ serpentis venenum porrigentes eis.

§ VIII.

DE TATIANO, ET CONTINENTIBUS, AC ALIIS QUIBUSDAM[1]

Ab his autem qui prædicti sunt, jam multæ propagines multarum hæresum factæ sunt, eo quod multi ex ipsis, imo omnes velint doctores esse, et abscedere quidem a hæresi in qua fuerunt; aliud autem dogma ab alia sententia, et deinceps alteram ab altera componentes, novum docere insistunt, semetipsos adinventores sententiæ, quamcumque compegerint, enarrantes. Ut exempli gratia dicamus : a Saturnino et Marcione, qui vocantur Continentes, abstinentiam a nuptiis annuntiaverunt, frustrantes an

[1] Cap. XXVIII.

nam plasmationem Dei, et oblique accusantes eum, qui t masculum et feminam ad generationem hominum fecit : t eorum quæ dicuntur apud eos animalia, abstinentiam induxerunt, ingrati existentes ei, qui omnia fecit, Deo. Contradicunt quoque ejus saluti, qui primus plasmatus est : et hoc nunc adinventum est apud eos, Tatiano quodam primo hanc introducente blasphemiam. Qui cum esset Justini auditor, in quantum quidem apud eum erat, nihil enarravit tale ; post vero illius martyrium absistens ab Ecclesia, et præsumptione magistri elatus et inflatus, quasi præ cæteris esset, proprium characterem doctrinæ constituit : Æonas quosdam invisibiles, similiter atque hi qui a Valentino sunt, velut fabulam enarrans : nuptiarum autem corruptelas et fornicationes, similiter ut Marcion et Saturninus, dicens ; Adæ autem saluti ex se contradictionem faciens.

Alii autem rursus, a Basilide et Carpocrate occasiones accipientes, indifferentes coitus, et multas nuptias induxerunt, et negligentiam ipsorum quæ sunt idolothyta, ad manducandum ; non valde hæc curare dicentes Deum. Et quid enim? non est numerum dicere eorum qui secundum alterum et alterum modum exciderunt a veritate.

§ IX.

DE VARIIS GNOSTICORUM SECTIS[1].

Hic Barbeliotarum seu Borborianorum, necnon et Ophitarum et Sethianorum et Cajanorum deliramenta exponit, quæ cum portentosa sint et absurda, ridiculisque conjugationibus ac generationibus immorentur, silentio prætermittuntur.

Hæc tantum de Cajanis rescribemus :

[1] Cap. XXIX, XXX et XXXI.

Alii autem rursus Cain a superiore principalitate dicunt; et Esaü, et Core, et Sodomitas, et omnes tales cognatos suos confitentur; et propter hoc a factore impugnatos, neminem ex eis male acceptos. Sophia enim illud quod proprium ex ea erat, abripiebat ex eis ad semetipsam. Et hæc Judam proditorem diligenter cognovisse dicunt, et solum præ cæteris cognoscentem veritatem, perfecisse proditionis mysterium : per quem et terrena et cœlestia omnia dissoluta dicunt. Et confictionem afferunt hujusmodi, Judæ Evangelium illud vocantes.

Jam autem et in unoquoque peccatorum et turpium operationum Angelum adsistere, et operantem audire audaciam et immunditiam inferre, id quod inest ei operationi, Angeli nomine dicere : « O tu, Angele, abutor opere tuo : O tu, illa » Potestas, perficio tuam operationem. » Et hoc esse scientiam perfectam, sine timore in tales abire operationes, quas ne nominare fas est quidem.

§ X.

CONCLUSIO LIBRI PRIMI [1].

A talibus matribus, et patribus, et proavis eos qui a Valentino sint, sicut ipsæ sententiæ et regulæ ostendunt eos, necessarium fuit manifeste arguere, et in medium afferre dogmata ipsorum, si qui forte ex iis pœnitentiam agentes, et convertentes ad unum solum conditorem, et Deum factorem universitatis, salvari possint : reliqui autem non jam abstrahantur a prava, quasi verisimili, suasione eorum, putantes majus et aliquid altius ab iis scituros se mysterium; sed a nobis bene discentes quæ ab illis male docentur, derideant quidem doctrinam eorum, illorum autem misereantur qui adhuc in his tam miserrimis et instabilibus fabulis

[1] Cap. xxxi, n. 3 et 4.

tantam elationem assumpserunt, ut meliores semetipsos reliquis propter talem agnitionem, imo ignorantiam, arbitrentur. Delectatio autem eorum hæc est; sive adversus eos victoria est, sententiæ eorum manifestatio.

Quapropter conati sumus nos universum male compositæ vulpeculæ hujus corpusculum in medium producere, et per te facere manifestum. Jam enim non multis opus erit sermonibus ad evertendum doctrinam eorum, manifestam omnibus factam. Quemadmodum bestiæ alicujus in silva absconditæ, et inde impetum facientis, et multos vastantis; qui segregat et denudat silvam, et ad visionem adduxit ipsam feram, jam non elaboravit ad capiendam, videntes quoniam ea fera fera est : ipsis enim adest videre et cavere impetus ejus, et jaculari undique, et vulnerare, et interficere vastatricem illam bestiam. Sic et nobis, cum in manifestum redegerimus eorum abscondita et apud se tacita mysteria, jam non erit necessarium multis destruere eorum sententiam. Adest enim et tibi, et omnibus qui tecum sunt, ad hæc quæ prædicta sunt exerceri, et evertere nequam ipsorum doctrinas, et inconditas, et apta veritati ostendere dogmata. Cum igitur hæc sic se habeant, quatenus promisi, secundum nostram virtutem inferemus eversionem ipsorum, omnibus eis contradicentes in sequenti libro (enarratio enim in longum pergit, ut vides) : et viatica quoque dabimus ad eversionem ipsorum, occurrentes omnibus sententiis secundum narrationis ordinem; ut simus non tantum ostendentes, sed et vulnerantes undique bestiam.

LIBER SECUNDUS.

PRÆFATIO.

In primo quidem libro, qui ante hunc est, arguentes falsi nominis agnitionem, ostendimus tibi, dilectissime, omne ab his qui sunt a Valentino, per multos et contrarios modos adinventum esse falsiloquium; etiam sententias exposuimus eorum qui priorese xstiterunt, discrepantes eos sibimetipsis ostendentes, multo autem prius ipsi veritati. Et Marci quoque magi sententiam, cum sit ex his, cum operibus ejus omni diligentia exposuimus : et quanta ex Scripturis eligentes, adaptare conantur fictioni suæ, diligenter retulimus : et quonam modo per numeros, et per viginti quatuor elementa alphabeti, veritatem affirmare conantur et audent, minutatim perexivimus. Et quemadmodum conditionem secundum imaginem invisibilis apud eos Pleromatis factam dicunt, et quanta de Demiurgo sentiunt ac docent, renuntiavimus: et progenitoris ipsorum doctrinam, Simonis magi Samaritani, et omnium eorum qui successerunt ei, manifestavimus. Diximus quoque multitudinem eorum qui sunt ab eo Gnostici; et differentias ipsorum, et doctrinas, et successiones annotavimus; quæque ab eis hæreses institutæ sunt, omnes exposuimus. Et quoniam omnes a Simone hæretici initia sumentes, impia et irreligiosa dogmata induxerunt in hanc vitam, ostendimus; et redemptionem ipsorum, et quomodo initiant eos qui perficiuntur, et adfationes eorum, et mysteria manifestavimus; et quia unus Deus conditor, et quia non postremitatis fructus, et quia neque super illum neque post eum est aliquid.

In hoc autem libro instruemus quæ nobis apta sunt, et quæ permittit tempus, et evertemus per magna capitula omnem ipsorum regulam : quapropter quod sit detectio et eversio sententiæ ipsorum, operis hujus conscriptionem ita titulavimus. Oportet enim absconditas ipsorum conjugationes, per manifestarum conjugationum indicium et eversionem, Bythum dissolvere; et quoniam neque fuerit aliquando, neque sit, accipere ostensionem.

Ut porro Valentinianos cæterosque hæreticos confutet, 1° Deum unum esse et omnium creatorem ostendit; 2° vana hæreticorum deliramenta confutat; 3° regulas veritatis recenset; 4° vesanæ ipsorum impietati Ecclesiæ miracula opponit; 5° animarum ad unum idemque corpus perseverantiam, quin et immortalitatem demonstrat; 6° conclusio transitum præbet ad sequentem librum.

§ I.

DE DEO UNO ET OMNIUM CREATORE[1].

Bene igitur habet a primo et maximo capitulo inchoare nos, a Demiurgo Deo, qui fecit cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt, quem ii blasphemantes extremitatis fructum dicunt; et ostendere quoniam neque super eum neque post eum est aliquid, neque ab aliquo motus, sed sua sententia et libere fecit omnia, cum sit solus Deus, et solus Dominus, et solus conditor, et solus Pater, et solus continens omnia, et omnibus, ut sint, ipse præstans.

Quemadmodum enim poterit super hunc alia Plenitudo, aut Initium, aut Potestas, aut alius Deus esse, cum oporteat Deum horum omnium Pleroma in immenso omnia circumcontinere, et circumcontineri a nemine? Si autem extra

[1] Cap. 1, n. 1 et 2.

illum est aliquid, jam non omnium est Pleroma, neque continet omnia. Deerit enim Pleromati, aut ei qui sit super omnia Deo, hoc quod extra eum dicunt. Quod autem deest, et delibatum est ab aliquo, hoc non est omnium Pleroma. Et terminum autem, et medietatem, et finem habebit ad eos qui sunt extra eum. Si autem finis est in ea quæ sunt deorsum, initium est et in ea quæ sunt sursum. Similiter autem et ex reliquis partibus necessitas est omnis id ipsum experiri, et ab eis qui foris sunt contineri, et determinari, et includi. Is enim qui est deorsum finis, necessario omni modo circumscribit, et circumdat eum qui finiatur in eum.

Qui autem[1] ab Angelis mundum dicunt fabricatum, vel ab alio quodam mundi fabricatore, præter sententiam ejus qui super omnia Pater est, primo quidem ex hoc ipso peccant, præter voluntatem primi Dei talem et tantam conditionem Angelos fecisse dicentes : quasi efficaciores sint Angeli quam Deus, aut rursus quasi ille negligens sit, aut minor existens, aut nullam curam habens eorum quæ *in* propriis ipsius fiant; utrumnam male an bene fiant, ut illud quidem dissipet et prohibeat, alterum autem laudet et gaudeat : hoc autem ne homini quidem solerti applicet quis; quanto magis Deo?

Si autem in illius propriis, valde vanum erit præter sententiam ejus, in ejus propriis, ab Angelis et ipsis qui sunt in potestate ejus, aut ab alio quodam dicere fabricatum esse mundum, aut quasi non omnia prospiciat ipse quæ sint in suis, ut non sciat quæ ab Angelis futura sint.

Si autem non præter voluntatem ejus, sed volente et sciente, quemadmodum quidam opinantur; jam non Angeli, vel mundi fabricator causæ erunt fabricationis istius, sed voluntas Dei. Si enim mundi fabricator est, Angelos ipse fecit, aut etiam causa creationis eorum ipse fuit;

[1] Cap. II, n. 1, 3 et seqq.

et mundum ipse videbitur fecisse, qui causas fabricationis ejus præparavit. Licet per longam successionem deorsum Angelos dicant factos, vel mundi fabricatorem a primo Patre, quemadmodum Basilides ait; nihilominus id quod est causa eorum quæ facta sunt, in illum qui prolator fuit talis successionis, recurret : quemadmodum in regem correctio belli refertur, qui præparavit ea quæ sunt causa victoriæ; et conditio hujus civitatis, aut hujus operis, in eum qui præparavit causas ad perfectionem eorum quæ deorsum facta sunt. Quapropter non jam securim dicimus concidere ligna, vel serram secare, sed hominem concidere et secare rectissime quis dicat eum qui ipsam securim et serram ad hoc fecit, et multo prius armamenta omnia, per quæ fabricata sunt securis et serra. Sic igitur juste, secundum illorum rationem, Pater omnium dicetur fabricator hujus mundi, et non Angeli, neque alius quis mundi fabricator, præter illum qui fuit prolator, et primus causa factionis hujusmodi præparationis existens.

Sit fortasse hic sermo suasorius, sive seductorius apud eos qui ignorant Deum, et qui hominibus assimilant eum inopibus, et his qui non possunt statim aliquid ex parato fabricare, sed indigentibus multis organis ad eorum fabricationem : non autem verisimilis in totum apud eos qui sciunt quoniam nullius indigens omnium Deus, Verbo condidit omnia et fecit, neque Angelis indigens adjutoribus ad ea quæ fiunt; neque Virtute aliqua valde inferiori ab illo; et ignorante Patrem; neque aliqua labe, neque ignorantia, ut is qui inciperet eum cognoscere, homo fieret : sed ipse in semetipso, secundum id quod est inenarrabile, et inexcogitabile nobis, omnia prædestinans fecit quemadmodum voluit; omnibus consonantiam, et ordinem suum, et initium creationis donans; spiritualibus quidem spiritualem et invisibilem, et supercœlestibus cœlestem, et Angelis angeli-

blasphemantes, eum autem qui non est Deum fingentes, in suam ipsorum condemnationem. Et qui dicunt semetipsos perfectos, et universorum habere agnitionem, Ethnicis pejores, et magis blasphemi sensu etiam adversum suum factorem inveniuntur.

Perquam itaque[1] irrationale est, prætermittentes eum qui vere est Deus, et qui ab omnibus habet testimonium, quærere si est super eum is qui non est, et qui a nemine unquam annuntiatus est. Quoniam enim manifeste nihil dictum est de eo, et ipsi testimonium perhibent : quia autem parabolas, quæ quæruntur et ipsæ quomodo dictæ sint, male ad eum qui adinventus est ab ipsis, transfigurantes, alium nunc, qui ante nunquam quæsitus est, generant, manifestum est. Per hoc enim quod velint ambiguas exsolvere Scripturas (ambiguas autem non quasi ad alterum Deum, sed quasi ad dispositiones Dei), alterum Deum fabricaverunt; quemadmodum prædiximus, de arena resticulas nectentes, et quæstioni minori quæstionem majorem adgenerantes. Omnis autem quæstio non per aliud, quod quæritur, habebit resolutionem, nec ambiguitas per aliam ambiguitatem solvetur apud eos qui sensum habent, aut ænigmata per aliud majus ænigma; sed ea quæ sunt talia, ex manifestis, et consonantibus, et claris accipiunt absolutiones.

Hi autem quærentes exsolvere Scripturas et parabolas, alteram majorem et impiam quæstionem introducunt, si quidem super mundi fabricatorem Deum alius sit Deus: non exsolventes quæstiones (unde enim?), sed minori quæstioni magnam quæstionem adnectentes, et nodum insolubilem inserentes. Ut enim sciant hoc ipsum scire, quod ut que triginta annorum Dominus venit ad baptismum veritatis, hoc non discentes; ipsum Deum fabricatorem, qui misit eum ad salutem hominum, impie contemnunt : et *ut pu-*

[1] Cap. x.

ntur posse enarrare unde substantia materiæ, non credentes quoniam Deus ex his quæ non erant, quemadmodum voluit, ea quæ facta sunt, ut essent, omnia fecit, sua voluntate et virtute substantia usus, sermones vanos collegerunt; vere ostendentes suam infidelitatem : quoniam quidem his quæ sunt non credunt, in id quod non est deciderunt.

Quod enim dicunt ex lacrymis Achamoth humectam prodiisse substantiam, a risu autem lucidam, a tristitia autem solidam, et a timore mobilem; et in his altum sapere, et inflatum esse, quomodo hæc non digna irrisione, et vere ridicula? qui non credunt quidem, quoniam ipsam materiam, cum sit potens et dives in omnibus Deus, creavit, nescientes quantum potest spiritualis et divina substantia; credentes autem quoniam Mater ipsorum, quam feminam a femina vocant, a prædictis passionibus emisit tantam conditionis materiam : et quærentes quidem unde suppeditavit fabricatori conditionis substantia; non quærentes autem unde Matri ipsorum, quam Enthymesin et impetum Æonis errantis dicunt, lacrymas tantas[1], aut sudores, aut tristitias, aut reliqua materiæ emissio.

Attribuere enim substantiam eorum quæ facta sunt, virtuti et voluntati ejus qui est omnium Deus, et credibile, et acceptabile, et constans; et in hoc bene dicetur, quoniam « quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud » Deum[2]. » Quoniam homines quidem de nihilo non possunt aliquid facere, sed de materia subjacenti : Deus autem, quam homines hoc primo melior, eo quod materiam fabricationis suæ, cum ante non esset, ipse adinvenit! Dicere autem de Enthymesi Æonis errantis prolatam materiam, et longe quidem Æonem ab Enthymesi ejus separatam, et hujus rursus passionem et affectionem extra ipsam quidem ejus

[1] Solœcismus apertus est, inquit Billius; hæc enim omnia recto casu efferenda sunt. — [2] Luc. XVIII, 27.

esse materiam, et incredibile, et fatuum, et impossibile, inconstans.

Et non[1] credentes quidem quoniam is qui est super omnia Deus, in his quæ sunt ejus, varia et dissimilia Verbo fabricavit, quemadmodum ipse voluit, cum sit omnium fabricator, ut sapiens architectus, et maximus Rex; credentes autem quoniam Angeli, aut Virtus aliqua separata a Deo, et ignorans eum, fecit hanc universitatem : sic igitur veritati non credentes, in mendacio autem volutantes, perdiderunt panem vitæ veræ, in vacuum et in profundum umbræ incidentes; similes Æsopi cani, ei qui panem quidem reliquit, in umbram autem ejus impetum fecit, et perdidit escam. Et ex ipsis autem Domini verbis facile est ostendere confitentis unum Patrem, et factorem mundi, et plasmatorem hominis, qui a Lege et Prophetis annuntiatus sit, et alterum nescientis, et hunc esse super omnia Deum; dicentis autem, et per se eam quæ est ad Patrem adoptio filiorum, quæ est æterna vita, omnibus justis attribuentis.

Sed quoniam amant incusare, et ea quæ sunt sine calumnia, ut calumniosi concutiunt, multitudinem parabolarum et quæstionum inferentes nobis; bene hæc arbitrati sumus primo interrogare eos e contrario de suis dogmatibus, et quod non est verisimile ipsorum ostendere, et temeritatem ipsorum excidere : post deinde, Domini sermones inferre, ut non sint tantum ad proponendum vacantes; sed propter hoc quod non possint ad ea quæ interrogantur ratione respondere, dissolutam suam videntes argumentationem, aut revertentes ad veritatem, et semetipsos humiliantes, et cessantes a multifaria sua phantasia, placantes Deum de his quæ adversus eum blasphemaverunt, salventur; aut si perseverarint in ea, quæ præoccupavit animum ipsorum, vana gloria, argumentationem suam immutent.

[1] Cap. XI.

§ II.

DE CONFUTATIONE HÆRETICORUM.

Ut hæreticos confutet, 1° illorum deliramenta, expositis argumentationum absurdis explodit; 2° hæc insuper a paganorum erroribus assumpta demonstrat; 3° debellatis erroribus præcipuis, ab aliorum confutatione abstinendum prudenter annotat.

1° Quod ad absurda pertinet silentio prætermittendum duximus, cum vix tam ridicula defendi potuisse et confutari serio videantur.

2° Sic autem Valentinianam hæresim a paganismo male desumptam arguit :

Multo[1] verisimilius et gratius de universorum genesi dixit unus de veteribus comicis, Antiphanes in Theogonia. Ille enim de Nocte et Silentio Chaos emissum dicit, dehinc de Chao et Nocte Cupidinem, et ex hoc Lumen, dehinc reliquam secundum eum primam Deorum genesin. Post quos rursus secundam Deorum generationem inducit, et mundi fabricationem; dehinc de secundis Diis narrat hominum plasmationem. Unde ipsi assumentes sibi fabulam, quasi naturali disputatione commenti sunt, solummodo demutantes eorum nomina, idipsum autem universorum generationis initium et emissionem ostendentes : pro Nocte et Silentio, Bythum et Sigen nominantes; pro Chao autem, Nun; et pro Cupidine (*per quem,* ait Comicus, *reliqua omnia disposita*), hi Verbum attraxerunt; et pro primis ac maximis Diis, Æonas formaverunt; et pro secundis Diis, eam, quæ est extra Pleroma, Matris ipsorum enarrant dispositionem, secundam ogdoaden vocantes eam; ex qua mundi fabricationem, et plasmationem hominum, similiter atque ille, annuntiant, inenarrabilia et incognita mysteria solos se

[1] Cap. XIV.

dicentes scire : quæ ubique in theatris ab hypocritis ... didissimis vocibus comœdizantur, transferentes in ... argumentum, imo vero iisdem argumentis docentes ... tum immutantes nomina.

Et non solum quæ apud comicos posita sunt, argu... quasi propria proferentes; sed etiam quæ apud omnes ... Deum ignorant, et qui dicuntur philosophi, sunt dicta ... congregant et quasi centonem ex multis et pessimis ... niculis consarcientes, finctum superficium subtili ... sibi ipsis præparaverunt : novam quidem introducentes ... trinam, propterea quod nunc nova arte substituta sit ... rem autem et inutilem, quoniam quidem de veteribus ... matibus, ignorantiam et irreligiositatem olentibus ... eadem subsuta sunt. Thales quidem Milesius universorum generationem et initium aquam dixit esse. Idem autem dicere aquam, et Bythum. Homerus autem poeta Oceanum Deorum genesin, et matrem Thetin dogmatizavit : quæ ... dem hi in Bythum et Sigen transtulerunt. Anaximander autem hoc quod immensum est, omnium initium ... seminaliter habens in semetipso omnium genesin, ... immensos mundos constare ait : et hoc autem in Bythum et in Æonas ipsorum transfiguraverunt. Anaxagoras autem, qui et Atheus cognominatus est, dogmatizavit facta ... lia decidentibus e cœlo in terram seminibus : quod ... ipsi in Matris suæ transtulerunt semina, et esse hoc ... seipsos : statim confitentes apud eos qui sensum habent, et ipsos esse quæ sunt Anaxagoræ irreligiosi semina.

Umbram autem et vacuum ipsorum a Democrito et Epicuro sumentes, sibimetipsis aptaverunt, cum illi primi ... multum sermonem fecerint de vacuo et de atomis : ... rum alterum quidem quid esse vocaverunt; alterum vero quod non est appellaverunt : quemadmodum et hi ... quidem illa, quæ sunt intra Pleroma, vocant, quemadmodum ...

n illi atomos; non esse autem hæc quæ sunt extra Pleıa, quemadmodum illi vacuum. Semetipsos ergo in hoc ndo, cum sint extra Pleroma, in locum qui non est utaverunt. Quod autem dicunt imagines esse hæc eorum e sunt, rursus manifestissime Democriti et Platonis sentiam edisserunt. Democritus enim primus ait, multas et ias ab universitate figuras expressas descendisse in hunc ndum. Plato vero rursus materiam dicit, et exemplum, Deum : quos isti sequentes, figuras illius et exemplum, ıgines eorum quæ sunt sursum vocaverunt, per demuonem nominis semetipsos inventores et factores hujusdi imaginariæ fictionis gloriantes.

Et hoc autem quod ex subjecta materia dicunt fabricaem fecisse mundum, et Anaxagoras, et Empedocles, et to primi ante hos dixerunt; ut videlicet datur intelligi, psi a Matre sua inspirati. Quod autem ex necessitate ımquodque in illa secedit, ex quibus et factum esse diıt, et hujus necessitatis servum esse Deum, ita ut non sit mortali immortalitatem addere, vel corruptibili inruptelam donare; sed secedere unumquemque in simiı naturæ suæ substantiam : et hi qui ex porticu Stoici ellantur, et universi quotquot Deum ignorant, poetæ et ıscriptores affirmant. Qui eamdem habentes infidelitaı, spiritualibus quidem suam regionem attribuerunt, eam æ est intra Pleroma; animalibus autem, medietatis; corralibus autem, quod choicum : et præter hæc nihil posse um, sed unumquemque prædictorum ad ea quæ sunt sdem substantiæ, secedere affirmant.

Quod autem Salvatorem ex omnibus factum esse Æonis dicant, omnibus in eum deponentibus velut florem suum, ı extra Hesiodi Pandoram novum aliquid afferunt. Quæ m ille ait de illa, hæc hi de Salvatore insinuant, Pandoron roducentes eum, quasi unusquisque Æonum quod ha-

beret optimum donaverit ei. Ipsam autem edulior[illegible] reliquarum operationum indifferentem sententiam, e[illegible] putent a nemine in totum posse coinquinari propter [illegible] rositatem, licet quodcumque manducent vel oper[illegible] Cynicis possederunt, cum sint cum eis ejusdem test[illegible] Et minutiloquium, et subtilitatem circa quæstiones [illegible] sit Aristotelicum, inferre fidei conantur.

Quod autem velint in numeros transferre univer[illegible] a Pythagoricis acceperunt. Primum enim hi initi[illegible] nium numeros substituerunt, et initium ipsorum p[illegible] imparem, ex quibus et ea quæ sensibilia et insens[illegible] subjecerunt. Et altera quidem substitutionis initia [illegible] tera autem sensationis et substantiæ : ex quibus pri[illegible] nia perfecta dicunt, quemadmodum statuam de ær[illegible] et de formatione. Hoc autem ii his qui sunt extra P[illegible] aptaverunt. Sensationis autem initia dixerunt, in q[illegible] sus intelligens est ejus quod primum assumptum est [illegible] quoadusque defatigata ad unum et indivisibile [illegible] Et esse omnium initium, et substantiam univers[illegible] tionis Hen, id est, unum; ex hoc autem dyadem, [illegible] dem, et pentadem, et reliquorum multifariam genera[illegible] hæc hi ad verbum de Plenitudine suorum et Bytho [illegible] unde etiam et eas quæ sunt de uno, conjugationes [illegible] tur introducere, quæ Marcus velut sua jactans, velut [illegible] aliquid visus est præter reliquos adinvenisse; Pyth[illegible] quaternationem, velut genesin et matrem omnium en[illegible]

Dicemus autem adversus eos : Utrumne hi omnes [illegible] prædicti sunt, cum quibus eadem dicentes arguimin[illegible] gnoverunt veritatem, aut non cognoverunt? Et si q[illegible] cognoverunt, superflua est Salvatoris in hunc mundu[illegible] scensio. Utquid enim descendebat? Numquid ut eam [illegible] cognoscebatur veritas, in agnitionem adduceret his [illegible] cognoscunt eam hominibus? Si autem non cognover[illegible]

emadmodum eadem cum his qui veritatem non cognos- ›ant dicentes, solos vosmetipsos eam quæ est super om- ι cognitio, habere gloriamini, quam etiam qui ignorant um habent? Secundum antiphrasin ergo, veritatis igno- ıtiam agnitionem vocant : et bene Paulus ait, « Vocum ιovitates falsæ agnitionis[1]. » Vere enim falsa agnitio ipso- m inventa est. Si autem impudenter agentes super hæc :ent, homines quidem non cognovisse veritatem, Matrem tem ipsorum, (vel) semen paternale, per tales homines, emadmodum et per Prophetas, enuntiasse mysteria veri- is, ignorante Demiurgo : primo quidem non talia erant æ sunt prædicta, ut non a quolibet intelligantur; etenim ›i homines sciebant quæ dicebant, et discipuli ipsorum, horum successores. Post deinde, vel Mater, vel semen, si gnoscebant, et enarrabant ea quæ erant veritatis; veritas tem Pater : Salvator ergo, secundum eos, erit mentitus, cens : *Nemo cognovit Patrem, nisi Filius*[2]. Si enim co- ıitus est vel a Matre, vel a semine ejus, solutum est illud, ıod *nemo cognovit Patrem, nisi Filius :* nisi si semen sorum, vel Matrem *neminem* esse dicunt.

Et usque hoc quidem per humanas affectiones, et per id ıod similia dicant multis ignorantibus Deum, verisimili- r visi sunt abstrahere quosdam; attrahentes per ea quæ ›sueti sunt, in eum qui est de omnibus sermonem, Verbi ei genesin exponentes, et Vitæ, adhuc etiam Sensus, et ei emissiones obstetricantes. Quæ autem ex his non veri- militer et sine ostensione, omnia ex omnibus mentiti sunt, uemadmodum qui assuetas escas, et ut illiciant, præmit- ınt, uti capiant aliquod animal, sensim blandientes eis per ›sueta pabula, quousque accipiant; sumentes autem ea aptiva, alligant amarissime, et ducunt per vim abstrahen- :s quocumque ipsi voluerint.

[1] 1 Tim. VI, 20. — [2] Matth. XI, 27.

3o Præcipuis erroribus debellatis, ab aliorum co- futatione abstinendum esse sapienter annotat.

Et de eo quidem[1], quod sit regula ipsorum infirma et in- stabilis, adhuc etiam et vana, sufficiunt quæ dicta sunt. Non enim oportet, quod solet dici, universum ebibere mare eum qui velit discere quoniam aqua ejus salsa est. Sed quem- admodum statua de luto facta, colorata autem superficie ut putetur aurea esse quæ sit lutea, quicumque accipiet ex ea particulam qualemcumque, et exaperiens ostenderit lu- tum, liberabit eos qui veritatem quærunt a falsa opinione: eodem modo et nos non modicam partem, sed ea quæ sunt maxima continentia regulæ ipsorum, resolventes capitula omnibus quotquot non seduci scientes volunt, quod est ne- quam, et dolosum, et seductorium, et perniciosum, de schola eorum, qui sunt a Valentino, et a reliquis hæretico- rum, quotquot Demiurgum, id est, fabricatorem et facto- rem hujus universitatis, solum existentem Deum male trac- tant, ostendimus, dissolubilem eorum viam manifestantes.

Quis enim sensum habens, et veritatis vel modicum attin- gens, sustinebit dicentes, super Demiurgum Deum esse al- rum Patrem : et alterum quidem esse Monogenem, alterum autem Verbum Dei, quem et in deminoratione emissum di- cunt : alterum autem Christum, quem et posteriorem reli- quis Æonibus cum Spiritu sancto factum esse dicunt : et alterum Salvatorem, quem ne a Patre quidem universo- rum, sed ab his qui in deminoratione facti sunt, Æonibus collatum et congestum dicunt, et necessarie propter demi- norationem emissum ? ut nisi in ignorantia, et deminora- tione fuissent Æones, secundum eos nec Christus emissus fuisset, nec Spiritus sanctus, nec Horos, nec Soter, nec Angeli, nec Mater ipsorum, nec semen ejus, nec reliqu-

[1] Cap. xix, n. 8 et 9.

ındi fabricatio; sed fuissent omnia deserta ac destituta bonis. Non solum itaque in fabricatorem tantum irreli-›si sunt, labis eum dicentes fructum; sed et in Christum, in Spiritum sanctum, propter labem dicentes eos emis-s; et Salvatorem autem similiter post labem. Quis enim stinebit reliquum eorum vaniloquium, quod astute para-lis adaptare conantes, et se, et eos qui sibi credunt, in aximam converterunt impietatem?

§ III.

DE REGULIS VERITATIS.

1°. Omnia ad unum eumdemque opificem refe-nda[1]:

Varia et multa sunt, quæ facta sunt; et ad omnem qui-m facturam bene aptata, et bene consonantia: quan-m autem spectat ad unumquodque eorum, sunt sibi vicem contraria et non convenientia: sicut citharæ so-ıs per uniuscujusque distantiam consonantem unam me-diam operatur, ex multis et contrariis sonis subsistens. ebet ergo amator veri non traduci distantia uniuscujus-ıe soni, nec alium quidem hujus, alium autem illius arti-em suspicari et factorem: neque alium quidem acutiores, um autem vastiores, alium vero medietates aptasse; sed ıum et ipsum ad totius operis et sapientiæ demonstratio-m, et justitiæ, et bonitatis, et muneris. Hi vero qui au-unt melodiam, debent laudare et glorificare artificem, aliorum quidem extensionem mirari, aliorum autem laxa-entum intendere, aliorum vero inter utrumque tempera-entum exaudire, aliorum autem typum considerare, et ad ıid unumquodque referat, et eorum causam inquirere; ısquam transferentes regulam, neque errantes ab arti-e, neque abjicientes fidem, quæ est in unum Deum, qui

[1] Cap. xxv, n. 2.

fecit omnia, neque blasphemantes nostrum conditorem.

2°. Non curiosius investiganda quæ mentis humanæ Deo longe inferioris captum superant [1].

Si autem et aliquis non invenerit causam omnium quæ requiruntur, cogitet quia homo est in infinitum minor Deo, et qui ex parte acceperit gratiam, et qui nondum æqualis vel similis sit factori, et qui omnium experientiam et cogitationem habere non possit, ut Deus : sed in quantum minor est ab eo qui factus non est, et qui semper idem est, ille qui hodie factus est, et initium facturæ accepit; in tantum secundum scientiam, et ad investigandum causas omnium minorem esse eo qui fecit. Non enim infectus es, o homo, neque semper coexistebas Deo, sicut proprium ejus Verbum : sed propter eminentem bonitatem ejus, nunc initium facturæ accipiens, sensim discis a Verbo dispositiones Dei, qui te fecit.

Ordinem ergo serva tuæ scientiæ, et ne ut bonorum ignarus supertranscendas ipsum Deum; non enim transibilis est : neque super Demiurgum requiras quid sit; non enim invenies. Indeterminabilis est enim artifex tuus : neque tanquam hunc totum mensus sis, et tanquam qui per omnem ejus fabricam veneris, et omne quod est in eo profundum, et altitudinem, et longitudinem consideraveris, super ipsum alium excogites Patrem. Non enim excogitabis, sed contra naturam sentiens, eris insipiens : et si in hoc perseveraveris, incides in insaniam, sublimiorem teipsum melioremque factore tuo existimans, et quod pertranseas regna ejus.

3°. Obscura non parabolis, sed claris Scripturæ sententiis explicanda [2] :

Sensus autem sanus, et qui sine periculo est, et religiosus, et amans verum, quæ quidem dedit in hominum po

[1] Cap. xxv, n. 3 et 4. — [2] Cap. xxvii.

estatem Deus, et subdidit nostræ scientiæ, hæc prompte meditabitur, et in ipsis proficiet, diuturno studio facilem scientiam eorum efficiens. Sunt autem hæc, quæ ante oculos nostros occurrunt, et quæcumque aperte et sine ambiguo ipsis dictionibus posita sunt in Scripturis. Et ideo parabolæ debent non ambiguis adaptari : sic enim et qui absolvit, sine periculo absolvit, et parabolæ ab omnibus similiter absolutionem accipient; et a veritate corpus integrum, et simili aptatione membrorum, et sine concussione perseverat. Sed quæ non aperte dicta sunt, neque ante oculos posita, copulare absolutionibus parabolarum, quas unusquisque prout vult adinvenit. Sic enim apud nullum erit regula veritatis; sed quanti fuerint qui absolvent parabolas, tantæ videbuntur veritates pugnantes semet invicem, et contraria sibimet dogmata statuentes, sicut et Gentilium philosophorum quæstiones.

Itaque secundum hanc rationem, homo quidem semper inquiret, nunquam autem inveniet, eo quod ipsam inventionis abjecerit disciplinam. Et cum venerit sponsus, is qui imparatam habet lampadem, nulla manifesti luminis claritate fulgentem, recurrit ad eos qui absolutiones parabolarum in tenebris distrahunt, relinquens eum qui per manifestam prædicationem gratis donat ad eum ingressum, et excluditur a thalamo ejus. Cum itaque universæ Scripturæ, et Prophetiæ, et Evangelia in aperto, et sine ambiguitate, et similiter ab omnibus audiri possint, etsi non omnes credunt; unum et solum Deum, ad excludendos alios, prædicent omnia fecisse per Verbum suum, sive visibilia, sive invisibilia, sive cœlestia, sive terrena, sive aquatilia, sive subterranea, sicut demonstravimus ex ipsis Scripturarum dictionibus; et ipsa autem creatura in qua sumus, per ea quæ in aspectum veniunt, hoc ipsum testante, unum esse qui eam fecerit et regat : valde hebetes apparebunt qui ad

tam lucidam adapertionem cæcutiunt oculos, et nolunt videre lumen prædicationis, sed constringunt semetipsos, et per tenebrosas parabolarum absolutiones unusquisque eorum proprium putat invenisse Deum. Quia enim de excogitato eorum, qui contraria opinantur, Patre, nihil aperte, neque sine controversia, in nulla omnino dictum sit Scriptura; et ipsi testantur dicentes, in absconso hæc eadem Salvatorem docuisse non omnes, sed aliquos discipulorum, qui possunt capere, et per argumenta, et ænigmata, et parabolas ab eo significata intelligentibus. Veniunt autem ad hoc ut dicant, alium quidem esse qui prædicatur Deus, et alium Patrem, qui per parabolas et ænigmata significatur Pater.

Quia autem parabolæ possunt multas recipere absolutiones; ex ipsis de inquisitione Dei affirmare, relinquentes quod certum, et indubitatum, et verum est, valde præcipitantium se in periculum, et irrationabilium esse, quis non amantium veritatem confitebitur? Et nunquid hoc est non in petra firma, et valida, et in aperto posita ædificare suam domum, sed in incertum effusæ arenæ[1]? Unde et facilis est eversio hujusmodi ædificationis.

Habentes itaque[2] regulam ipsam veritatem, et in aperto positum de Deo testimonium, non debemus per quæstionum declinantes in alias atque alias absolutiones ejicere firmam et veram de Deo scientiam: magis autem absolutionem quæstionum in hunc characterem dirigentes, exercere quidem convenit per inquisitionem mysterii et dispositionis existentis Dei; augeri autem in charitate ejus, qui tanta propter nos fecit et facit, nunquam autem excidere ab ea suasione, qua manifestissime prædicatur quia hic solus vere sit Deus et Pater, qui et hunc mundum fecit, et hominem plasmavit, et in sua creatura donavit incrementum

[1] Matth. VII, 25.
[2] Cap. XXVIII.

;t de minoribus suis ad majora quæ apud ipsum sunt, vo-
;ans, sicut infantem quidem in vulva conceptum educit in
umen solis, et triticum, posteaquam in stipula corrobora-
'erit, condit in horreum. Unus autem et idem Demiurgus,
[ui et vulvam plasmavit, et solem creavit; et unus et idem
)ominus, qui et stipulam eduxit, et triticum augens mul-
iplicavit, et horreum præparavit.

Si autem omnium quæ in Scripturis requiruntur abso-
utiones non possumus invenire, alterum tamen Deum, præ-
er eum qui est, non requiramus. Impietas enim hæc maxima
st. Cedere autem hæc talia debemus Deo, qui et nos fecit,
ectissime scientes quia Scripturæ quidem perfectæ sunt,
[uippe a Verbo Dei et Spiritu ejus dictæ; nos autem secun-
lum quod minores sumus et novissimi a Verbo Dei, et Spi-
itu ejus, secundum hoc et scientia mysteriorum ejus indi-
;emus. Et non est mirum si in spiritualibus, et cœlestibus,
t in his quæ habent revelari, hoc patimur nos : quando-
[uidem etiam eorum quæ ante pedes sunt (dico autem quæ
unt in hac creatura, quæ et contrectantur a nobis, et vi-
lentur, et sunt nobiscum) multa fugerunt nostram scien-
iam, et Deo hæc ipsa committimus. Oportet enim eum præ
mnibus præcellere. Quid enim si tentemus exponere cau-
am ascensionis Nili? Multa quidem dicimus, et fortassis
uasoria, fortassis autem non suasoria : quod autem verum
st, et certum, et firmum, adjacet Deo. Sed et volatilium
nimalium habitatio, eorum quæ veris tempore adveniunt
d nos, autumni autem tempore statim recedunt, cum in
oc mundo hoc ipsum fiat, fugit nostram scientiam. Quid
utem possumus exponere de Oceani accessu et recessu,
um constet esse certam causam? quidve de his quæ ultra
um sunt enuntiare, qualia sint? Vel quid dicere possumus
uomodo pluviæ, et coruscationes, et tonitrua, et collectio-
ies nubium, et nebulæ, et ventorum emissiones, et similia

his, efficiuntur; annuntiare quoque et thesauros nivis et grandinis, et eorum quæ his proxima sunt; quæ hæ tem nubium præparatio, aut qui status nebulæ; quæ aut causa est per quam crescit luna, et decrescit, aut quæ c aquarum distantiæ, et metallorum, et lapidum, et his li lium? In his omnibus nos quidem loquaces erimus, r rentes causas eorum: qui autem ea facit solus Deus, v dicus est.

Si ergo et in rebus creaturæ quædam quidem e adjacent Deo, quædam autem et in nostram ve scientiam; quid mali est, si et eorum quæ in Scriptur quiruntur, universis Scripturis spiritualibus existen quædam quidem absolvimus secundum gratiam Dei, dam autem commendamus Deo; et non solum in hoc s culo, sed et in futuro: ut semper quidem Deus d homo autem semper discat quæ sunt a Deo? Sicut et stolus dixit, reliquis partibus destructis, hæc *tunc* p rare, quæ sunt, fides, spes, et charitas[1]. Semper e quæ est ad magistrum nostrum permanet *firma*, as nobis quoniam solus vere Deus, et ut diligamus eu semper, quoniam ipse solus Pater, et speremus s plus aliquid accipere et discere a Deo, quia bonus e divitias habens indeterminabiles, et regnum sine fi disciplinam immensam. Si ergo secundum hunc mod quem diximus, quædam quidem quæstionum Deo co serimus: et fidem nostram servabimus, et *sine* peri perseverabimus, et omnis Scriptura a Deo nobis data c sonans nobis invenietur, et parabolæ his quæ manife dicta sunt consonabunt, et manifeste dicta absolvent p rabolas; et per dictionum multas voces unam consonan melodiam in nobis sentiet, laudantem hymnis *Deum*, fecit omnia. Ut puta, si quis interroget: Antequam m

[1] 1 Cor. XIII, 13.

am faceret Deus, quid agebat? dicimus quoniam ista reonsio subjacet Deo. Quoniam autem mundus hic factus t apotelestos a Deo, temporale initium accipiens, Scripræ nos docent : quid autem ante hoc Deus sit operatus, illa Scriptura manifestat. Subjacet ergo hæc responsio eo : et non ita stultas et sine disciplina blasphemas adinenire velle prolationes, et per hoc quod putas te invenisse ateriæ prolationem, ipsum Deum, qui fecit omnia, reprobare.

4° Ex datis regulis hæreticorum deliramenta exlodit:

Cogitate enim, o omnes qui talia adinvenitis, cum ipse olus Pater Deus dicatur, qui et vere est, quem vos Deniurgum dicitis; sed et cum Scripturæ hunc solum sciant eum, sed et cum Dominus hunc solum confitetur prorium Patrem, et alterum nesciat, sicut ex ipsis ejus verbis stendemus : quando hunc ipsum labis dicitis fructum, et gnorantiæ prolationem, et nescientem quæ sint super eum, t quæcumque alia dicitis de eo, considerate magnitudinem lasphemiæ in eum qui vere est Deus. Graviter quidem et oneste videmini dicere, vos in Deum credere; dehinc alteum Deum cum minime possitis ostendere, hunc ipsum, in uem credere vos dicitis, labis fructum et ignorantiæ proationem pronuntiatis. Hæc autem cæcitas, et stultiloquium nde provenit vobis, quod nihil Deo reservetis. Sed et ipsius Dei, et Ennœæ ejus, et Verbi, et Vitæ, et Christi nativitaes, et prolationes annuntiare vultis; et has non aliunde ccipientes, sed ex affectione hominum : et non intelligitis, uia in homine quidem, qui est compositum animal, capit ujusmodi dicere, sicut prædiximus, sensum hominis, et nnœam hominis; et quia ex sensu ennœa, de ennœa autem nthymesis, de enthymesi autem logos (quem autem logon? aliud enim est secundum Græcos logos, quod est prin-

cipale quod excogitat; aliud, organum per quod emittitur logos); et aliquando quidem quiescere et tacere hominem, aliquando autem loqui et operari. Deus autem cum sit totus mens, totus ratio, et totus spiritus operans, et totus lux, et semper idem et similiter existens, sicut et utile est nobis sapere de Deo, et sicut ex Scripturis discimus; non jam hujusmodi affectus et divisiones decenter erga eum subsequentur. Velocitati enim sensus hominum propter spirituale ejus non sufficit lingua deservire, quippe carnalis existens : unde et intus suffocatur verbum nostrum, et profertur non de semel, sicut conceptum est a sensu; sed per partes, secundum quod lingua subministrare prævalet.

Deus autem totus existens mens, et totus existens Logos, quod cogitat, hoc et loquitur; et quod loquitur, hoc et cogitat. Cogitatio enim ejus Logos, et Logos mens, et omnia concludens mens, ipse est Pater. Qui ergo dicit mentem Dei, et prolationem propriam menti donat, compositum eum pronuntiat, tanquam aliud quiddam sit Deus, aliud autem principalis mens existens. Similiter autem rursus et de Logo tertiam prolationem ei a Patre donans (unde et ignorat magnitudinem ejus), porro et longe Logon a Deo separavit. Et Propheta quidem ait de eo : « Generationem » ejus quis enarrabit[1]? » Vos autem generationem ejus ex Patre divinantes, et verbi hominum per linguam factam prolationem transferentes in Verbum Dei, juste detegimini a vobis ipsis, quod neque humana nec divina noveritis.

Irrationabiliter autem inflati, audaciter inenarrabilia Dei mysteria scire vos dicitis : quandoquidem et Dominus, ipse Filius Dei, ipsum judicii diem et horam concessit scire solum Patrem, manifeste dicens : « De die autem illa et » hora nemo scit, neque Filius, nisi Pater solus[2]. » Si igitur scientiam diei illius Filius non erubuit referre ad Pa-

[1] Esai. LIII, 8. — [2] Marc. XIII, 32.

trem, sed dixit quod verum est; neque nos erubescamus, quæ sunt in quæstionibus majora secundum nos, reservare Deo. Nemo enim super magistrum est. Si quis itaque nobis dixerit: Quomodo ergo Filius prolatus a Patre est? dicimus ei, quia prolationem istam, sive generationem, sive nuncupationem, sive adapertionem, aut quolibet quis nomine vocaverit generationem ejus inenarrabilem existentem, nemo novit; non Valentinus, non Marcion, neque Saturninus, neque Basilides, neque Angeli, neque Archangeli, neque Principes, neque Potestates; nisi solus qui generavit Pater, et qui natus est Filius. Inenarrabilis itaque generatio ejus cum sit, quicumque nituntur generationes et prolationes enarrare, non sunt compotes sui, ea quæ inenarrabilia sunt enarrare promittentes. Quoniam enim ex cogitatione et sensu verbum emittitur, hoc utique omnes sciunt homines. Non ergo magnum quid invenerunt, qui emissiones excogitaverunt, neque absconditum mysterium, si id quod ab omnibus intelligitur transtulerunt in unigenitum Dei Verbum; et quem inenarrabilem et innominabilem vocant, hunc, quasi ipsi obstetricaverint, primæ generationis ejus prolationem et generationem enuntiant, adsimilantes eum hominum verbo emissionis.

Hoc autem idem et de substantia materiæ dicentes, non peccabimus, quoniam Deus eam protulit. Didicimus enim ex Scripturis, principatum tenere super omnia Deum. Unde autem, vel quemadmodum emisit eam, neque Scriptura aliqua exposuit, neque nos phantasmari oportet, ex opinionibus propriis infinita conjicientes de Deo; sed agnitionem hanc concedendam esse Deo. Similiter autem et causam propter quam, cum omnia a Deo facta sint, quædam quidem transgressa sunt, et abscesserunt a Dei subjectione, quædam autem, imo plurima, perseveraverunt et perseverant in subjectione ejus qui fecit; et cujus naturæ sunt quæ

transgressa sunt, cujus autem naturæ quæ perseverant: c-
dere oportet Deo et Verbo ejus, cui et soli dixit: « Sede
» dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos suppe-
» neum pedum tuorum[1]. » Nos autem adhuc in terra co-
versantes, nondum assidentes throno ejus. Etsi enim Spi-
ritus Salvatoris, qui in eo est, « scrutatur omnia, et altitu-
» dines Dei[2]; » sed quantum ad nos, « divisiones gratiar-
» sunt, et divisiones ministeriorum, et divisiones oper-
» num[3]; » et nos super terram, quemadmodum et Paulus
ait, « ex parte quidem cognoscimus, et ex parte prophe-
» mus[4]. » Sicut igitur ex parte cognoscimus, sic et de u-
versis quæstionibus concedere oportet ei qui ex parte n-
bis præstat gratiam. Quoniam quidem transgressori-
ignis æternus præparatus est, et Dominus manifeste di-
et reliquæ demonstrant Scripturæ. Et quoniam præ-
Deus hoc futurum, similiter demonstrant Scripturæ, que-
admodum et ignem æternum his qui transgressuri e-
præparavit ab initio: ipsam autem causam naturæ tr-
gredientium, neque Scriptura aliqua retulit, nec Apost-
dixit, nec Dominus docuit. Dimittere itaque oportet c-
tionem hanc Deo, quemadmodum et Dominus horæ et d-
nec in tantum periclitari, uti Deo quidem concedamus n-
hil; et hæc ex parte accipientes gratiam. In eo autem c-
quærimus quæ sunt super nos, et in quæ attingere n-
non est, nunc in tantam audaciam venire, uti pandam-
Deum, et quæ nondum inventa sunt quasi jam inven-
mus, per emissionum vaniloquium ipsum omnium fac-
rem Deum, et de defectione, et ignorantia asserere su-
stantiam habuisse, et sic impium adversus Deum finge-
argumentum.

Post deinde nullum habent testimonium ejus figmen-
quod recens ab eis adinventum est, aliquando quidem p-

[1] Psal. cix, 2. — [2] 1 Cor. ii, 10. — [3] 1 Cor. xii, 4, 5, 6. — [4] 1 Cor. xiii.

numeros quoslibet, aliquando autem per syllabas, nonnunquam autem et per nomina; est autem quando et per eas quæ in litteris sunt litteras, aliquando autem et per parabolas non recte exsolutas, vel per suspiciones quasdam constituere conari eam fabulosam enarrationem, quæ sit ab eis fictitia. Etenim si quis exquirat causam propter quam in omnibus Pater communicans Filio, solus scire horam et diem a Domino manifestatus est; neque aptabilem magis, neque decentiorem, nec sine periculo alteram quam hanc inveniat in præsenti (quoniam enim solus verax magister est Dominus); ut discamus per ipsum, super omnia esse Patrem; etenim, *Pater*, ait, *major me est*[1]. Et secundum agnitionem itaque præpositus esse Pater annuntiatus est a Domino nostro ad hoc, ut et nos, in quantum in figura hujus mundi sumus, perfectam scientiam et tales quæstiones concedamus Deo; et ne forte quærentes altitudinem Patris investigare, in tantum periculum incidamus, uti quæramus an super Deum alter sit Deus.

Si autem quis amans contentionem, contradictor fuerit his quæ a nobis dicta sunt, et his quæ ab Apostolo relata sunt, « quoniam ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus, » putet se non ex parte, sed universaliter universam cepisse eorum quæ sunt agnitionem, Valentinus aliquis existens, aut Ptolemæus, aut Basilides, vel aliquis eorum qui altitudines Dei exquisisse se dicunt; non in ea quæ invisibilia sunt, vel quæ ostendi non possunt, cum inani jactantia decorans semetipsum, plus quam reliquos se agnovisse glorietur : sed causas eorum quæ in hoc sunt mundo, quas nos non scimus, ut puta numerum capillorum capitis sui, et de his qui quotidie capiuntur passeres, et de reliquis non provisis a nobis, diligenter exquirens, et a Patre discens annuntiet nobis, ut ei de majoribus quoque cre-

[1] Joan. XIV, 28.

damus. Si autem ea quæ in manibus sunt, et ante pedes, et in oculis, et terrenis, et præcipue dispositionem capillorum capitis sui, nondum sciunt ii qui sunt perfecti; quemadmodum eis de spiritualibus, et supercœlestibus, et de his quæ super Deum vana persuasione confirmant, credemus? Et tanta quidem de numeris, et de nominibus, et de syllabis, et quæstionibus eorum quæ sunt super nos, et de eo quod improprie exponant parabolas, a nobis sit dictum, quandoquidem a te plura dici possint.

Revertamur autem[1] nos ad reliqua quæ sunt eorum argumentationis. In consummatione enim dicentes ipsorum Matrem intra Pleroma regredi, et recipere sponsum suum Salvatorem; se autem, quoniam spirituales esse dicunt, exspoliatos animas, et spiritus intellectuales factos, sponsas futuros spiritualium Angelorum; Demiurgum autem, quoniam animalem dicunt, in Matris locum cessurum; justorum autem animas requiescere in medietatis loco, psychice dicentes similia ad similia congregari, spiritualia ad spiritualia, materialia autem in materialibus perseverare: contraria sibi definiunt, animas jam non propter substantiam in medietatem ad similia dicentes succedere, sed propter operationem; justorum quidem dicentes illuc succedere, impiorum autem remanere ignem. Si enim propter substantiam omnes succedunt animæ in refrigerium, et medietatis sunt omnes, secundum quod sunt animæ, cum sint ejusdem substantiæ; et superfluum est credere, superflua autem et descensio Salvatoris. Si autem propter justitiam, jam non propter id quod sint animæ, sed quoniam sunt justæ. Si autem animæ (quæ) perituræ essent, (inciperent) nisi justæ fuissent; justitia potens est salvare et corpora: quid utique non salvabit, quæ et ipsa participaverunt justitiæ? Si enim natura et substantia salvat, omnes salvabuntur

[1] Cap. XXIX.

...i autem justitia et fides, quare non salvet ea quæ ... cum animabus in corruptelam cedere incipiunt ... Aut enim impotens, aut injusta apparebit in hu... justitia, si quædam quidem salvat propter suam ...ationem, quædam autem non.

... enim in corporibus perficiuntur ea quæ sunt justi... nifestum est. Aut universæ itaque animæ necessarie ...nt in medietatis locum, et judicium nusquam; aut ...ora quæ participaverunt justitiæ, cum animabus quæ ...r participaverunt, obtinebunt refrigerii locum, si ... potens est justitia illuc transducere ea quæ parti... runt ei; et verus et firmus emerget de resurrectione ...um sermo. Quem quidem credimus nos : quoniam ...talia corpora nostra custodientia justitiam resuscitans ... incorrupta et immortalia faciet. Deus enim melior est ... natura, habens apud semetipsum velle, quoniam bo... ...st; et posse, quoniam potens est; et perficere, quo... dives et perfectus est.

... autem secundum omnia contraria sibi dicunt, non ...es animas in medietatem succedere definientes, sed so... ...uæ sint justorum. Naturaliter enim et secundum sub... ...tiam emissa esse tria genera dicunt a Matre : primum ...d quidem sit de aporia, et tædio, et timore, quod est ...eria; alterum autem de impetu, quod est animale; quod ...em enixa est secundum visionem eorum qui circa Chris... ...n sunt Angeli, quod est spirituale. Si igitur illa quæ enixa ..., omni modo intra Pleroma ingrediuntur, quoniam spi...iale est; quod autem est materiale, residet deorsum, quo...m est materiale, et exardescente eo qui inest ei igne ...sumetur in totum : animale quare non totum in medie...is locum cedet, in quem et Demiurgum mittunt? Quid ...tem est illud quod cedet eorum intra Pleroma? Animas ...m in medietatem perseverare dicunt; corpora autem,

quoniam materialem habent substantiam, in materiam re-soluta ardere ab eo qui in ea est ignis. Corpore autem ipsorum corrupto, et anima remanente in medietate, nihil jam relinquitur ex homine quod intra Pleroma cedat. Sensus enim hominis, mens, et cogitatio, et intentio mentis, et ea quæ sunt hujusmodi, non aliud quid præter animam sunt; sed ipsius animæ motus, et operationes, nullam sine anima habentes substantiam. Quid ergo adhuc erit eorum quod succedit in Pleroma? Et ipsi enim, in quantum quidem animæ sunt, remanent in medietate; in quantum autem corpus, cum reliqua materia ardebunt.

§ IV.

DE ANIMABUS.

1° Animæ non migrant de corpore in corpus[1].

De corpore autem in corpus transmigrationem ipsorum subvertamus ex eo, quod nihil omnino eorum quæ ante fuerint meminerint animæ. Si enim ob hoc emittebantur uti in omni fierent operatione; oportebat eas meminisse eorum quæ ante facta sunt, uti ea quæ deerant adimplerent, et non circa eadem semper volutantes continuatim, miserabiliter laborarent; (non enim poterat corporis admixtio in totum universam ipsorum, quæ ante habita erant, exstinguere memoriam et contemplationem), et maxime in hoc venientes. Quomodo enim nunc soporati et requiescente corpore, quæcumque anima ipsa apud se videt, et in phantasmate agit, et horum plura reminiscens communicat cum corpore; et est quando, et post plurimum temporis, quæcumque per somnium quis vidit vigilans annuntiat: sic utique reminisceretur et illorum quæ antequam in hoc corpus veniret egit. Si enim hoc quod in brevissimo tempore visum est, vel in phantasmate conceptum est, ab ea sola per-

[1] Cap. xxxiii.

hium, postquam commixta sit corpori, et in universum ıbrum dispersa, commemoratur; multo magis illorum nisceretur, in quibus temporibus tantis et universo præ- æ vitæ sæculo immorata est.

d hæc, Plato, vetus ille Atheniensis, qui et primus sen- iam hanc introduxit, cum excusare non posset, oblivio- induxit poculum, putans se per hoc aporiam hujusmodi gere; ostensionem quidem nullam faciens, dogmatice em respondens, quoniam introeuntes animæ in hanc vi- n, ab eo qui est super introitum dæmone, priusquam in pora intrent, potantur oblivione. Et latuit semetipsum ılteram majorem incidens aporiam. Si enim oblivionis ;ulum potest, posteaquam ebibitum est, omnium facto- n obliterare memoriam; hoc ipsum unde scis, o Plato, n sit nunc in corpore anima tua, quoniam, priusquam corpus introeat, a dæmone potata est oblivionis medica- entum? Si enim dæmonem, et poculum, et introitum re- nisceris, et reliqua oportet cognoscas : si autem illa ig- ras, neque dæmon verus, neque artificiose compositum livionis poculum.

Adversus autem eos qui dicunt ipsum corpus esse obli- onis medicamentum, occurret hoc. Quomodo igitur quod- ımque per semetipsam anima videt, et in somniis, et secun- um cogitationem, mentis intentionem, corpore quiescente, ısa reminiscitur, et renuntiat proximis? Sed ne quidem ea uæ olim agnita sunt, aut per oculos, aut per auditum, me- ıinisset anima in corpore existens, si esset corpus oblivio; ed simul atque ab inspectis abesset oculus, auferretur uti- ue et ea quæ esset de his memoria. In ipsa enim obli- ione existens anima nihil aliud cognoscere poterat, nisi olum illud quod in præsenti videbat. Quomodo autem et livina disceret, et meminisset ipsorum existens in corpore, ıuando sit (ut aiunt) ipsum corpus oblivio? Sed et Pro-

phetæ ipsi, cum essent in terra, quæcumque spiritualiter secundum visiones cœlestium vident, vel audiunt, ipsi quoque meminerunt in hominem conversi, et reliquis annuntiant : et non corpus oblivionem efficit animæ eorum quæ spiritualiter visa sunt; sed anima docet corpus, et participat de spirituali ei facta visione.

Non enim est fortius corpus quam anima, quod quidem ab illa spiratur, et vivificatur, et augetur, et articulatur; sed anima possidet et principatur corpori. Tantum autem impeditur a sua velocitate, quantum corpus participat de ejus motione; sed non amittit suam scientiam. Corpus enim organo simile est; anima autem artificis rationem obtinet. Quemadmodum itaque artifex velociter quidem operationem secundum se adinvenit, in organo autem tardius illam perficit, propter rei subjectæ immobilitatem, et illius mentis velocitas admixta tarditati organi temperatam perficit operationem : sic et anima participans suo corpori, modicum quidem impeditur, admixta velocitate ejus in corporis tarditate; non amittit autem in totum suas virtutes, sed quasi vitam participans corpori, ipsa vivere non cessat. Sic et de reliquis ei communicans, neque scientiam ipsorum perdit, neque memoriam inspectorum.

Si itaque nullius præteritorum meminit, sed existentium scientiam hic percipit; non igitur in aliis corporibus fuit aliquando neque egit quæ ne quidem agnoscit, neque novit quæ quidem neque videt. Sed quemdamodum unusquisque nostrum suum corpus per artem Dei sumit, sic et suam habet animam. Neque enim sic pauper, neque indigens Deus, ut non unicuique corpori propriam donaret animam, quemadmodum et proprium characterem. Et ideo adimpleto numero quem ipse apud se ante definiit, omnes quicumque sunt scripti in vitam, resurgent, sua corpora et suas habentes animas, et suos spiritus, in quibus placue-

Deo. Qui autem pœna sunt digni, abibunt in eam, i suas habentes animas, et sua corpora, in quibus ab- unt a Dei bonitate. Et cessabunt utrique jam gene- et generari, et ducere uxorem, et nubere; ut com- urata multitudo ante præfinita a Deo generis humani ctorum compago sive aptatio conservet Patris.

› Animæ sunt immortales [1].

enissime autem Dominus docuit, non solum perseve- , non de corpore in corpus transgredientes animas, sed naracterem corporis, in quo etiam adaptantur, custo- eumdem, et meminisse eas operum quæ egerunt hic, quibus cessaverunt, in ea relatione quæ scribitur de e et de Lazaro eo qui refrigerabat in sinu Abrahæ : in ait, divitem cognoscere Lazarum post mortem, et Abra- a autem similiter, et manere in suo ordine unumquem- ipsorum, et postulare mitti ei ad opem ferendam Laza- ı, cui ne quidem de mensæ suæ micis communicabat : et Abrahæ responso, qui non tantum ea quæ secundum sed et quæ secundum divitem essent, sciebat; et præci- bat Moysi assentire et Prophetis eos qui non mallent venire in illum locum pœnæ, et recipientes præconium s qui resurrexerit a mortuis. Per hæc enim manifeste de- ratum est, et perseverare animas, et non de corpore in pus transire, et habere hominis figuram, ut etiam co- scantur, et meminerint eorum quæ sint hic; et pro- ticum quoque adesse Abrahæ, et dignam habitationem ımquamque gentem percipere, etiam ante judicium.

Si qui autem hoc in loco dicant, non posse animas eas, e paulo ante esse cœperint, in multum temporis perse- are, sed oportere eas aut innascibiles esse, ut sint im- rtales; vel si generationis initium acceperint, cum ipso

[1] Cap. xxxiv.

corpore mori : discant, quoniam sine initio et sine
vere et semper idem, et eodem modo se habens solus
Deus, qui est omnium Dominus. Quæ autem sunt ab
omnia, quæcumque facta sunt et fiunt, initium quod
suum accipiunt generationis; et per hoc inferiora sunt
eo qui ea fecit, quoniam non sunt ingenita; perseverant
autem et extenduntur in longitudinem sæculorum, secun-
dum voluntatem factoris Dei : ita ut sic initio fieret,
postea ut sint eis donat.

Quemadmodum enim cœlum, quod est super nos, fir-
mentum, et sol, et luna, et reliquæ stellæ, et omnia or-
menta ipsorum, cum ante non essent, facta sunt, et
tempore perseverant secundum voluntatem Dei : sic et
animabus, et de spiritibus, et omnino de omnibus his
facta sunt, cogitans quis, minime peccabit; quando
quæ facta sunt initium quidem facturæ suæ habeant,
severant autem quoadusque ea Deus et esse et perse-
voluerit. Testatur pro his sententiis etiam Propheticus
ritus, dicens : « Quoniam ipse dixit, et facta sunt
» mandavit, et creata sunt. Statuit ea in sæculum, et
» culum sæculi[1]. » Et iterum de salvando homine sic
« Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum
» sæculum sæculi[2] : » tanquam Patre omnium donante
in sæculum sæculi perseverantiam his qui salvi fiunt.
enim ex nobis, neque ex nostra natura vita est : sed se-
dum gratiam Dei datur. Et ideo qui servaverit datum
et gratias egerit ei qui præstitit, accipiet et in sæculum
culi longitudinem dierum. Qui autem abjecerit eam, et
gratus extiterit factori, ob hoc quod factus est, et non
gnoverit eum qui præstat, ipse se privat in sæculum sæ
perseverantia. Et ideo Dominus dicebat ingratis existen-
bus in eum : « Si in modico fideles non fuistis, quod

[1] Psal. CXLVIII, 5, 6. — [2] Psal. XX, 4.

num est quis dabit vobis[1]? » significans, quoniam qui in ·dica temporali vita ingrati extiterunt ei qui eam præ-·it, juste non percipient ab eo in sæculum sæculi longitu-nem dierum.

Sicut autem corpus animale, ipsum quidem non est ani-a, participatur autem animam quoadusque Deus vult : : et anima ipsa quidem non est vita, participatur autem Deo sibi præstitam vitam. Unde et Propheticus sermo de ·otoplasto ait : « Factus est in animam vivam[2] : » docens »s, quoniam secundum participationem vitæ vivens facta t anima; ita ut separatim quidem anima intelligatur, se-ıratim autem, quæ erga eam est, vita. Deo itaque vitam et ɜrpetuam perseverantiam donante, capit et animas pri-ıum non existentes dehinc perseverare, cum eas Deus et ıse et subsistere voluerit. Principari enim debet in omni-us, et dominari voluntas Dei; reliqua autem omnia huic edere, et subdita esse, et in servitium dedita. Et de fac-ıra quidem et perseverantia animæ hucusque dictum sit.

§ V.

CONCLUSIO[3].

Quoniam autem dictis nostris consonat prædicatio Apostolorum, et Domini magisterium, et Prophetarum annuntiatio, et Apostolorum dictatio, et Legislationis ministratio, ınum eumdemque omnium Deum Patrem laudantium; et ıon alium atque alium, neque ex diversis Diis aut Virtuti-›us substantiam habentem, sed ex uno et eodem Patre ›mnia (qui tamen aptat secundum subjacentium naturas, ɜt dispositionem); et neque ab Angelis, neque ab alia qua-dam Virtute, sed a solo Deo Patre, visibilia atque invisibilia,

[1] Luc. xvi, 11. — [2] Gen. ii, 7.
[3] Cap. xxxv, n. 4.

et omnia omnino quæcumque facta sunt : arbitror quidem sufficienter ostensum et per hæc, tanta, uno ostenso Deo Patre factore omnium. Sed ne putemur fugere illam quæ ex Scripturis Dominicis est probationem, ipsis Scripturis multo manifestius et clarius hoc ipsum prædicantibus, his tamen qui non prave intendunt, eis proprium librum qui sequitur has scripturas reddentes, ex Scripturis divinis probationes apponemus in medio omnibus amantibus veritatem.

LIBER TERTIUS.

PRÆFATIO.

Tu quidem, dilectissime, præceperas nobis ut eas quæ Valentino sunt sententias absconditas, ut ipsi putant, in anifestum proderem, et ostenderem varietatem ipsorum, sermonem destruentem eos inferrem. Aggressi sumus au-m nos, arguentes eos a Simone, patre omnium hæretico-m, et doctrinas et successiones manifestare, et omnibus s contradicere: propter quod cum sit unius operis traduc-) eorum, et destructio in multis, misimus tibi libros, ex iibus primus quidem omnium illorum sententias continet, consuetudines, et characteres ostendit conversationis eo-um. In secundo vero destructa et eversa sunt quæ ab ipsis ıale docentur, et nudata, et ostensa sunt talia qualia et ınt. In hoc autem tertio ex Scripturis inferemus ostensio-es, ut nihil tibi ex his quæ præceperas desit a nobis, sed , præterquam opinabaris, ad arguendum et evertendum os qui quolibet modo male docent, occasiones a nobis ac-ipias. Quæ enim est in Deo charitas, dives et sine invidia xistens, plura donat quam postulet quis ab ea. Memento gitur eorum quæ diximus in prioribus duobus libris; et hæc lis adjungens, plenissimam habebis a nobis adversus om-es hæreticos contradictionem, et fiducialiter ac instantis-ime resistes eis pro sola vera ac vivifica fide, quam ab postolis Ecclesia percepit, et distribuit filiis suis. Etenim Dominus omnium dedit Apostolis suis potestatem Evange-ii, per quos et veritatem, hoc est, Dei Filii doctrinam co-

gnovimus; quibus et dixit Dominus : « Qui vos audit, me » audit : et qui vos contemnit, me contemnit et eum qui » me misit[1]. »

Ut propositum assequatur scopum, 1° de Scripturarum et traditionis auctoritate agit; 2° de Deo uno et omnium creatore; 3° de uno eodemque Jesu Christo vero Deo et homine; 4° de lapsi hominis Salvatore : unde 5° validas contra hæreticos conclusiones deducit.

§ I.

DE SCRIPTURARUM ET TRADITIONIS AUCTORITATE[2].

Non per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quam per eos per quos Evangelium pervenit ad nos : quod quidem tunc præconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostræ futurum. Nec enim fas est dicere, quoniam ante prædicaverunt quam perfectam haberent agnitionem; sicut quidam audent dicere, gloriantes emendatores se esse Apostolorum. Postea enim quam surrexit Dominus noster a mortuis, et induti sunt supervenientis Spiritus sancti virtutem ex alto, de omnibus adimpleti sunt, et habuerunt perfectam agnitionem; exierunt in fines terræ, ea quæ a Deo nobis bona sunt evangelizantes, et cœlestem pacem hominibus annuntiantes, qui quidem et omnes pariter et singuli eorum habentes Evangelium Dei. Ita Matthæus in Hebræis ipsorum lingua Scripturam edidit Evangelii, cum Petrus et Paulus Romæ evangelizarent, et fundarent Ecclesiam. Post vero horum excessum, Marcus, discipulus et interpres Petri, et ipse quæ a Petro annuntiata

[1] Luc. x, 16.
[2] Cap. 1.

nt per scripta nobis tradidit. Et Lucas autem, sectator uli, quod ab illo prædicabatur Evangelium in libro conlit. Postea et Joannes, discipulus Domini, qui et supra ctus ejus recumbebat, et ipse edidit Evangelium, Ephesi iæ commorans.

Et omnes isti unum Deum factorem cœli et terræ, a Lege Prophetis annuntiatum, et unum Christum Filium Dei diderunt nobis : quibus si quis non assentit, spernit quim participes Domini, spernit autem et ipsum Christum ominum, spernit vero et Patrem, et est a semetipso damtus, resistens et repugnans saluti suæ : quod faciunt oms hæretici.

Cum enim[1] ex Scripturis arguuntur, in accusationem nvertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte haant, neque sint ex auctoritate, et quia varie sint dictæ, quia non possit ex his inveniri veritas ab his qui nesant traditionem; non enim per litteras traditam illam, d per vivam vocem : ob quam causam et Paulum dixisse : Sapientiam autem loquimur inter perfectos : sapientiam autem non mundi hujus[2]. » Et hanc sapientiam unusquisue eorum esse dicit, quam a semetipso adinvenerit, fictioem videlicet, ut digne secundum eos sit veritas, aliquando uidem in Valentino, aliquando autem in Marcione, aliuando in Cerintho : postea deinde in Basilide fuit, aut et illo qui contra disputat, qui nihil salutare loqui potuit. nusquisque enim ipsorum omnimodo perversus, semetsum, regulam veritatis depravans, prædicare non conuditur.

Cum autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur, provocamus eos; adversantur traditioni, dicentes

[1] Cap. II.
[2] I Cor. II, 6.

se non solum presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem : apostolos enim admiscuisse ea quæ sunt legalia Salvatoris verbis ; et non solum Apostolos, sed etiam ipsum Dominum, modo quidem a Demiurgo, modo autem a medietate, interdum autem a summitate fecisse sermones : et se vero indubitate, et intaminate, et sincere absconditum scire mysterium : quod quidem impudentissime est blasphemare suum factorem. Evenit itaque, neque Scripturis jam, neque traditioni consentire eos.

Adversus tales certamen nobis est, o dilectissime, more serpentum lubricos undique effugere conantes. Quapropter undique resistendum est illis, si quos ex his retusione confundentes, ad conversionem veritatis adducere possimus. Etenim si non facile est ab errore apprehensam resipiscere animam; sed non omnimodo impossibile est errorem effugere, apposita veritate.

Traditionem itaque [1] Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre : et habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quæ seorsim et latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea quibus etiam ipsas ecclesias committebant; valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes : quibus emendate agentibus fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas.

Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones; maximæ, et

[1] Cap. III.

antiquissimæ, et omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos qui quoquo modo, vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem et malam sententiam, præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio.

Fundantes igitur et instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Hujus Lini Paulus in his quæ sunt ad Timotheum epistolis meminit. Succedit autem ei Anacletus : post eum tertio loco ab Apostolis episcopatum sortitur Clemens, qui et vidit ipsos Apostolos, et contulit cum eis, et cum adhuc insonantem prædicationem Apostolorum et traditionem ante oculos haberet, non solus; adhuc enim multi supererant tunc ab Apostolis docti. Sub hoc igitur Clemente, dissensione non modica inter eos qui Corinthi essent fratres facta, scripsit quæ est Romæ Ecclesia potentissimas litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans, et reparans fidem eorum, et annuntians quam in recenti ab Apostolis acceperat traditionem, annuntiantem unum Deum omnipotentem, factorem cœli et terræ, plasmatorem hominis, qui induxerit cataclysmum, et advocaverit Abraham, qui eduxerit populum de terra Ægypti, qui collocutus sit Moysi, qui legem disposuerit, et Prophetas miserit, qui ignem præparaverit diabolo et Angelis ejus. Hunc Patrem Domini nostri Jesu Christi ab ecclesiis annuntiari, ex ipsa Scriptura, qui velint discere possunt, et Apostolicam Ecclesiæ traditionem

intelligere; cum sit vetustior epistola his qui nunc falso docent et alterum Deum super Demiurgum, et factorem horum omnium quæ sunt, commentiuntur. Huic autem Clementi succedit Evaristus, et Evaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus, et ab hoc Telesphorus, qui etiam gloriosissime martyrium fecit: ac deinceps Hyginus, post Pius, post quem Anicetus. Cum autem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius. Hac ordinatione et successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, et veritatis præconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, unam et eamdem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata, et tradita in veritate.

Et Polycarpus autem non solum ab Apostolis edoctus, et conversatus cum multis ex eis qui Dominum nostrum viderunt; sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis ecclesia constitutus episcopus, quem et nos vidimus in prima nostra ætate (multum enim perseveravit, et valde senex gloriosissime et nobilissime martyrium faciens exivit de hac vita), hæc docuit semper quæ ab Apostolis didicerat, quæ et Ecclesiæ tradidit, et sola sunt vera. Testimonium his perhibent quæ sunt in Asia ecclesiæ omnes, et qui usque adhuc successerunt Polycarpo: qui vir multo majoris auctoritatis, et fidelior veritatis est testis, quam Valentinus et Marcion, et reliqui, qui sunt perversæ sententiæ. Is enim est qui sub Aniceto cum advenisset in urbem, multos ex his quos prædiximus hæreticos convertit in Ecclesiam Dei, unam et solam hanc veritatem annuntians ab Apostolis percepisse se, quam et Ecclesiæ tradidit. Et sunt qui audierunt eum dicentem, quoniam Joannes Domini discipulus in Epheso iens lavari, cum vidisset intus Cerinthum, exsilierit de balneo non lotus; dicens, quod timeat

balneum concidat, cum intus esset Cerinthus inimicus ·itatis. Et ipse autem Polycarpus Marcioni aliquando oc-·renti sibi, et dicenti : « Cognoscis nos? » respondit : ;ognosco te primogenitum Satanæ. » Tantum Apostoli horum discipuli habuerunt timorem, ut ne verbo tenus nmunicarent alicui eorum qui adulteraverant verita-n, quemadmodum et Paulus ait : « Hæreticum autem ominem post unam correptionem devita, sciens quo-iam perversus est qui est talis, et est a semetipso dam-:atus [1]. » Est autem et epistola Polycarpi ad Philippenses ·ipta perfectissima, ex qua et characterem fidei ejus, et edicationem veritatis, qui volunt et curam habent suæ utis, possunt discere. Sed et quæ est Ephesi Ecclesia a ulo quidem fundata, Joanne autem permanente apud ; usque ad Trajani tempora, testis est verus Apostolo-m traditionis.

Tantæ igitur [2] ostensiones cum sint, non oportet adhuc ærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia mere; cum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenis-ne in eam contulerint omnia quæ sint veritatis : uti omnis icumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim æ introitus; omnes autem reliqui fures sunt et latrones. opter quod oportet devitare quidem illos; quæ autem sunt clesiæ, cum summa diligentia diligere, et apprehendere ritatis traditionem. Quid enim? Et si de aliqua modica æstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissi-ıs recurrere ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum et re li-idum est? Quid autem si neque Apostoli quidem Scriptu-s reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi tradi-ınis, quam tradiderunt iis quibus committebant ecclesias?

[1] Tit. III, 10.
[2] Cap. IV.

Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes; in unum Deum credentes fabricatorem cœli et terræ, et omnium quæ in eis sunt, per Christum Jesum Dei Filium : qui propter eminentissimam erga figmentum suum dilectionem, eam quæ esset ex Virgine generationem sustinuit, ipse per se hominem adunans Deo, et passus sub Pontio Pilato, et resurgens, et in claritate receptus, in gloria venturus salvator eorum qui salvantur, et judex eorum qui judicantur, et mittens in ignem æternum transfiguratores veritatis, et contemptores Patris sui et adventus ejus. Hanc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt; quantum autem ad sententiam, et consuetudinem, et conversationem, propter fidem perquam sapientissimi sunt, et placent Deo, conversantes in omni justitia, et castitate, et sapientia. Quibus si aliquis annuntiaverit ea quæ ab hæreticis adinventa sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures, longo longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam veterem Apostolorum traditionem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt, quodcumque eorum portentiloquium est : nequedum enim congregatio fuit apud eos, neque doctrina instituta.

Ante Valentinum enim non fuerunt, qui sunt a Valentino; neque ante Marcionem erant, qui sunt a Marcione: neque omnino erant reliqui sensus maligni quos supra enumeravimus, antequam initiatores et inventores perversitatis eorum fierent. Valentinus enim venit Romam sub Hygino; increvit vero sub Pio, et prorogavit tempus usque ad Anicetum. Cerdon autem, qui ante Marcionem, et hic sub Hygino, qui fuit octavus episcopus, sæpe in Ecclesiam ve-

ns, et exomologesim faciens, sic consummavit, modo dem latenter docens, modo vero exomologesim faciens, do vero ab aliquibus traductus in his quæ docebat male, ıbstentus est a religiosorum hominum conventu. Marcion em illi succedens invaluit sub Aniceto, decimum locum scopatus continente. Reliqui vero, qui vocantur Gnostici, enandro Simonis discipulo, quemadmodum ostendimus, ipientes initia, unusquisque eorum, cujus participatus sententiæ, ejus et pater et antistes apparuit. Omnes au- ı hi multo posterius, mediantibus jam Ecclesiæ tempori-, insurrexerunt in suam apostasiam.

Traditione igitur[1], quæ est ab Apostolis, sic se habente Ecclesia, et permanente apud nos, revertamur ad eam e est ex Scripturis ostensionem, eorum qui Evangelium scripserunt, Apostolorum, ex quibus conscripserunt de › sententiam, ostendentes quoniam Dominus noster Je-Christus veritas est, et mendacium in eo non est. Quem-nodum et David eam quæ est ex Virgine generationem s, et eam quæ est ex mortuis resurrectionem prophe-s, ait : « Veritas de terra orta est[2]. » Et Apostoli autem cipuli veritatis existentes, extra omne mendacium sunt : enim communicat mendacium veritati, sicut non com-nicant tenebræ luci; sed præsentia alterius excludit alte-ı. Veritas ergo Dominus noster existens, non mentieba-: et quem sciebat labis esse fructum, non utique Deum fiteretur, et Deum omnium, et summum Regem, et Pa-n suum, perfectus imperfectum, spiritualis animalem, is in Pleromate esset eum qui extra Pleroma. Neque dis-ıli ejus alium quemdam Deum nominarent, aut Domi-ı vocarent, præter eum qui vere esset Deus et Dominus nium : quemadmodum dicunt hi, qui sunt vanissimi

[1] Cap. v.
[2] Joan. xiv, 6; Psal. lxxxiv, 12.

sophistæ, quoniam Apostoli cum hypocrisi fecerunt doctrinam secundum audientium capacitatem, et responsiones secundum interrogantium suspiciones, cæcis cæca confabulantes secundum cæcitatem ipsorum, languentibus autem secundum languorem ipsorum, et errantibus secundum errorem eorum, et putantibus Demiurgum solum esse Deum, hunc annuntiasse; his vero qui innominabilem Patrem capiunt, per parabolas et ænigmata inenarrabile fecisse mysterium : uti non quemadmodum habet ipsa veritas, sed in hypocrisi, et quemadmodum capiebat unusquisque, Dominum et Apostolos edidisse magisterium.

Hoc autem non est sanantium, nec vivificantium, sed magis gravantium et augentium ignorantiam ipsorum : et multo verior his Lex invenietur, maledictum dicens omnem qui in errorem mittat cæcum in via [1]. Qui enim ad inventionem missi erant errantium Apostoli, et ad visionem eorum qui non videbant, et ad medicinam languentium, utique non secundum præsentem opinionem colloquebantur eis, sed secundum veritatis manifestationem. Nec enim quilibet homines recte facient, si cæcos jamjamque per præcipitium ferri incipientes adhortentur insistere illi periculosissimæ viæ, quasi vere rectæ, et quasi bene perventuri sint. Quis autem medicus volens curare ægrotum, faciat secundum concupiscentias ægrotantium, et non secundum quod aptum est medicinæ? Quoniam autem Dominus medicus venit eorum qui male habent, ipse testificatur, dicens : « Non » est opus sanis medicus, sed male habentibus. Non veni vo» care justos, sed peccatores ad pœnitentiam [2]. » Quomodo ergo qui male habent confirmabuntur? et quomodo peccatores pœnitentiam agent? Utrum perseverantes in eisdem ipsis; an e contrario, magnam commutationem, et transgressionem prioris conversationis accipientes, per quam

[1] Deut. xxvii, 18. — [2] Luc. v, 31, 32.

ægritudinem non modicam, et multa peccata sibimet-s importaverunt? Ignorantia autem mater horum om-m per agnitionem evacuatur. Agnitionem ergo faciebat minus suis discipulis, per quam et curabat laborantes, et catores a peccando coercebat. Non igitur jam secun-n pristinam opinionem loquebatur eis, neque secundum picionem interrogantium respondebat eis; sed secun-n doctrinam salutarem, et sine hypocrisi, et sine per-æ acceptione.

Quod etiam ex Domini sermonibus ostenditur: qui qui-n his qui erant ex circumcisione ostendebat Filium i, eum qui per Prophetas prædicatus fuerat, Christum; c est, semetipsum manifestabat, qui libertatem homini-s restauraverit, et attribuerit incorruptelæ hæreditatem. ntes autem iterum docebant Apostoli, ut relinquerent na ligna et lapides, quæ suspicabantur esse Deos, et ve-m colerent Deum, qui constituisset et fecisset omne hu-anum genus, et per conditionem suam aleret et augeret, constabiliret, et eis esse præstaret; et ut exspectarent lium ejus Jesum Christum, qui redemit nos de apostasia nguine suo, ad hoc ut essemus et nos populus sanctifica-s, de cœlis descensurum in virtute Patris, qui et judi-um omnium facturus est, et ea quæ a Deo sunt bona do-turus his qui servaverint præcepta ejus. Hic in novissimis mporibus apparens, lapis summus angularis, in unum llegit et univit eos qui longe et eos qui prope, hoc est, rcumcisionem et præputium, dilatans Japhet, et consti-ens eum in domo Sem[1].

[1] Gen. IX, 27.

§ II.

DE DEO UNO ET OMNIUM CREATORE.

Susceptum demonstrat argumentum ex veteri novoque Testamento.

1° Quidem ex veteri [1].

Neque igitur Dominus, neque Spiritus sanctus, neque Apostoli eum qui non esset Deus, definitive et absolute Deum nominassent aliquando, nisi esset vere Deus; neque Dominum appellassent aliquem ex sua persona, nisi qui dominatur omnium, Deum Patrem, et Filium ejus, qui dominium accepit a Patre suo omnis conditionis, quemadmodum habet illud : « Dixit Dominus Domino meo : Sede a » dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos suppeda- » neum pedum tuorum [2]. » Patrem enim Filio collocutum ostendit : qui dedit ei hæreditatem Gentium, et subjecit ei omnes inimicos. Vere igitur cum Pater sit Dominus, et Filius vere sit Dominus, merito Spiritus sanctus Domini appellatione signavit eos. Et iterum in eversione Sodomitarum Scriptura ait : « Et pluit Dominus super Sodomam et Go- » morrham ignem et sulfur a Domino de cœlo [3]. » Filium enim hic significat, qui et Abrahæ collocutus sit, a Patre accepisse potestatem ad judicandum Sodomitas, propter iniquitatem eorum. Similiter habet illud : « Sedes tua, Deus, » in æternum; virga directionis, virga regni tui. Dilexisti » justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, » Deus tuus [4]. » Utrosque enim Dei appellatione signavit Spiritus, et eum qui ungitur, Filium, et eum qui ungit, id est, Patrem. Et iterum : « Deus stetit in synagoga Deo- » rum, in medio autem Deos discernit [5]. » De Patre, et Filio,

[1] Cap. 6, n. 1 et seqq.

[2] Psal. CIX, 1. — [3] Gen. XIX, 24. — [4] Psal. XLIV, 7 et seq. — [5] Psal. LXXXI, 1.

le his qui adoptionem perceperunt, dicit : Hi autem sunt
clesia. Hæc enim est synagoga Dei, quam Deus, hoc est,
ius ipse per semetipsum collegit. De quo iterum dicit :
eus Deorum Dominus locutus est, et vocavit terram[1]. »
is Deus? de quo dixit : « Deus manifeste veniet, Deus
oster, et non silebit[2] : » hoc est, Filius, qui secundum
nifestationem hominibus advenit, qui dicit : « Palam ap-
arui his qui me non quærunt[3]. » Quorum autem Deo-
m? quibus dicit : « Ego dixi, Dii estis, et filii Altissimi
mnes[4] : » his scilicet qui adoptionis gratiam adepti sunt,
r quam « clamamus : Abba Pater[5]. »

Nemo igitur alius, quemadmodum prædixi, Deus nomi-
tur, aut Dominus appellatur, nisi qui est omnium Deus
Dominus, qui et Moysi dixit : « Ego sum, qui sum. Et
ic dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos[6] : » et hu-
s Filius Jesus Christus Dominus noster, qui filios Dei
cit credentes in nomen suum. Et iterum, loquente Filio
Moysen : « Descendi, inquit, eripere populum hunc[7]. »
se est enim qui descendit, et ascendit propter salutem
minum. Per Filium itaque, qui est in Patre, et habet in
Patrem, is qui est manifestatus est Deus; Patre testimo-
um perhibente Filio, et Filio annuntiante Patrem. Quem-
modum et Esaias ait : « Et ego, inquit, testis, dicit Domi-
ius Deus, et puer quem elegi, uti cognoscatis, et credatis,
t intelligatis, quoniam ego sum[8]. »

Cum autem eos qui non sunt Dii nominat, non in to-
m, quemadmodum prædixi, Scriptura ostendit illos Deos;
d cum aliquo additamento, et significatione, per quam
tenduntur non esse Dii. Quemadmodum apud David :
Dii Gentium, idola dæmoniorum[9]; » et : « Deos alienos

[1] Psal. XLIX, 1. — [2] *Ibid.* 3. — [3] Esai. LXV, 1. — [4] Psal. LXXXI, 6. —
[5] Rom. VIII, 15. — [6] Exod. III, 14. — [7] *Ibid.* 8. — [8] Esai. XLIII, 10. — [9] Psal.
V, 5.

» non sectabimini[1]. » Ex eo enim quod dicit, *Dii Gentium* (Gentes autem verum Deum nesciunt), et *alienos Deos* nominans eos, abstulit quod sint dii. A sua autem persona quod est, dicit de ipsis : Sunt enim *idola*, inquit, *dæmoniorum*. Et Esaias : « Confundantur omnes qui blasphemant » Deum, et sculpunt inutilia; et ego testis, dicit Dominus[2]. » Abstulit quod sint dii; solo autem utitur nomine, ad hoc ut sciamus de quo dicit. Hoc autem ipsum et Jeremias : « Dii, inquit, qui non fecerunt cœlum et terram, pereant » de terra quæ est sub cœlo[3]. » Ex eo enim quod perditionem eorum adjecit, ostendit non esse eos deos. Et Helias autem convocato universo Israel in Carmelum montem, volens eos ab idololatria avertere, ait eis : « Quousque » claudicabitis vos in ambabus suffraginibus? Si unus est » Dominus Deus, venite post eum[4]. » Et iterum super holocaustum sic ait idolorum sacerdotibus : « Vos invocabitis » in nomine deorum vestrorum, et ego invocabo in nomine » Domini Dei mei; et Deus qui exaudiet hodie, ipse est » Deus[5]. » In eo enim quod hæc dicebat Propheta, qui quidem apud ipsos putabantur dii, arguit deos non esse. Convertit autem eos ad eum Deum qui et credebatur ab eo, et qui vere erat Deus, quem et invocans clamabat : « Domine Deus » Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, exaudi me hodie : et » intelligat omnis populus hic, quoniam tu es Deus Israel[6]. »

Et ego igitur invoco te, Domine Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, et Israel, qui es Pater Domini nostri Jesu Christi, Deus qui per multitudinem misericordiæ tuæ bene sensisti in nobis, ut te cognoscamus; qui fecisti cœlum et terram, qui dominaris omnium, qui es *solus et verus* Deus, super quem alius Deus non est : per Dominum nostrum Jesum Christum dominationem quoque dona Spiritus

[1] Psal. LXXX, 10. — [2] Esai. XLIV, 9. — [3] Jerem. X, 11. — [4] 3 Reg. XVIII, 21. — [5] *Ibid.* 24. — [6] *Ibid.* 36.

...da omni legenti hanc scripturam agnoscere te, quia ...us es, et confirmari in te, et absistere ab omni hæ...et quæ est sine Deo, et impia sententia.

...x novo Testamento, videlicet

...x Matthæo[1] :

...nso hoc igitur plane (et adhuc ostendetur manifes... neminem alterum Dominum vel Deum, neque Pro..., neque Apostolos, neque Dominum Christum con...ı esse ex sua persona, sed præcipue Deum et Do...n : Prophetis quidem et Apostolis Patrem et Filium ...entibus; alterum autem neminem, neque Deum no...ıtibus, neque Dominum confitentibus : et ipso Do... Patrem tantum Deum et Dominum eum qui solus ...eus et dominator omnium, tradente discipulis; se...ıos oportet, si quidem illorum sumus discipuli, testi...ia illorum ita se habentia. Matthæus enim Apostolus, ...m et eumdem sciens Deum, qui promissionem fecerit ...ahæ, facturum se semen ejus quasi stellas cœli[2], qui per ...um suum Christum Jesum a lapidum cultura in suam agnitionem vocaverit; uti fieret « qui non populus, po...ılus; et non dilecta, dilecta[3]; » ait Joannem præparan...ı Christo viam his qui in carnali quidem cognatione ...riabantur, varium autem et omni malitia completum sen...m habebant, eam pœnitentiam, quæ a malitia revocaret, ...nuntiantem dixisse : « Progenies viperarum, quis vobis ...monstravit fugere ab ira ventura? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Et nolite dicere in vobis ipsis : Patrem habemus Abraham : dico enim vobis, quoniam potens est Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ[4]. » ...œnitentiam igitur eis eam, quæ esset a malitia, præcona-

[1] Cap. IX.

[2] Gen. XX, 5. — [3] Rom. IX, 25; et Ose. I, 10, et II, 23. — [4] Matth. III, et seqq.

bat; sed non alterum Deum annuntiabat, præter eum qui fecisset promissionem Abrahæ, ille Præcursor Christi; de quo iterum ait Matthæus, similiter autem et Lucas: « Hic » enim est qui dictus est a Domino per Prophetam: Vox » clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite » semitas Dei nostri. Omnis vallis implebitur, et omnis » mons et collis humiliabitur, et erunt tortuosa in directa, » et aspera in vias planas: et videbit omnis caro salutare » Dei[1]. » Unus igitur et idem Deus est, Pater Domini nostri, qui et Præcursorem per Prophetas missurum se promisit: et salutare suum, id est Verbum suum, visibile effecit omni fieri carni, incarnatum et ipsum, ut in omnibus manifestus fieret Rex eorum. Etenim ea quæ judicantur oportebat videre judicem, et scire hunc a quo judicantur; et ea quæ gloriam consequuntur oportebat scire eum qui munus gloriæ eis donat.

Iterum autem de Angelo dicens Matthæus, ait: « Angelus » Domini apparuit Joseph in somnis[2]. » Cujus Domini, ipse interpretatur: « Uti adimpleatur quod dictum est a Domino » per Prophetam: Ex Ægypto vocavi filium meum[3]. Ecce » Virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabunt no» men ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum » Deus[4]. » De hoc qui est ex Virgine Emmanuel, dixit David: « Non avertas faciem Christi tui. Juravit Dominus » David veritatem, et non spernet eum; de fructu ventris » tui ponam super sedem tuam[5]. » Et iterum: « Notus in » Judæa Deus, et factus est in pace locus ejus, et habita» culum ejus in Sion[6]. » Unus igitur et idem Deus, qui a Prophetis prædicatus est, et ab Evangelio annuntiatus; et hujus Filius qui ex fructu ventris David, id est, ex David Virgine, et Emmanuel: cujus et stellam Balaam quidem

[1] Matth. III, 3; Luc. III, 4 et seqq. — [2] Matth. I, 20, et II, 13. — [3] Matth. II, 15. — [4] Matth. I, 23. — [5] Psal. CXXXI, 10, 11. — [6] Psal. LXXV, 2.

; prophetavit : « Orietur stella ex Jacob, et surget dux in Israel[1]. » Matthæus autem Magos ab Oriente venientes ait xisse : « Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum[2] ; » deductosque a stella in domum Jacob l Emmanuel, per ea quæ obtulerunt munera ostendisse ıis erat qui adorabatur : myrrham quidem, quod ipse 'at qui pro mortali humano genere moreretur et sepeli- ıtur; aurum vero, quoniam Rex, « cujus regni finis non est[3]; » thus vero, quoniam Deus, qui et « notus in Judæa factus est[4], » et manifestus eis qui non quærebant eum.

Adhuc ait in baptismate Matthæus : « Aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei, quasi columbam venientem super eum. Et ecce vox de cœlo, dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui[5]. » Non enim Chris- ıs tunc descendit in Jesum; neque alius quidem Christus, ius vero Jesus : sed Verbum Dei, qui est Salvator om- ium, et dominator cœli et terræ, qui est Jesus (quemad- ıodum ante ostendimus), qui et assumpsit carnem, et nctus est a Patre Spiritu, Jesus Christus factus est; sicut t Esaias ait : « Exiet virga de radice Jesse, et flos de ra- dice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Dei, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitu- dinis, spiritus scientiæ et pietatis, et implebit eum spiritus timoris Dei. Non secundum gloriam judicabit, neque se- cundum loquelam arguet; sed judicabit humili judicium, et arguet gloriosos terræ[6]. » Et iterum ipse Esaias unctio- em ejus, et propter quid unctus est, præsignificans ait : Spiritus Dei super me, quapropter unxit me, evangelizare humilibus misit me, curare comminutos corde, præco- nare captivis remissionem, et cæcis visionem, vocare an- num Domini acceptabilem, et diem retributionis, conso-

[1] Num. xxiv, 15. — [2] Matth. ii, 2. — [3] Luc. i, 33. — [4] Psal. lxxv, 2. — Matth. iii, 16. — [6] Esai. xi, 1 et seqq.

» lari omnes plangentes[1]. » Nam secundum id quod Verbum Dei homo erat, ex radice Jesse, et filius Abrahæ, secundum hoc requiescebat Spiritus Dei super eum, et ungebatur ad evangelizandum humilibus. Secundum autem quod Deus erat, non secundum gloriam judicabat, neque secundum loquelam arguebat : « Non enim opus erat illi, » ut quis testimonium diceret de homine, cum ipse sciret » quid esset in homine[2]. » Advocabat autem omnes homines plangentes, et remissionem his qui a peccatis in captivitatem deducti erant donans, solvebat eos a vinculis, de quibus ait Salomon : « Restibus autem peccatorum suorum » unusquisque constringitur[3]. » Spiritus ergo Dei descendit in eum, ejus qui per Prophetas promiserat uncturum se eum, ut de abundantia unctionis ejus nos percipientes salvaremur. Et sic quidem Matthæus.

2° Ex Luca et Marco[4] :

Lucas autem, sectator et discipulus Apostolorum, de Zacharia, et Elizabeth, ex quibus secundum repromissionem Dei Joannes natus est, referens ait : « Erant autem » justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis » et justitiis Domini sine querela[5]. » Et iterum de Zacharia dicens : « Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur » in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem » sacerdotii, sorte exivit ut incensum poneret, et venit uti » sacrificaret, intrans in templum Domini[6]. » Qui præest in conspectu Domini, simpliciter, et absolute, et firme Deum et Dominum confitens ex sua persona, eum qui elegerit Jerusalem, et legisdationem sacerdotii fecerit, cujus est et Angelus Gabriel. Etenim alterum super hunc nesciebat :

[1] Esai. LXI, 1 et seqq. — [2] Joan. II, 25. — [3] Prov. V, 22.
[4] Cap. X.
[5] Luc. I, 6. — [6] Ibid. 8.

si enim intellectum perfectioris alicujus Dei et Domini, præter hunc, habuisset, non utique hunc, quem sciebat labis esse fructum, absolute, et in totum, Dominum et Deum confiteretur, sicut ante ostendimus. Sed et de Joanne dicens, sic ait : « Erit enim magnus in conspectu Domini, et » multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ip» sorum, et ipse præcedet in conspectu ejus, in spiritu et » virtute Heliæ, præparare Domino plebem perfectam[1]. » Cui ergo populum præparavit, et in cujus Domini conspectu magnus factus est? Utique ejus qui dixit : « Quoniam et » plus quam propheta habuit aliquid Joannes, et nemo in » natis mulierum major est Joanne Baptista[2] : » qui et populum præparabat ad adventum Domini, conservis prænuntians, et pœnitentiam ipsis præconans, uti remissionem a Domino præsente perciperent, conversi ad eum a quo propter peccata et transgressionem erant abalienati; quemadmodum et David ait : « Alienati sunt peccatores ab utero, » erraverunt a ventre[3]. » Et propter hoc convertens eos ad Dominum eorum, præparabat Domino populum perfectum, in spiritu et virtute Heliæ.

Et iterum de Angelo referens ait : « In ipso autem tem» pore missus est Angelus Gabriel a Deo, qui et dixit Vir» gini : Noli timere, Maria, invenisti enim gratiam apud » Deum[4]. » Et de Domino dicit : « Hic erit magnus, et Filius » Altissimi vocabitur, et dabit ei Dominus Deus thronum » David patris sui, et regnabit in domo Jacob in æternum, » et regni ejus non erit finis[5]. » Quis est autem alius qui regnat in domo Jacob sine intermissione in æternum, nisi Christus Jesus Dominus noster, Filius Dei altissimi, qui per Legem et Prophetas promisit salutarem suum facturum se omni carni visibilem, ut fieret Filius hominis, ad hoc ut

[1] Luc. I, 15 et seq. — [2] Matth. XI, 9, 11. — [3] Psal. LVII, 4. — [4] Luc. I, 26, 30. — [5] *Ibid.* 32 et seq.

et homo fieret filius Dei? Propter quod et exsultans Maria, clamabat pro Ecclesia prophetans : « Magnificat anima mea » Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo. » Assumpsit enim Israel puerum suum, reminisci miseri» cordiæ : quemadmodum locutus est ad patres nostros, » Abrahæ, et semini ejus in æternum[1]. » Per hæc igitur et tanta monstrat Evangelium, quoniam qui locutus est patribus Deus, hic est qui per Moysem Legis donationem fecit, per quam Legis donationem cognovimus quoniam patribus locutus est. Hic idem Deus secundum magnam bonitatem suam effudit misericordiam in nos, in qua misericordia « conspexit nos Oriens ex alto, et apparuit his qui » in tenebris et umbra mortis sedebant, et direxit pedes nos» tros in viam pacis[2]; » quemadmodum et Zacharias desinens mutus esse, quod propter infidelitatem passus fuerat, novello spiritu adimpletus, nove benedicebat Deum. Omnia enim nova aderant, Verbo nove dispenente carnalem adventum, uti eum hominem qui extra Deum abierat, adscriberet Deo : propter quod et nove Deum colere docebantur; sed non alium Deum, quoniam quidem « unus Deus, » qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per » fidem[3]. »

Prophetans autem Zacharias dicebat : « Benedictus Do» minus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem » populo suo. Et erexit cornu salutis nobis in domo David » pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum Propheta» rum suorum, qui a sæculo sunt. Salutem ex inimicis nos» tris, et ex manu omnium qui oderunt nos. Ad faciendam » misericordiam cum patribus nostris, et reminisci testa» menti sancti sui. Jusjurandum quod juravit ad Abraham » patrem nostrum, uti det nobis sine timore ex manu inimi» corum ereptos servire sibi in sanctitate et justitia, in con-

[1] Luc. I, 46, 54, 55. — [2] *Ibid.* 78 et seqq. — [3] Rom. III, 30.

spectu suo omnes dies nostros[1]. » Deinde ad Joannem di- ;it : « Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Ad dandum intellectum salutis populo ejus, in remissionem peccatorum eorum[2]. » Hæc enim est salutis agnitio, quæ deerat eis, uæ est Filii Dei, quam faciebat Joannes, dicens : « Ecce agnus Dei, qui aufert peccatum mundi. Hic erat de quo dicebam : Post me venit vir, qui ante me factus est, quoniam prior me erat[3] : Omnesque de plenitudine ejus accepimus[4]. » Hæc itaque salutis agnitio; sed non alter Deus, ec alter Pater, neque Bythus, neque Pleroma triginta Æonum, nec mater ogdoados : sed agnitio salutis erat agnitio 'ilii Dei, qui et salus, et Salvator, et salutare vere et dicitur t est. Salus quidem, sic : « In salutem tuam sustinui te, Domine[5]. » Salvator autem iterum : « Ecce Deus meus Salvator meus, fidens ero in eum[6]. » Salutare autem sic : Notum fecit Deus salutare suum in conspectu gentium[7]. » st enim Salvator quidem, quoniam Filius et Verbum Dei; ılutare autem, quoniam Spiritus : « Spiritus enim, inquit, faciei nostræ, Christus Dominus[8]; » salus autem, quoniam aro : « Verbum enim caro factum est, et habitavit in nobis[9]. » anc igitur agnitionem salutis faciebat Joannes pœnitenam agentibus, et credentibus in agnum Dei, qui tollit eccatum mundi.

« Apparuit, inquit, et pastoribus Angelus Domini annuntians gaudium eis, quoniam generatus est in domo David Salvator, qui est Christus Dominus[10]. Deinde multitudo exercitus cœlestis laudantium Deum et dicentium : Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis[11]. » Hos Angelos falsarii Gnostici dicunt ab ogdoade

[1] Luc. I, 68 et seqq.—[2] *Ibid.* 76 et seqq.—[3] Joan. I, 29 et seqq.—[4] *Ibid.* . — [5] Gen. XLIX, 18. — [6] Esai. XII, 2. — [7] Psal. XCVII, 2. — [8] Thren. IV, . — [9] Joan. I, 14. — [10] Luc. II, 8 et seqq. — [11] *Ibid.* 13 et seqq.

venisse, et descensionem superioris Christi manifestam. Sed corruunt iterum dicentes, eum qui sursum sit, Christum et Salvatorem non natum esse, sed et post baptisma ejus, qui sit de dispositione, Jesu, ipsum sicut columbam in eum descendisse. Mentiuntur ergo ogdoados Angeli, secundum eos, dicentes : « Quoniam generatus est hodie vobis Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. » Neque enim Christus neque Salvator tunc natus est, secundum eos, sed ille qui est de dispositione Jesus, qui est mundi fabricatoris, in quem post baptisma descendisse hoc est, post triginta annos, supernum Salvatorem dicunt. Quid autem *in civitate David* apposuerunt, nisi ut eam pollicitationem, quæ a Deo facta est David, quoniam de fructu ventris ejus æternus erit Rex, adimpletam evangelizarent? Etenim fabricator totius universitatis fecerat promissionem David, quemadmodum ipse David ait : « Adjutorium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram[1]. » Et iterum : « In manu ejus fines terræ, et altitudines montium ipsius sunt. Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et aridam manus ejus fundaverunt. Venite adoremus, et procidamus ante eum, et ploremus in conspectu Domini, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster[2]. » Manifeste pronuntians Spiritus sanctus per David audientibus eum, quoniam erunt qui contemnant eum qui plasmavit nos, qui et solus est Deus. Propter quod et dicebat quæ prædicta sunt, significans : Quoniam ne erraveritis; præter hunc, aut super hunc, alius non est Deus cui magis intendere oporteat; religiosos nos et gratos præparans in eum qui fecerit, et constituerit, et enutriat. Quid ergo erit his qui tantum blasphemiæ adversus suum factorem adinvenerunt? Hoc idem autem et Angeli. In eo enim quod dicunt : « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax, » eum

[1] Psal. VII, 11, et CXXIII, 8. — [2] Psal. XCIV, 4 et seqq.

sit altissimorum, hoc est, supercœlestium factor, et eo-
n quæ super terram omnium conditor, his sermonibus
rificaverunt : qui suo plasmati, hoc est, hominibus, suam
ıignitatem salutis de cœlo misit. Propter quod et « Pas-
ɔres, ait, revertebantur, glorificantes Deum in omnibus
uæ audierant et viderant, quemadmodum et narratum
st ad eos[1]. » Non enim alterum Deum glorificabant Israe-
ɜ pastores, sed illum qui a Lege et Prophetis annuntiatus
, factorem omnium, quem et glorificabant Angeli. Si
tem alterum quidem Angeli qui erant ab ogdoade glori-
ıbant, alterum vero pastores ; errorem eis et non veri-
em detulerunt hi qui ab ogdoade erant Angeli.

Adhuc ait Lucas de Domino : « Cum impleti essent dies
urgationis, imposuerunt eum in Hierusalem, adstare
omino, quemadmodum scriptum est in Lege Domini,
uoniam omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum
omini vocabitur ; et ut darent sacrificium, secundum
uod dictum est in Lege Domini, par turturum, aut duos
ullos columbarum[2] : » ex sua persona manifestissime Do-
num appellans eum qui legislationem fecerit. Et « Simeon
utem, inquit, benedixit Deum, et ait : Nunc dimittis ser-
um tuum, Domine, in pace : quia viderunt oculi mei sa-
ıtare tuum : quod parasti ante faciem omnium populo-
um ; lumen ad revelationem Gentium, et gloriam populi
ui Israel[3]. » Et « Anna autem prophetissa, » ait, similiter
ırificabat Deum, videns Christum ; « et loquebatur de eo
mnibus qui exspectabant redemptionem Hierusalem[4]. »
r hæc autem omnia unus Deus demonstratur, novam li-
rtatis dispositionem per novum adventum Filii sui homi-
us aperiens.

Quapropter et Marcus, interpres et sectator Petri, ini-
m Evangelicæ conscriptionis fecit sic : « Initium Evan-

Luc. II, 20. — [2] *Ibid.* 22 et seqq. — [3] *Ibid.* 29 et seqq. — [4] *Ibid.* 36, 38.

» gelii Jesu Christi Filii Dei, quemadmodum scriptum
» in Prophetis : Ecce, mitto Angelum meum ante faci
» tuam, qui præparabit viam tuam. Vox clamantis in
» serto : Parate viam Domini, rectas facite semitas a
» Deum nostrum[1]. » Manifeste initium Evangelii ex
cens sanctorum Prophetarum voces, et eum quem
Dominum et Deum confessi sunt, hunc Patrem Dom
nostri Jesu Christi præmonstrans, qui et promiserit ei
gelum suum ante faciem ejus missurum; qui erat Joan
in spiritu et virtute Heliæ clamans in eremo : « Pr
» viam Domini, rectas facite semitas ante Deum nostr
Quoniam quidem non alium et alium Prophetæ annu
bant Deum, sed unum et eumdem, variis autem sign
tionibus, et multis appellationibus : multus enim et
Pater, quemadmodum in eo libro qui ante hunc est os
mus, et ex ipsis autem Prophetis procedente nobis ser
ostendemus. In fine autem Evangelii ait Marcus : « E
» dem Dominus Jesus, postquam locutus est eis, rec
» est in cœlos, et sedet ad dexteram Dei[3]; » con
quod a Propheta dictum est : « Dixit Dominus Dom
» meo : Sede a dextris meis, quoadusque ponam in
» tuos suppedaneum pedum tuorum[4]. » Sic quidem un
idem Deus et Pater est, qui a Prophetis quidem annu
tus, ab Evangelio vero traditus, quem Christiani col
et diligimus ex toto corde, factorem cœli et terræ, et o
nium quæ in eis sunt.

3º Ex Joanne Evangelista[5] :

Hanc fidem annuntians Joannes Domini discipulus, vo
lens per Evangelii annuntiationem auferre eum qui a C

[1] Marc. I, 1 et seqq. — [2] Luc. I, 17. — [3] Marc. XVI, 19. — [4] Psal. CI
— [5] Cap. XI.

ntho inseminatus erat hominibus errorem, et multo prius
› his qui dicuntur Nicolaitæ, qui sunt vulsio ejus, quæ
lso cognominatur scientia, ut confunderet eos, et suade-
:t quoniam unus Deus qui omnia fecit per Verbum suum,
non, quemadmodum illi dicunt, alterum quidem fabri-
ıtorem, alium autem Patrem Domini; et alium quidem
bricatoris filium, alterum vero de superioribus, Christum,
ıem et impassibilem perseverasse, descendentem in Jesum
lium fabricatoris, et iterum revolasse in suum Pleroma;
initium quidem esse Monogenem, Logon autem verum
lium Unigeniti; et eam conditionem quæ est secundum
›s, non a primo Deo factam, sed a Virtute aliqua valde
ɜorsum subjecta, et abscissa ab eorum communicatione,
ıæ sunt invisibilia et innominabilia. Omnia igitur talia cir-
ımscribere volens Discipulus Domini, et regulam veritatis
›nstituere in Ecclesia, quia est unus Deus omnipotens, qui
ɜr Verbum suum omnia fecit, et visibilia et invisibilia; si-
ıificans quoque, quoniam per Verbum, per quod Deus
ɜrfecit conditionem, in hoc et salutem his qui in condi-
ɔne sunt præstitit hominibus; sic inchoavit in ea quæ est
cundum Evangelium doctrina : « In principio erat Ver-
bum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum :
hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta
sunt, et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in
ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris
ucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Omnia, in-
quit, per ipsum facta sunt[1]. » In *omnibus* ergo est et hæc
ıæ secundum nos est conditio : non enim concedetur eis,
nnia dici ea quæ sunt infra Pleroma ipsorum. Si enim et
ec Pleroma ipsorum continet, non extra est tanta ista con-
tio, quemadmodum ostendimus in eo libro qui ante hunc
t; si autem extra Pleroma sunt hæc, quod quidem im-

[1] Joan. I, 1 et seqq.

possibile visum est, jam non est *omnia* Pleroma ipsorum: non est ergo extra hæc tanta conditio.

Abstulit autem a nobis dissensiones omnes ipse Joannes, dicens : « In hoc mundo erat, et mundus per ipsum factus » est, et mundus eum non cognovit. In sua propria venit, et » sui eum non receperunt[1]. » Secundum autem Marcionem, et eos qui similes sunt ei, neque mundus per eum factus est, neque in sua venit, sed in aliena. Secundum autem quosdam Gnosticorum, ab Angelis factus est iste mundus, et non per Verbum Dei. Secundum autem eos qui sunt a Valentino, iterum non per eum factus est, sed per Demiurgum. Hic enim operabatur similitudines tales fieri, ad imitationem eorum quæ sunt sursum, quemadmodum dicunt: Demiurgus autem perficiebat fabricationem conditionis. Emissum enim dicunt eum a Matre Dominum, et Demiurgum ejus dispositionis quæ est secundum conditionem, per quem hunc mundum factum volunt : cum Evangelium manifeste dicat, quoniam per Verbum, quod in *principio* erat apud Deum, omnia sunt facta : quod « Verbum, inquit, » caro factum est, et inhabitavit in nobis[2]. »

Secundum autem illos, neque Verbum caro factum est, neque Christus, neque qui ex omnibus factus est, Salvator. Etenim Verbum et Christum nec advenisse in hunc mundum volunt : Salvatorem vero non incarnatum, neque passum; descendisse autem quasi columbam in eum Jesum qui factus esset ex dispositione, et cum annuntiasset incognitum Patrem, iterum ascendisse in Pleroma. Incarnatum autem et passum quidam quidem eum qui ex dispositione sit, dicunt Jesum, quem per Mariam dicunt pertransisse, quasi aquam per tubum; alii vero Demiurgi filium, in quem descendisse eum Jesum qui ex dispositione sit. Alii rursum Jesum quidem ex Joseph et Maria natum dicunt, et in

[1] Joan. I, 10, 11. — [2] *Ibid.* 14.

nc descendisse Christum qui de superioribus sit, sine rne et impassibilem existentem. Secundum autem nuln sententiam hæreticorum, Verbum Dei caro factum est. enim quis regulas ipsorum omnium perscrutetur, invet quoniam sine carne, et impassibilis ab omnibus illis lucitur Dei Verbum, et qui est in superioribus Christus. ii enim putant manifestatum eum, quemadmodum homim transfiguratum; neque autem natum, neque incarnan dicunt illum : alii vero neque figuram eum assumpsisse minis, sed quemadmodum columbam descendisse in eum sum qui natus est ex Maria. Omnes igitur illos falsos tes ostendens Discipulus Domini, ait : « Et Verbum caro actum est, et inhabitavit in nobis. »

Et ut non inquiramus, cujus Dei Verbum caro factum , ipse insuper docet, dicens : « Fuit homo missus a Deo; rat ei nomen Joannes : hic venit in testimonium, ut tesaretur de lumine. Non erat ipse lumen, sed ut testaretur e lumine[1]. » Præcursor igitur Joannes, qui testatur de nine, a quo Deo missus est? Utique ab eo cujus Gabriel Angelus, qui etiam evangelizavit generationem ejus : i et per Prophetas promisit Angelum suum missurum te faciem Filii sui, et præparaturum viam ejus, hoc est, tificaturum de lumine, « in spiritu et virtute Heliæ[2]. » lias autem rursus cujus Dei servus et propheta fuit? ejus i fecit cœlum et terram, quemadmodum et ipse confiter[3]. A conditore igitur et fabricatore hujus mundi missus annes, quemadomdum poterat testificari de eo lumine, od ex his quæ sunt innominabilia et invisibilia descenrit? Omnes enim hæretici decreverunt, Demiurgum ignore eam quæ sit super eum Virtutem, cujus testis et ostenr invenitur Joannes. Propter hoc Dominus « plus quam

[1] Joan. I, 6, 7, 8.—[2] Marc. I, 2, ex Malach. III, 1 ; Luc. I, 17.—[3] 3 Reg. II, 1, et XVIII, 15.

» Prophetam » dixit eum habuisse[1]. Reliqui enim omnes Prophetæ annuntiaverunt adventum paterni luminis; concupierunt autem digni esse videre eum quem prædicabant: Joannes autem et prænuntiavit similiter sicut alii, et advenientem vidit, et demonstravit, et credere in eum suasit multis, ita ut ipse et Prophetæ et Apostoli locum habuerit. Hic est enim plus quam Propheta: quoniam « primo Apo» stoli, secundo Prophetæ[2]; » omnia autem ex uno et eodem ipso Deo.

Bonum enim et illud quod per conditionem a Deo in vinea factum est, et primo bibitum est vinum; nemo enim illud vituperavit ex his qui biberunt, sed et Dominus accepit de eo: melius autem quod per Verbum compendialiter ac simpliciter ex aqua ad usum eorum qui ad nuptias convocati erant, factum est vinum. Quamvis enim possit Dominus ex nullo subjacente eorum quæ sunt conditionis, præbere epulantibus vinum, et esca complere esurientes, hoc quidem non fecit[3]: accipiens autem eos qui a terra essent panes, et gratias agens, et iterum aquam faciens vinum, saturavit eos qui recumbebant, et potavit eos qui invitati erant ad nuptias[4]: ostendens quoniam Deus, qui fecit terram, et jussit eam fructus ferre, et constituit aquas, et edidit fontes, hic et benedictionem escæ, et gratiam potus, in novissimis temporibus per Filium suum donat humano generi, incomprehensibilis per comprehensibilem, et invisibilis per visibilem; cum extra eum non sit, sed in sinu Patris existat.

« Deum enim, inquit, nemo vidit unquam, nisi unige» nitus Filius Dei, qui est in sinu Patris, ipse enarravit[5]. » Patrem enim invisibilem existentem ille, qui in sinu ejus est, Filius omnibus enarrat. Propter hoc cognoscunt eum hi

[1] Matth. XI, 9; Luc. VII, 26. — [2] I Cor. XII, 28. — [3] Joan. II, 3 et seqq. — [4] Joan. VI, 11. — [5] Joan. I, 18.

uibus revelaverit Filius : et iterum Pater per Filium, Filii ui dat agnitionem his qui diligunt eum. A quo et Nathaael discens cognovit, cui et testimonium reddidit Domius quoniam «verus Israelita est, in quo dolus non est[1].» ognovit Israelites suum Regem; et ait ei : «Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel[2].» A quo et Petrus edoctus[3], ognovit Christum Filium Dei vivi, dicentis : «Ecce Filius meus dilectissimus, in quo bene sensi : ponam Spiritum meum super eum, et judicium Gentibus annuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque quisquam audiet vocem ejus in plateis : calamum quassatum non confringet, et linum fumigans non exstinguet, usquequo emittat in contentionem judicium, et in nomine ejus Gentes sperabunt[4].»

Et hæc quidem sunt principia Evangelii, unum Deum faricatorem hujus universitatis, eum qui et per Prophetas it annuntiatus, et qui per Moysem Legis dispositionem feerit, Patrem Domini nostri Jesu Christi annuntiantia, et ræter hunc alterum Deum nescientia, neque alterum Parem. Tanta est autem circa Evangelia hæc firmitas, ut et psi hæretici testimonium reddant eis, et ex ipsis egreiens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctriam. Ebionei etenim eo Evangelio quod est secundum Mathæum, solo utentes, ex illo ipso convincuntur, non recte ræsumentes de Domino. Marcion autem id quod est seundum Lucam circumcidens, ex his quæ adhuc servantur enes eum, blasphemus in solum existentem Deum ostenitur. Qui autem Jesum separant a Christo, et impassibiem perseverasse Christum, passum vero Jesum dicunt, id uod secundum Marcum est præferentes Evangelium; cum more veritatis legentes illud, corrigi possunt. Hi autem

[1] Joan. I, 47. — [2] *Ibid.* 49. — [3] Joan. VI, 69. — [4] Matth. XII, 18 et seqq. Esai. XLII, 1 et seqq.

qui a Valentino sunt, eo quod est secundum Joannem plenissime utentes, ad ostensionem conjugationum suarum; ex ipso detegentur nihil recte dicentes, quemadmodum ostendimus in primo libro. Cum ergo hi qui contradicunt, nobis testimonium perhibeant, et utantur his, firma et vera est nostra de illis ostensio.

Neque autem plura numero quam hæc sunt, neque rursus pauciora capit esse Evangelia. Quoniam enim quatuor regiones mundi sunt in quo sumus, et quatuor principales spiritus, et disseminata est Ecclesia super omnem terram, columna autem et firmamentum Ecclesiæ est Evangelium, et spiritus vitæ; consequens est, quatuor habere eam columnas, undique flantes incorruptibilitatem, et vivificantes homines. Ex quibus manifestum est, quoniam qui est omnium artifex Verbum, qui sedet super Cherubim, et continet omnia, declaratus hominibus, dedit nobis quadriforme Evangelium, quod uno spiritu continetur. Quemadmodum et David postulans ejus adventum, ait : « Qui sedes super Cherubim, appare[1]. » Etenim Cherubim quadriformia; et formæ ipsorum, imagines sunt dispositionis Filii Dei. « Primum enim animal, inquit, simile leoni[2], » efficabile ejus, et principale, et regale significans : « Secundum *vero* simile vitulo, » sacrificalem et sacerdotalem ordinationem significans : « Tertium vero habens faciem quasi humanam, » eum, qui est secundum hominem, adventum ejus manifeste describens : « Quartum *vero* simile aquilæ volantis, » Spiritus in Ecclesiam advolantis gratiam manifestans. Et Evangelia igitur his consonantia, in quibus insidet Christus Jesus. Aliud enim illud, quæ est a Patre, principalem, et efficabilem, et gloriosam generationem ejus enarrat, dicens sic : « In principio erat » Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Ver-

[1] Psal. LXXIX, 1. — [2] Apoc. IV, 7.

...um; » et : « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil [1]. » Propter hoc et omni fiducia plenum est Evangelium istud; talis est enim persona ejus. Id ...ro quod est secundum Lucam, quoniam quidem sacer...talis characteris est, a Zacharia sacerdote sacrificante ...o inchoavit. Jam enim saginatus parabatur vitulus, qui ...o inventione minoris filii inciperet mactari. Matthæus vero ...m quæ est secundum hominem, generationem ejus enar...t : « Liber, dicens, generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. » Et iterum : « Christi autem generatio sic ...erat [2]. » Humanæ formæ igitur hoc Evangelium : propter ...oc et per totum Evangelium humiliter sentiens, et mitis ...omo servatus est. Marcus vero a prophetico Spiritu, ex alto ...lveniente hominibus, initium fecit : « Initium, dicens, Evangelii, quemadmodum scriptum est in Esaia propheta [3] ; » volatilem et pennatam imaginem Evangelii mons...rans : propter hoc et compendiosam et præcurrentem an...untiationem fecit; propheticus enim character est hic. Et ...sum autem Verbum Dei, illis quidem qui ante Moysem ...ierunt Patriarchis, secundum divinitatem et gloriam col...oquebatur; his vero qui in Lege, sacerdotalem et ministe...ialem actum præbebat : post deinde nobis homo factus, ...unus cœlestis Spiritus in omnem misit terram, protegens ...os alis suis. Qualis igitur dispositio Filii Dei, talis et ani...nalium forma : et qualis animalium forma, talis et charac...er Evangelii. Quadriformia autem animalia, et quadriforme Evangelium, et quadriformis dispositio Domini. Et propter hoc quatuor data sunt testamenta humano generi : unum quidem ante cataclysmum sub Adam; secundum vero, post cataclysmum sub Noe; tertium vero, legislatio sub Moyse; quartum vero, quod renovat hominem, et recapitulat in se

[1] Joan. I, I et seqq. — [2] Matth. I, I, 18. — [3] Marc. I, I.

omnia, quod est per Evangelium, elevans et pennigerans homines in cœleste regnum.

His igitur sic se habentibus, vani omnes, et indocti, et insuper audaces, qui frustrantur speciem Evangelii, et vel plures quam dictæ sunt, vel rursus pauciores inferunt personas Evangelii : quidam ut plus videantur quam est veritatis adinvenisse; quidam vero, ut reprobent dispositionem Dei. Etenim Marcion totum rejiciens Evangelium, imo vere seipsum abscindens ab Evangelio, pariter gloriatur se habere Evangelium. Alii vero, ut donum Spiritus frustrentur quod in novissimis temporibus secundum placitum Patris effusum est in humanum genus, illam speciem non admittunt quæ est secundum Joannis Evangelium [1], in qua Paracletum se missurum Dominus promisit; sed simul et Evangelium et propheticum repellunt Spiritum. Infelices vere qui pseudoprophetæ quidem esse volunt, propheticam vero gratiam repellunt ab Ecclesia : similia patientes his qui propter eos qui in hypocrisi veniunt, etiam a fratrum communicatione se abstinent. Datur autem intelligi quod hujusmodi neque Apostolum Paulum recipiant. In ea enim epistola, quæ est ad Corinthios [2], de propheticis charismatibus diligenter locutus est, et scit viros et mulieres in Ecclesia prophetantes. Per hæc igitur omnia peccantes in Spiritum Dei, in irremissibile incidunt peccatum [3]. Hi vero qui sunt a Valentino, iterum existentes extra omnem timorem, suas conscriptiones proferentes, plura habere gloriantur quam sint ipsa Evangelia; siquidem in tantum processerunt audaciæ, uti quod ab his non olim conscriptum est, veritatis Evangelium titulent, in nihilo conveniens Apostolorum Evangeliis, ut nec Evangelium quidem sit apud eos sine blasphemia. Si enim quod ab eis profertur veritatis est

[1] Joan. xiv, 16, 26; xv, 26; xvi, 7. — [2] 1 Cor. xi, 4, 5. — [3] Matth. xii, 31.

Evangelium, dissimile est autem hoc illis quæ ab Apostolis nobis tradita sunt; qui volunt, possunt discere, quemadmodum ex ipsis Scripturis ostenditur, jam non esse id, quod ab Apostolis traditum est, veritatis Evangelium. Quoniam autem sola illa vera et firma, et non capit neque plura præterquam prædicta sunt, neque pauciora esse Evangelia, per tot et tanta ostendimus. Etenim cum omnia composita et apta Deus fecerit, oportebat et speciem Evangelii bene compositam et bene compaginatam esse. Examinata igitur sententia eorum qui nobis tradiderunt Evangelium, ex ipsis principiis ipsorum, veniamus et ad reliquos Apostolos, et perquiramus sententiam eorum de Deo: post deinde, ipsos Domini sermones audiamus.

4° Ex reliquis Apostolis [1]:

Petrus igitur Apostolus, post resurrectionem Domini et assumptionem in cœlos, volens adimplere duodecim Apostolorum numerum, et allegere pro Juda alterum qui electus esset a Deo, ex his qui aderant, dixit : « Viri fratres,
» oportebat impleri Scripturam hanc quam prædixit Spiri-
» tus sanctus ore David de Juda, qui factus est dux his qui
» apprehenderunt Jesum, quoniam annumeratus fuit inter
» nos : Fiat habitatio ejus deserta, et non sit qui inhabitet
» in ea; et episcopatum ejus accipiat alter [2] : » adimpletionem Apostolorum ex his quæ a David dicta sunt faciens. Rursus cum Spiritus sanctus descendisset in discipulos, uti omnes prophetarent, et loquerentur linguis [3], et quidam irriderent eos quasi a musto ebrios; dixit Petrus, non ebrios quidem illos esse, cum sit hora tertia diei; esse autem hoc quod dictum est per Prophetam : « Erit in novissimis die-
» bus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo in omnem

[1] Cap. XII.
[2] Act. I, 16 et seqq.; Psal. LXVIII, 26; *id.* CVIII, 8. — [3] Act. II, 4 et seqq.

» carnem, et prophetabunt [1]. » Deus igitur, qui per Pro-phetam promisit missurum se Spiritum suum in humanum genus, ipse et misit ei : et ipse Deus a Petro annuntiatur suam promissionem adimplesse.

« Viri enim, inquit Petrus, Israelitæ, audite sermones » meos : Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in » vobis virtutibus, et prodigiis, et signis, quæ fecit per ipsum » Deus in medio vestrum, quemadmodum ipsi scitis : hunc » definito consilio, et præscientia Dei traditum per manus » iniquorum affigentes interfecistis : quem Deus excitavit » solutis doloribus inferorum, quoniam non erat possibile » teneri eum ab eis. David enim dicit in ipsum [2] : Providebam » Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris » meis est, ne movear. Propter hoc lætatum est cor meum, » et exsultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet » in spe. Quoniam non derelinques animam meam in in- » ferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem. » Dehinc rursum fiducialiter illis dicit de patriarcha David, quoniam mortuus est, et sepultus, et sepulcrum ejus apud eos usque in hunc diem. « Propheta autem, inquit, » cum esset, et sciret quoniam jurejurando ei juravit Deus » de fructu ventris ejus sedere in throno ejus [4] ; providens » locutus est de resurrectione Christi, quoniam neque » relictus est apud inferos, neque caro ejus vidit corrup- » tionem. Hunc Jesum, inquit, excitavit Deus, cujus nos » omnes sumus testes : qui dextera Dei exaltatus, repromis- » sionem sancti Spiritus accipiens a Patre, effudit dona- » tionem hanc, quam vos nunc videtis et auditis. Non enim » David ascendit in cœlos; dicit autem ipse : Dixit Domi- » nus Domino meo, sede ad dexteram meam, quoadusque » ponam inimicos tuos suppedaneum pedum tuorum [5]. Et

[1] Joel. II, 28. — [2] Psal. XV, 8 et seqq. — [3] Act. II, 22 et seqq. — [4] Ps. CXXXI, 11. — [5] Psal. CIX, 1.

tissimo ergo sciat omnis domus Israel, quoniam et Dominum eum, et Christum Deus fecit hunc Jesum, quem vos crucifixistis [1]. » Cum dixissent igitur turbæ : « Quid ergo faciemus? » Petrus ad eos ait : « Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu, in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus sancti [2]. »
c non alium Deum, nec aliam Plenitudinem annuntiant Apostoli; nec alterum quidem passum et resurgenm Christum, alterum vero qui sursum volaverit et imssibilis perseveraverit : sed unum et eumdem Deum trem, et Christum Jesum, qui a mortuis resurrexit; et m quæ in eum est fidem annuntiabant his qui non crebant in Filium Dei; et ex Prophetis cohortabantur eos, ioniam eum quem promisit se Deus missurum Chrism, misit Jesum, quem ipsi crucifixerunt, quem Deus citavit.

Rursus cum Petrus simul cum Joanne vidisset eum qui nativitate claudus erat, ante portam Templi quæ dicitur eciosa sedentem et petentem eleemosynam, dixit ei : Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do : In nomine Jesu Christi Nazareni, surge et mbula. Et statim ejus confirmati sunt gressus et plantæ, t ambulabat, et introivit cum ipsis in Templum, ambuans et saliens, et glorificans Deum [3]. » Multitudine autem iversa collecta ad eos propter inopinatum factum, Petrus xit eis : « Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, et nos quid intuemini, quasi nostra virtute fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum, glorificavit Filium suum, quem vos quidem radidistis in judicium, et negastis ante faciem Pilati, um remittere eum vellet. Vos autem sanctum et justum ggravastis, et petistis virum homicidam donari vobis :

[1] Act. II, 30 et seqq. — [2] *Ibid.* 37 et 38. — [3] Act. III, 2, 6 et seqq.

» ducem autem vitæ occidistis, quem Deus excitavit a mor-
» tuis, cujus nos testes sumus. Et in fide nominis ejus hunc
» quem videtis et scitis confirmavit nomen ejus, et fides
» quæ est per ipsum dedit ei incolumitatem coram vobis
» omnibus. Et nunc, fratres, scio quoniam secundum igno-
» rantiam fecistis nequam. Deus autem quæ prædixit ore
» omnium Prophetarum pati Christum suum, adimplevit.
» Pœnitentiam igitur agite, et convertimini, uti deleantur
» peccata vestra, et veniant vobis tempora refrigerii a facie
» Domini, et mittat præparatum vobis Jesum Christum,
» quem oportet quidem cœlum suscipere usque ad tempora
» dispositionis omnium quæ locutus est Deus per sanctos
» Prophetas suos. Moyses quidem dicit ad patres nostros:
» Quoniam Prophetam excitabit vobis Dominus Deus vester
» ex fratribus vestris, quemadmodum me; ipsum audietis
» in omnibus quæcumque locutus fuerit ad vos. Erit au-
» tem : omnis anima quæcumque non audierit Prophetam
» illum, peribit de populo[1]. Et omnes a Samuel et deinceps,
» quotquot locuti sunt, et annuntiaverunt dies istos. Vos
» estis filii Prophetarum, et testamenti quod Deus disposuit
» ad patres nostros, dicens ad Abraham : Et in semine tuo
» benedicentur omnes tribus terræ[2]. Vobis primum Deus
» excitans Filium suum misit benedicentem vos, ut con-
» vertat se unusquisque a nequitiis suis[3]. » Manifestam ergo
præconationem Petrus cum Joanne præconavit eis, repromissionem quam fecit Deus patribus, per Jesum adimpletam evangelizans : non quidem alterum Deum annuntians, sed Filium Dei, qui et homo factus est et passus, in agnitionem adducens Israel; et in Jesu resurrectionem quæ est a mortuis annuntians, et significans quoniam omnia quæ Prophetæ annuntiaverunt de passione Christi, hæc adimplevit Deus.

[1] Deut. XVIII, 15. —[2] Gen. XXII, 18. —[3] Act. III, 12 et seqq.

ropter quod rursus convocatis principibus sacerdotum, cialiter Petrus dixit ad eos : «Principes populi, et senio- Israelitæ, si nos hodie redarguimur a vobis in bene- :to hominis infirmi, in quo hic salvatus est; cognitum omnibus vobis, et omni populo Israel, quoniam in no- ne Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem us excitavit a mortuis, in hoc hic adstat in conspectu stro sanus. Hic est lapis spretus a vobis ædificantibus, i factus est in caput anguli[1]. Et non est aliud nomen sub lo, quod datum sit hominibus, in quo oporteat salvari s[2]. » Sic Apostoli non Deum mutabant, sed Christum untiabant populo esse Jesum qui crucifixus est, quem s excitavit. Qui Prophetas misit, idem Deus excitavit, alutem in eo dedit hominibus.

onfusi igitur et per curationem (« annorum enim, quit Scriptura, plusquam quadraginta erat homo in quo ctum est signum curationis[3] »), et per doctrinam Apo- orum, et Prophetarum expositionem, cum remisissent mi sacerdotes Petrum et Joannem, et reversi essent reliquos coapostolos, et discipulos Domini, id est, in lesiam, et enarrassent quæ fuerant facta, et quemad- dum fiducialiter egissent in nomine Jesu : « Audientes, quit, tota Ecclesia, unanimes extulerunt vocem ad eum, et dixerunt : Domine, tu es Deus qui fecisti cœ- m, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, qui r Spiritum sanctum, ore David patris nostri, pueri tui, ixisti : Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt ania? Adstiterunt reges terræ, et principes congregati int in unum adversus Dominum, et adversus Christum us[4]. Convenerunt enim vere in hac civitate adversus sanc- m Filium tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pon- us Pilatus, cum Gentibus, et populis Israel, facere quæ-

Psal. cxvii, 22. — [2] Act. iv, 8 et seqq. — [3] *Ibid.* 22. — [4] Psal. ii, 1, 2.

» cumque manus tua et voluntas tua prædestinaverat fieri[1]. » Hæ voces Ecclesiæ, ex qua habuit omnis Ecclesia initium : hæ voces civitatis magnæ, novi Testamenti civium : hæ voces Apostolorum, hæ voces discipulorum Domini, eorum qui post assumptionem Domini per Spiritum et perfecti exstiterunt, et invocaverunt Deum qui fecit cœlum et terram et mare, qui per Prophetas annuntiatus est, et ejus Filium Jesus, quem unxit Deus, et alterum autem nescientes. Non enim erat ibi tunc Valentinus, nec Marcion, nec reliqui sui, vel eorum qui assentiunt eis, eversores. Propter quod et exaudivit eos factor omnium Deus. « Commotus est enim, inquit, locus in quo erant collecti, et repleti sunt omnes » Spiritu sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia[2] » omni volenti credere. « Virtute enim magna, inquit, reddebant testimonium Apostoli resurrectionis Domini Jesu[3], » dicentes ad eos : « Deus patrum nostrorum excitavit Jesum, » quem vos apprehendistis, et interfecistis suspendentes in » ligno. Hunc Deus Principem et Salvatorem exaltavit gloria sua, dare pœnitentiam Israel, et remissionem peccatorum : et nos in eo testes sumus sermonum horum, et » Spiritus sanctus, quem dedit Deus credentibus ei. Omni » quoque die, inquit, in templo et in domo non cessabant » docentes et evangelizantes Christum Jesum Filium Dei[4]. » Hæc enim erat salutis agnitio, quæ perfectos ad Deum efficit eos qui cognoscunt Filii ejus adventum.

Quoniam autem impudenter quidam eorum dicunt : Apud Judæos præconantes Apostoli non poterant alterum eis Deum annuntiare, præter eum qui creditus fuerat ab ipsis; dicimus ad eos, quoniam si secundum olim insitam opinionem hominibus loquebantur Apostoli, nemo ab his cognovit veritatem, multo autem prius a Domino; etenim ipsum sic locutum dicunt. Nec hi ergo ipsi veritatem

[1] Act. IV, 24 et seqq. — [2] *Ibid.* 31. — [3] *Ibid.* 33. — [4] Act. V, 30 et seqq.

., sed sententia eorum de Deo cum esset talis, exce-
t doctrinam, quemadmodum audire poterant. Secun-
hunc igitur sermonem apud neminem erit regula ve-
s, sed omnes discipuli omnibus imputabunt, quoniam
adrmodum unusquisque sentiebat, et quemadmodum
bat, sic et sermo ad eum factus est. Superfluus autem
tilis adventus Domini parebit, si quidem venit per-
rus et servaturus uniuscujusque olim insitam de Deo
onem. Adhuc etiam et multo durius erat, quem ho-
m viderant Judæi, et cruci affixerant, annuntiari hunc
Christum Filium Dei, æternum ipsorum Regem. Non
r jam secundum pristinam eorum opinionem loque-
ur ad eos. Qui enim in faciem interfectores eos esse
ini dicebant, multo magis fiducialiter eum Patrem, qui
r Demiurgum est, et ipsis annuntiarent, et non in quod
bat unusquisque; et multo minus erat peccatum, si-
em superiorem Salvatorem, ad quem ascendere eos
teret, quoniam esset impassibilis, non affixissent cruci.
madmodum enim Gentibus non secundum sententiam
um loquebantur, sed cum fiducia dicebant quoniam
ipsorum non essent dii, sed idola dæmoniorum; simili
o et Judæis annuntiassent, si alterum majorem et per-
orem scissent Patrem, non adnutrientes, neque au-
es eorum non veram de Deo opinionem. Ethnicorum
m solventes errorem, et auferentes eos a suis Diis, non
ue alterum eis inferebant errorem; sed auferentes eos
non erant dii, eum qui solus erat Deus et verus Pater,
nderunt.

x verbis Petri igitur, quæ fecit in Cæsarea ad Corne-
i centurionem, et eos qui cum eo erant Gentiles, qui-
primo enarratus est sermo Dei, cognoscendum est no-
quæ annuntiabant Apostoli, et qualis fuit prædicatio
rum, et quam habuerunt de Deo sententiam. « Erat

» enim, inquit, Cornelius hic religiosus, et timens Deum
» cum tota domo sua, et faciens eleemosynas multas in po-
» pulo, et orans Deum semper. Vidit ergo, circa horam
» nonam diei, Angelum Dei intrantem ad se, et dicentem:
» Eleemosynæ tuæ ascenderunt in recommemorationem in
» conspectu Dei. Propter quod mitte ad Simonem, qui vo-
» catur Petrus[1]. » Petrus autem cum vidisset revelatio-
nem, in qua respondit ad eum cœlestis vox : « Quæ Deus
» emundavit, tu ne commune dixeris[2]; » hoc ideo, quo-
niam qui per Legem inter munda et immunda distinxit
Deus, hic emundavit Gentes per sanguinem Filii sui, quem
et Cornelius colebat. Ad quem Petrus veniens dixit : « In
» veritate comperi quoniam non est personarum accepto
» Deus, sed in omni gente, qui timet eum et operatur jus-
» titiam, acceptabilis ei est[3]. » Manifeste significans, quo-
niam quem antea Deum timebat Cornelius, quem per Le-
gem et Prophetas audierat, propter quem et eleemosynas
faciebat, hic in veritate est Deus. Deerat autem ei agnitio.
Propter quod adjecit : « Vos scitis quod factum est verbum
» per omnem Judæam : incipiens enim a Galilæa post bap-
» tismum quod prædicavit Joannes : Jesum a Nazareth,
» quemadmodum unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute :
» ipse circuivit benefaciens et curans omnes qui oppressi
» erant a diabolo, quoniam Deus erat cum eo. Et nos testes
» sumus omnium eorum quæ fecit et in regione Judæorum,
» et in Hierusalem : quem interfecerunt suspendentes in
» ligno. Hunc Deus excitavit tertia die, et dedit eum ma-
» nifestum fieri, non omni populo, sed testibus nobis præ-
» destinatis a Deo, qui cum eo et manducavimus et bibimus
» post resurrectionem a mortuis. Et præcepit nobis annun-
» tiare populo, et testificari, quoniam ipse est prædestinatus
» a Deo judex vivorum et mortuorum. Huic omnes Pro-

[1] Act. x, 1 et seqq. — [2] *Ibid.* 15. — [3] *Ibid.* 34, 35.

estimonium reddunt remissionem peccatorum ac-
per nomen ejus omnem credentem in eum[1]. » Fi-
:o Dei, quem ignorabant homines, annuntiabant
, et adventum ejus, his qui ante instructi erant de
l non alterum Deum inferebant. Si enim tale ali-
ret Petrus, libere Gentibus prædicasset, alterum
Judæorum, alterum autem Christianorum esse
qui quidem propter visionem Angeli conterriti om-
odcumque eis dixisset credidissent. Ex verbis au-
ri manifestum est, quoniam præcognitum quidem
m custodivit; Filium autem Dei Jesum Christum
tificatus est ipsis judicem vivorum et mortuorum,
ı et baptizari eos jussit in remissionem peccatorum :
tantum hoc, sed et Jesum ipsum esse Filium Dei
tus est, qui et unctus Spiritu sancto, Jesus Christus
Et est hic idem ex Maria natus, quemadmodum
continet testificatio. An numquid perfectam tunc
onem nondum habebat Petrus, quam postea adin-
nt hi? Imperfectus igitur secundum hos Petrus, im-
i autem et reliqui Apostoli : et oportebit eos revivis-
horum fieri discipulos, ut et ipsi perfecti fiant. Sed
idem ridiculum est. Arguuntur vero isti non quidem
lorum, sed suæ malæ sententiæ esse discipuli. Prop-
c autem et variæ sententiæ sunt uniuscujusque eo-
ecipientis errorem quemadmodum capiebat. Ecclesia
er universum mundum ab Apostolis firmum habens
n, in una et eadem de Deo et de Filio ejus perseve-
ntentia.

lippus autem rursus spadoni reginæ Æthiopum rever-
ab Hierosolymis, et legenti Esaiam prophetam, solus
quem annuntiavit[2]? Nonne eum de quo dixit Propheta:
ıquam ovis ad victimam ductus est, quemadmodum

t. x, 37 et seqq. — [2] Act. VIII, 26 et seqq.

» agnus ante tondentem se sine voce, sic non aperu
» Nativitatem autem ejus quis enarrabit? quoniam tolle
» a terra vita ejus[1]. » Hunc esse Jesum, et impletam esse
eo Scripturam; quemadmodum ipse Eunuchus credens,
et statim postulans baptizari dicebat : « Credo Filium
» esse Jesum[2]. » Qui et missus est in regiones Æthi
prædicaturus hoc quod ipse crediderat, Deum quidem u
per Prophetas prædicatum; hujus vero Filium fecisse se
dum hominem adventum, et ut ovem ad victimam duc
et reliqua quæcumque Prophetæ dicunt de eo.

Paulus quoque et ipse[3], posteaquam de cœlo locutus
ad eum Dominus, et ostendit quoniam suum Dom
persequeretur, persequens discipulos ejus, et mis
niam ad eum, ut iterum videret et baptizaretur : « In
» nagogis, ait, in Damasco prædicabat cum omni fi
» Jesum, quoniam hic est Christus Filius Dei[4]. » Ev
mysterium quod dicit per revelationem manifestatum
quoniam qui passus est sub Pontio Pilato, hic Dom
omnium, et Rex, et Deus, et judex; ab eo qui est
Deus accipiens potestatem, quoniam « subjectus
» usque ad mortem, mortem autem crucis[5]. » Et q
hoc verum est, Atheniensibus evangelizans in Are
ubi, Judæis non assistentibus, licebat ei cum fiducia
prædicare Deum, dixit eis : « Deus, qui fecit mund
» omnia quæ in eo sunt, hic cœli et terræ Dominus
» tens, non in manufactis templis inhabitat, nec a m
» humanis tractatur, tanquam alicujus indigens, cum
» omnibus dederit vitam et spiritum, et omnia fecerit
» fecit ex uno sanguine omne genus hominum inhab
» super faciem totius terræ, præfiniens tempora secund
» determinationem inhabitationis eorum, quærere illud

[1] Act. VIII, 32, ex Esai. LIII, 7. — [2] *Ibid.* 37. — [3] Act. IX, 4 et seq.
[4] *Ibid.* 20. — [5] Philip. II, 8.

t divinum, si quo modo tractare possint illud, aut inve-
ire, quamvis etiam non longe sit ab unoquoque nostrum :
ipso enim vivimus, et movemur, et sumus; et quemad-
odum quidam secundum vos dixerunt : Hujus enim et
enus sumus. Genus igitur cum simus Dei, non oportet
os putare id quod est divinum simile esse auro vel ar-
ento, vel lapidi per artem vel concupiscentiam hominis
eformato. Tempora ergo ignorantiæ despiciens Deus,
unc præcepit hominibus omnibus ubique pœniteri in
sum, quoniam constituit diem judicari orbem terræ in
stitia, in viro Jesu, in quo statuit fidem, excitans eum a
ortuis[1]. » Hoc autem in loco non solum factorem mundi
um eis annuntiat, non assistentibus Judæis, sed et quo-
m unum genus humanum fecit inhabitare super omnem
ram; quemadmodum et Moyses ait : « Quando divisit
ltissimus gentes, quemadmodum dispersit filios Adam,
atuit terminos gentium secundum numerum Angelorum
ei[2] : » populum autem qui credit Deo, jam non esse sub
gelorum potestate, sed sub Domini : « Facta est enim
ortio Domini populus ejus Jacob, funiculum hæreditatis
jus Israel[3]. » Et iterum Lystris Lyciæ cum esset Paulus
n Barnaba, et a nativitate claudum in nomine Domini
stri Jesu Christi ambulare fecisset, et cum turba honorare
vellet quemadmodum deos, propter admirabile factum,
eis : « Nos similes vobis sumus homines, evangelizantes
obis Deum, uti ab eis vanis simulacris convertamini ad
Deum vivum, qui fecit cœlum, et terram, et mare, et om-
ia quæ in eis sunt : qui in præteritis temporibus permisit
mnes gentes abire vias suas, quamquam non sine testi-
nonio semetipsum reliquit, benefaciens, de cœlo dans
obis pluvias et tempora fructifera, adimplens cibo et hi-
aritate corda vestra[4]. » Quoniam autem his annuntiatio-

[1] Act. XVII, 14 et seqq. — [2] Deut. XXXII, 8. — [3] *Ibid.* 9. — [4] Act. XIV, 14 et seqq.

nibus ejus omnes epistolæ consonant, ex ipsis epistolis os-tendimus apto in loco, exponentes Apostolum. Nobis autem collaborantibus his ostensionibus, quæ ex Scripturis sunt et quæ multifarie dicta sunt breviter et compendiose annuntiantibus, et tu cum magnanimitate intende eis, et noli longiloquium putare : hoc intelligens, quoniam ostensiones quæ sunt in Scripturis non possunt ostendi, nisi ex ipsis Scripturis.

Stephanus autem iterum qui electus est ab Apostolis primus diaconus, qui et primus ex omnibus hominibus secutus est vestigia martyrii Domini, propter Christi confessionem primus interfectus, fiducialiter loquens in populo, et docens eos, dicens : « Deus gloriæ visus est patri nostro » Abrahæ, et dixit ad eum : Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram quam demonstrabo tibi : et » transtulit illum in terram hanc quam nunc et vos inhabitatis, et non dedit ei hæreditatem in ea, nec gressum » pedis; sed promisit dare in possessionem eam, et semini » ejus post eum. Locutus est autem sic Deus ad eum : Quoniam erit semen ejus peregrinans in terra aliena, et in » servitutem redigentur, et vexabuntur annis quadringentis : et gentem cui servient judicabo ego, dicit Dominus. Et postea exient, et servient mihi in isto loco. Et » dedit ei testamentum circumcisionis, et sic generavit » Isaac[1]. » Et reliqua autem verborum ejus eumdem Deum annuntiant, qui fuit cum Joseph, et cum Patriarchis, qui et collocutus est Moysi.

Et omnem Apostolorum doctrinam unum et eumdem Deum annuntiasse, qui transtulit Abraham, qui promissionem hæreditatis ei fecit, qui testamentum circumcisionis apto tempore dedit, qui ex Ægypto vocavit semen ejus, servatum manifeste per circumcisionem (in signo enim de-

[1] Act. VII, 2 et seqq.

ım, ut non similes essent Ægyptiis); hunc factorem um, hunc Patrem Domini nostri Jesu Christi, hunc ı claritatis, ex ipsis sermonibus et Actibus Apostolo- volentes discere possunt, et contemplari, quoniam hic Deus, super quem alius non est. Si autem et erat : hunc alius Deus, ex abundanti per comparationem emus : Hic illo melior est. Melior enim ex operibus ret, quemadmodum et prædiximus : et cum illi nul- Patris sui opus habeant ostendere, hic solus osten- · Deus. Si quis autem *ægrotans circa quæstiones*[1], ea ab Apostolis de Deo dicta sunt, allegorizanda existi- : prædictos sermones nostros discutiat, in quibus unum n conditorem et factorem omnium ostendimus, et ea ab illis dicuntur destruximus et denudavimus : et in- et consonantes eos Apostolorum doctrinæ, et sic habere nadmodum docebant et persuadebantur, quoniam unus 'abricator omnium Deus : et cum repulerit a sententia tantum errorem, et eam quæ est adversus Deum blas- niam, et a semetipso inveniet rationem, cognoscens et quæ est secundum Moysem legem, et gratiam novi amenti, utraque apta temporibus, ad utilitatem hu- i generis ab uno et eodem præstita Deo.

mnes enim qui sunt malæ sententiæ, moti ab ea legis- ne quæ secundum Moysem, dissimilem eam et contra- ı Evangelii doctrinæ arbitrantes, jam non sunt conversi, differentiæ utriusque Testamenti inquirerent causas. ərti igitur cum sint a paterna dilectione, et inflati a Sa- ı, conversi in Simonis magi doctrinam, abstiterunt sen- iis suis ab eo qui est Deus, et putaverunt semetipsos invenisse quam Apostoli, alterum Deum adinvenien- et Apostolos quidem adhuc quæ sunt Judæorum sen- tes, annuntiasse Evangelium; se autem sinceriores et

[1] Tim. vi, 4.

prudentiores Apostolis esse. Unde et Marcion, et qui a sunt, ad intercidendas conversi sunt Scripturas; quas quidem in totum non cognoscentes, secundum Lucam a tem Evangelium et Epistolas Pauli decurtantes, hæc s legitima esse dicunt quæ ipsi minoraverunt. Nos au etiam ex his quæ adhuc apud eos custodiuntur argue eos, donante Deo, in altera conscriptione. Reliqui v omnes, falso scientiæ nomine inflati, Scripturas quid confitentur, interpretationes vero convertunt, quemad dum ostendimus in primo libro. Et quidem hi qui a M cione sunt statim blasphemant fabricatorem, dicentes malorum factorem, propositum initii sui tolerabiliorem h bentes, duos naturaliter dicentes Deos, distantes ab i cem, alterum quidem bonum, alterum autem malum. autem qui sunt a Valentino, nominibus honestius ut et Patrem, et Dominum, et Deum, hunc qui est fabric ostendentes, propositum sive sectam blasphemiorem bent, neque ab aliquo ex his quæ sunt intra Pleroma Æonibus dicentes eum emissum, sed ab ea labe quæ ex Pleroma expulsa est. Hæc autem omnia contulit eis Scrip turarum et dispositionis Dei ignorantia. Nos et causam dif ferentiæ Testamentorum, et rursum unitatem et conso tiam ipsorum, in his quæ deinceps futura sunt, referem

Quoniam autem et Apostoli et discentes ipsorum s docebant, quemadmodum Ecclesia prædicat, et sic doc tes perfecti fuerunt, propter quod et evocabantur ad fectum; Stephanus hæc docens, adhuc cum super terr esset, vidit gloriam Dei, et Jesum ad dexteram, et dix « Ecce, video cœlos apertos, et Filium hominis ad dex » ram adstantem Dei[1]. » Et hæc dixit, et lapidatus est; sic perfectam doctrinam adimplevit, per omnia martyrii ma gistrum imitans, et postulans pro eis qui se interficieb

[1] Act. VII, 55.

icens : « Domine, ne statuas illis hoc peccatum[1]. » Sic it perfecti qui unum et eumdem Deum, ab initio usque inem variis dispositionibus assistentem humano generi, bant; quemadmodum ait Osee propheta : « Ego visios implevi, et in manibus Prophetarum similatus sum[2]. »

ergo usque ad mortem tradiderunt animas propter ngelium Christi, quomodo poterant secundum insitam aionem hominibus loqui? Quod ipsum si fecissent, non erentur : sed quoniam contraria his qui non assentiet veritati prædicabant, ideo et passi sunt. Manifestum ergo, quoniam non derelinquebant veritatem, sed cum ni fiducia Judæis et Græcis prædicabant : Judæis quin, Jesum eum qui ab ipsis crucifixus est, esse Filium i, judicem vivorum et mortuorum, a Patre accepisse ernum regnum in Israel, quemadmodum ostendimus; æcis vero unum Deum qui omnia fecit, et hujus Filium sum Christum annuntiantes.

Manifestius autem hoc ostenditur ex Apostolorum epila quam neque Judæis, neque Græcis, sed his qui ex ntibus in Christum credebant, confirmantes fidem ipsom, miserunt. Cum enim descendissent quidam a Judæa Antiochiam, in qua et primum omnium discipuli Domi, pro fide quam in Christo habebant, vocati sunt Chrisni, et suaderent eis qui crediderant in Dominum, circumli, et reliqua secundum Legis observationem perficere; et cendissent Paulus et Barnabas Hierosolymam ad alteros postolos propter hanc quæstionem, et universa Ecclesia nvenisset in unum, Petrus dixit eis : « Viri fratres, vos scitis quoniam a diebus antiquis in vobis Deus elegit, ut ex ore meo audirent Gentes verbum Evangelii, et crederent : et cordis inspector Deus testimonium perhibuit eis, dans eis Spiritum sanctum, sicut et nobis; et nihil discre-

[1] Act. VII, 59. — [2] Oseæ XII, 10.

» vit inter nos et ipsos, emundans per fidem corda illorum.
» Nunc igitur quid tentatis Deum, imponere jugum super
» cervicem discipulorum, quod neque patres nostri neque
» nos valuimus portare? Sed per gratiam Domini nostri
» Jesu Christi credimus nos posse salvari, quomodo et
» illi[1]. » Post quem Jacobus dixit : « Viri fratres, Simon re-
» tulit quemadmodum Deus excogitavit accipere ex Genti-
» bus populum nomini suo. Et sic conveniunt sermones
» Prophetarum, sicut scriptum est : Post hæc revertar, et
» reædificabo tabernaculum David quod cecidit, et distur-
» bata ejus ædificabo, et erigam illud, uti requirant reliqui
» hominum Dominum, et omnes gentes, in quibus invoca-
» tum est nomen meum super eos, dicit Dominus, faciens
» hæc[2]. Cognitum a sæculo est Deo opus ejus : propterea
» ego secundum me judico, non molestari eos qui ex Gen-
» tibus convertuntur ad Deum; sed præcipiendum eis, uti
» abstineant a vanitatibus idolorum, et a fornicatione, et
» a sanguine; et quæcumque nolunt sibi fieri, aliis ne fa-
» ciant[3]. » Et cum hæc dicta essent, et omnes consensis-
sent, scripserunt eis sic : « Apostoli, et presbyteri fratres,
» his qui sunt in Antiochia, et Syria, et Cilicia, fratribus
» ex Gentibus, salutem. Quoniam audivimus, quia ex vo-
» bis quidam exeuntes turbaverunt vos sermonibus, de-
» struentes animas vestras, quibus non præcepimus, dicen-
» tes : Circumcidimini et servate Legem; placuit nobis
» convenientibus in unum, electos viros mittere ad vos cum
» dilectissimis nostris Barnaba et Paulo, hominibus qui tra-
» diderunt animam suam pro nomine Domini nostri Jesu
» Christi. Misimus igitur Judam et Silam, et ipsos per ser-
» monem annuntiantes nostram sententiam. Placuit enim
» sancto Spiritui, et nobis, nullum amplius vobis pondus
» imponere, quam hæc, quæ sunt necessaria : ut abstineatis

[1] Act. xv, 7 et seqq. — [2] Amos, ix, 11, 12. — [3] Act. xv, 13 et seqq.

idolothytis, et sanguine, et fornicatione; et quæcum-
e non vultis fieri vobis, aliis ne faciatis : a quibus cus-
lientes vos ipsos, bene agetis, ambulantes in Spiritu
ncto[1]. » Manifestum est igitur ex his omnibus, quoniam
alterum Patrem esse docebant, sed libertatis novum
tamentum dabant his qui nove in Deum per Spiritum
ctum credebant. Ipsi autem, ex eo quod quærerent an
rteret circumcidi adhuc discipulos necne, manifeste
nderunt, non habuisse se alterius Dei contemplatio-
n.

æterum non talem timorem circa primum habuissent
tamentum, ut nec cum Ethnicis quidem convesci vel-
t. Nam et Petrus, quamvis ad catechizandos eos mis-
esset, et tali visione conterritus fuisset, cum timore
ien multo locutus est ad eos, dicens : « Ipsi scitis quo-
iam non est fas viro Judæo adjungi, aut convenire cum
lophylo : mihi autem Deus ostendit, neminem commu-
em aut immundum dicere hominem : quapropter sine
ontradictione veni[2]. » His sermonibus significans, quo-
m non abisset ad eos, nisi jussus fuisset. Sic æque ne
tisma quidem facile dedisset, nisi, Spiritu sancto re-
escente super eos, prophetantes eos audisset. Et prop-
hoc dixit : « Numquid aliquis aquam vetare potest ad
aptizandum hos qui Spiritum sanctum acceperunt,
uemadmodum et nos[3] ? » Suadens simul his qui secum
int, et significans, quoniam nisi Spiritus sanctus super
s requievisset, existeret qui eos prohiberet a baptismate.
autem qui circa Jacobum Apostoli, Gentibus quidem li-
re agere permittebant, concedentes nos Spiritui Dei. Ipsi
ro eumdem scientes Deum, perseverabant in pristinis ob-
rvationibus : ita ut et Petrus quoque, timens ne culpare-
r ab ipsis, ante manducans cum Gentibus, propter visio-

[1] Act. xv, 23 et seqq. — [2] Act. x, 28, 29. — [3] *Ibid.* 47.

nem, et propter Spiritum qui requieverat super eos; c...
tamen advenissent quidam ab Jacobo, separavit se, et ...
manducavit cum eis[1]. Hoc ipsum autem dixit Paulu...
Barnabam fecisse. Sic Apostoli, quos universi actus et ...
versæ doctrinæ Dominus testes fecit (ubique enim ...
cum eo assistentes inveniuntur Petrus et Jacobus et Jo...
nes), religiose agebant circa dispositionem Legis quæ ...
secundum Moysem, ab uno et eodem significantes ...
Deo. Quod quidem non fecissent secundum quæ præd...
mus, si præter eum qui Legis dispositionem fecit, alter...
Patrem a Domino didicissent.

5° Ex S. Paulo : hic prolixe agit de S. Pauli auc...
ritate cujus auctoritatem alii extollebant alii ve...
rejiciebant. Sufficit autem ad argumenti verita...
ipsius Pauli testimonium afferre, quod antea ...
ipsi Irenæus rescripserat[2] :

Et Apostolus autem Paulus, dicens : « Si enim his q...
» non erant dii servistis, nunc cognoscentes Deum ...
» cogniti a Deo[3], » separavit eos qui non erant, ab e...
est Deus. Et iterum de Antichristo dicens : « Qui adver...
» tur et extollit se, inquit, super omne quod dicitur De...
» vel quod colitur[4], » eos qui ab ignorantibus *Deum* ...
dicuntur significat, id est, idola. Etenim Pater omni...
Deus dicitur, et est : et non super hunc extolletur An...
christus; sed super eos qui dicuntur quidem, non sunt a...
tem dii. Quoniam autem hoc verum est, ipse Paulus ai...
« Scimus autem quoniam nihil est idolum, et quoniam n...
» mo Deus, nisi unus. Etenim si sunt qui dicuntur dii, si...
» in cœlo, sive in terra; nobis unus Deus, Pater, *ex quo* ...

[1] Gal. II, 12, 13.
[2] Cap. VI, n. 5.
[3] Gal. IV, 8, 9. — [4] 2 Thess. II, 4.

nia, et nos in illum; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum[1]. » Distinxit enim, et separavit eos qui dicuntur quidem, non sunt autem dii, ab uno Deo Patre, ex quo omnia; et unum Dominum Jesum Christum ex sua persona firmissime confessus est. Quod autem, *sive in cœlo, sive in terra,* non quemadmodum exponunt hi, dicere eum mundi fabricatores; sed simile est ei quod a Moyse dictum est : « Non facies tibi omnem similitudinem in deum, quæcumque in cœlo sursum, et quæcumque in terra deorsum, et quæcumque in aquis sub terra[2].» Quæ autem in cœlo sunt, quæ sint, ipse exponit : « Ne quando, inquit, respiciens in cœlum, et videns solem, et lunam, et stellas, et omne ornamentum cœli, errans adores ea, et servias eis[3]. » Et ipse autem Moyses homo Dei existens, Deus quidem datus est ante Pharaonem[4] : non autem vere Dominus appellatur, nec Deus vocatur a Prophetis, sed « fidelis Moyses famulus et servus Dei[5] » dicitur a Spiritu; quod et erat.

§ III.

DE UNO EODEMQUE JESU CHRISTO VERO DEO ET HOMINE[6].

Quoniam autem sunt qui dicunt, Jesum quidem receptaculum Christi fuisse, in quem desuper quasi columbam descendisse Christum, et cum indicasset innominabilem Patrem, incomprehensibiliter et invisibiliter intrasse in Pleroma (non enim solum ab hominibus, sed ne ab his quidem quæ in cœlo sunt, Potestatibus et Virtutibus apprehensum eum); et esse quidem filium Jesum, patrem vero Christum, et Christi patrem, Deum : alii vero putative eum passum, naturaliter impassibilem existentem : qui au-

[1] 1 Cor. VIII, 4 et seqq. — [2] Deut. V, 8. — [3] Deut. IV, 19. — [4] Exod. VII, 1. — [5] Hebr. II, 15, ex Num. XII, 7.

[6] Cap. XVI.

tem a Valentino sunt, Jesum quidem qui sit ex dispositione, ipsum esse qui per Mariam transierit, in quem illum de superiori Salvatorem descendisse, quem et Christum dici, quoniam omnium qui emisissent eum haberet vocabula; participasse autem cum eo qui esset ex dispositione, de sua virtute, et de suo nomine, ut mors per hunc evacuaretur, cognosceretur autem Pater per eum Salvatorem quidem qui desuper descendisset, quem et ipsum receptaculum Christi et universæ Plenitudinis esse dicunt, lingua quidem unum Christum Jesum confitentes, divisi vero sententia (etenim hæc est ipsorum regula, quemadmodum prædiximus, ut alterum quidem Christum fuisse dicant, qui ab Unigenito ad correctionem Plenitudinis præmissus est; alterum vero Salvatorem esse in glorificationem Patris missum; alterum vero ex dispositione, quem et passum dicunt, recurrente in Pleroma Salvatore, qui Christum portabat): necesse habemus universam Apostolorum de Domino nostro Jesu Christo sententiam adhibere, et ostendere eos non solum nihil tale sensisse de eo, verum amplius et significasse per Spiritum sanctum, qui inciperent talia docere, summissi a Satana, uti quorumdam fidem everterent, et abstraherent eos a vita.

Et quoniam Joannes unum et eumdem novit Verbum Dei, et hunc esse Unigenitum, et hunc incarnatum esse pro salute nostra, Jesum Christum Dominum nostrum, sufficienter ex ipsius Joannis sermone demonstravimus. Sed et Matthæus unum et eumdem Jesum Christum cognoscens, eam quæ est secundum hominem generationem ejus ex Virgine exponens, sicut promisit Deus David, ex fructu ventris ejus excitaturum se æternum Regem [1], multo prius Abrahæ eamdem faciens promissionem, ait : « Liber generationis » Jesu Christi, filii David, filii Abraham [2]. » Dehinc ut li-

[1] Psal. cxxxi, 11. — [2] Matth. i, 1.

et mentem nostram a suspicione quæ est circa Jo- ait : « Christi autem generatio sic erat. Cum esset ponsata mater ejus Joseph, priusquam convenirent, enta est in utero habens de Spiritu sancto. » Dehinc Joseph cogitaret dimittere Mariam, quoniam præ- s erat, assistentem ei Angelum Dei, dicentem : « Ne ueris assumere Mariam conjugem tuam : quod enim bet in utero, de Spiritu sancto est. Pariet autem Filium, vocabis nomen ejus Jesum : hic enim salvabit populum im a peccatis suis. Hoc autem factum est, ut implere- quod dictum est a Domino per Prophetam : Ecce, rgo accipiet in utero, et pariet filium, et vocabunt no- en ejus Emmanuel, quod est, Nobiscum Deus[1]; » mani- significans, et eam promissionem quæ fuerat ad pa- , impletam, ex virgine natum Filium Dei; et hunc ipsum Salvatorem Christum, quem Prophetæ prædicaverunt: , sicut ipsi dicunt, Jesum quidem ipsum esse qui ex ia sit natus, Christum vero qui desuper descendit. Cæ- im potuerat dicere Matthæus : « Jesu vero generatio sic at; » sed prævidens Spiritus sanctus depravatores, et muniens contra fraudulentiam eorum, per Matthæum : « Christi autem generatio sic erat; » et quoniam est *Emmanuel*, ne forte tantum eum hominem puta- ius « (non *enim* ex voluntate carnis, neque ex volun- te viri, sed ex voluntate Dei, Verbum caro factum st[2]), » neque alium quidem Jesum, alterum autem Chris- n suspicaremur fuisse, sed unum et eumdem sciremus e.

Hoc ipsum interpretatus est Paulus, scribens ad Romanos : Paulus Apostolus Jesu Christi, prædestinatus in Evange- um Dei, quod promisit per Prophetas suos in Scripturis anctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David se-

[1] Matth. I, 18 et seqq. — [2] Joan. I, 13, 14.

» cundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in vir-
» tute, per Spiritum sanctificationis ex resurrectione mor-
» tuorum, Jesu Christi Domini nostri [1]. » Et iterum ad
Romanos scribens de Israel, dicit : « Quorum patres, et ex
» quibus Christus secundum carnem, qui est Deus super
» omnes benedictus in sæcula [2]. » Et iterum in Epistola quæ
est ad Galatas, ait : « Cum autem venit plenitudo tempo-
» ris, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum
» sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret, ut adop-
» tionem percipiamus [3]; » manifeste significans unum eum-
dem Deum, qui per Prophetas promissionem de Filio fecerit;
unum autem Jesum Christum Dominum nostrum, qui
de semine David secundum eam generationem quæ est
ex Maria; hunc destinatum Filium Dei Jesum Christum
in virtute secundum Spiritum sanctitatis, ex resurrectione
mortuorum, ut sit primogenitus mortuorum, quemadmo-
dum et primogenitus in omni conditione; Filius Dei, homi-
nis filius factus, ut per eum adoptionem percipiamus, por-
tante homine, et capiente, et complectente Filium Dei.
Propter hoc et Marcus ait : « Initium Evangelii Jesu Christi
» Filii Dei, quemadmodum scriptum est in Prophetis [4] »
unum et eumdem sciens Filium Dei Jesum Christum, qui
a Prophetis annuntiatus est, qui ex fructu ventris David
Emmanuel, *magni consilii* Patris *nuntius* [5], per quem
fecit Deus domui David Orientem et justum [6], et erexit
cornu salutis [7], et *suscitavit testimonium in Jacob* [8], quem-
admodum David causas generationis ejus disserens ait :
« et legem posuit in Israel, ut cognoscat generatio altera,
» filii qui nascentur ex his, et ipsi exsurgentes enarrabunt
» filiis suis, ut ponant in Deum spem suam, et præcepta
» ejus exquirant. » Et rursus Angelus evangelizans Mariæ

[1] Rom. I, 1 et seqq. — [2] Rom. IX, 5. — [3] Gal. IV, 4, 5. — [4] Marc. I, 1
[5] Esai. IX, 6. — [6] Jerem. XXXIII, 15. — [7] Luc. I, 69. — [8] Psal. LXXVII, 5.

« Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et da-
ei Dominus thronum David patris sui[1]; » eum qui sit
s Altissimi, hunc eumdem et David filium confitens.
ıs et David dispositionem adventus per Spiritum co-
ıcens, per quam dominans est omnium vivorum et
tuorum, Dominum eum confessus est, sedentem ad
ıram Patris altissimi[2].

ıt Simeon autem ille, qui responsum acceperat a Spiritu
cto, non visurum eum mortem, nisi prius videret Chris-
ı Jesum, hunc manibus accipiens Virginis primogeni-
ı, benedixit Deum, et dixit : « Nunc dimittis servum
ıum, Domine, secundum verbum tuum in pace : quia
ıderunt oculi mei salutare tuum : quod parasti ante fa-
ıem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium,
t gloriam populi tui Israel[3]; » infantem quem in mani-
s portabat Jesum, natum ex Maria, ipsum confitens esse
ıristum Filium Dei, lumen hominum, et gloriam ipsius
ʼael, et pacem et refrigerium eorum qui in dormitionem
:unt. Jam enim spoliabat homines, auferens ignorantiam
sorum, suam autem agnitionem eis donans, et disparti-
ɔnem faciens eorum qui cognoscebant eum, quemadmo-
ım Esaias : « Voca, inquit, nomen ejus, Velociter spolia,
celeriter dispartire[4]. » Hæc sunt autem opera Christi. Ipse
ıitur erat Christus, quem portans Simeon benedicebat
ltissimum; quem pastores cum vidissent, glorificabant
ıeum; quem Joannes, cum adhuc in ventre matris suæ es-
et, et ille in vulva Mariæ, Dominum cognoscens, exultans
alutabat; quem Magi videntes, et adorantes, et afferen-
es munera quæ prædiximus, et substernentes semetipsos
eterno Regi, per alteram abierant viam, non jam per As-
ıyriorum revertentes viam. « Priusquam enim cognoscet
ı puer vocare patrem, aut matrem, accipiet virtutem Da-

[1] Luc. I, 32. — [2] Psal. CIX, 1. — [3] Luc. II, 29 et seqq. — [4] Esai. VIII, 3.

» nasci, et spolia Samariæ, contra regem Assyriorum[1] occulte quidem, sed potenter manifestans quoniam abscondita manu expugnabat Dominus Amalech. Propter hoc et pueros eripiebat qui erant in domo David, bene sortitus tempore nasci, ut eos præmitteret in suum regnum: infans cum esset, infantes hominum martyres parans, propter Christum, qui in Bethleem natus est Judæ, in civitate David, interfectos secundum Scripturas.

Propter quod et Dominus discipulis post resurrectionem dicebat : « O insensati, et tardi corde ad credendum in » omnibus quæ locuti sunt Prophetæ ! Nonne hæc oportebat pati Christum, et introire in claritatem suam[2]? » Et iterum ait eis : « Hi sunt sermones quos locutus sum ad » vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam oportet impleri omnia scripta in lege Moysi et Prophetis et Psalmis » de me. Tunc adaperuit eorum sensum, ut intelligerent » Scripturas, et dixit ad eos : Quoniam sic scriptum est » Christum pati, et resurgere a mortuis, et prædicari in nomine ejus remissionem peccatorum in omnes gentes[3]. » Hic autem est qui ex Maria natus est. « Oportet enim, inquit, Filium hominis multa pati, et reprobari, et crucifigi, » et die tertio resurgere[4]. » Non ergo alterum filium hominis novit Evangelium, nisi hunc qui ex Maria, *qui et* passus est; sed neque Christum avolantem ante passionem ab Jesu; sed hunc qui natus est, Jesum Christum novit Dei Filium, et eumdem hunc passum resurrexisse, quemadmodum Joannes Domini discipulus confirmat, dicens : « Hæc autem » scripta sunt, ut credatis quoniam Jesus est Filius Dei, et » ut credentes vitam æternam habeatis in nomine ejus[5]; » providens has blasphemas regulas, quæ dividunt *Dominum*, quantum ex ipsis attinet, ex altera et altera substantia di-

[1] Esai. VIII, 4.— [2] Luc. XXIV, 25.— [3] *Ibid.* 44 et seqq.— [4] Marc. VIII, 31. — [5] Joan. XX, 31.

ntes eum factum. Propter quod et in Epistola sua sic testatus est nobis : « Filioli, novissima hora est, et quemadmodum audistis quoniam Antichristus venit, nunc Antichristi multi facti sunt : unde cognoscimus quoniam novissima hora est. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum : sed ut manifestarentur quoniam non sunt ex nobis. Cognoscite ergo quoniam omne mendacium extraneum est, et non est de veritate. Quis est mendax, nisi qui negat quoniam Jesus non est Christus? hic est Antichristus [1]. »

Quia autem omnes qui prædicti sunt, etsi lingua quidem onfitentur unum Jesum Christum, semetipsos derident, liud quidem sentientes, aliud vero dicentes (etenim argumenta illorum varia, quemadmodum ostendimus); alterum uidem passum, et natum hunc esse Christum annuntiant, t esse alterum eorum Demiurgi, qui sit ex dispositione, el eum qui sit ex Joseph, quemque passibilem argumentantur; alterum vero eorum ab invisibilibus et inenarabilibus descendisse, quem et invisibilem, et incomprehensibilem, et impassibilem esse confirmant, errantes a veritate, eo quod absistat sententia eorum ab eo qui est vere Deus : nescientes quoniam hujus Verbum unigenitus, qui semper humano generi adest, unitus et consparsus suo plasmati secundum placitum Patris, et caro factus, ipse est Jesus Christus Dominus noster, qui passus est pro nobis, et surrexit propter nos; et rursus venturus in gloria Patris, ad resuscitandum universam carnem, et ad ostensionem salutis, et regulam justi judicii ostendere omnibus qui sub ipso facti sunt. Unus igitur Deus Pater, quemadmodum ostendimus, et unus Christus Jesus Dominus noster, veniens per universam dispositionem, et omnia in semetipsum reca-

[1] 1 Joan. II, 18 et seqq.

pitulans. In omnibus autem est et homo, plasmatio Dei: et hominem ergo in semetipsum recapitulans est, invisibilis visibilis factus, et incomprehensibilis factus comprehensibilis, et impassibilis passibilis, et Verbum homo, universa in semetipsum recapitulans : uti, sicut in supercœlestibus, et spiritualibus, et invisibilibus princeps est Verbum Dei; sic et in visibilibus et corporalibus principatum habeat, in semetipsum primatum assumens, et apponens semetipsum caput Ecclesiæ, universa attrahat ad semetipsum apto in tempore.

Nihil enim incomptum atque intempestivum apud eum, quomodo nec incongruens est apud Patrem. Præcognita sunt enim omnia a Patre, perficiuntur autem a Filio, sicut congruum et consequens est, apto tempore. Propter hoc properante Maria ad admirabile vini signum, et ante tempus volente participare compendii poculo, Dominus repellens ejus intempestivam festinationem, dixit : « Quid mihi » et tibi est, mulier? nondum venit hora mea [1]; » exspectans eam horam quæ est a Patre præcognita. Propter hoc cum sæpe vellent eum homines apprehendere : « Nemo, inquit, » immisit manus ei : nondum enim venerat hora apprehen» sionis [2], » nec tempus passionis, quod præcognitum fuerat a Patre; quemadmodum et Habacuc propheta ait : « In eo » cum appropinquarint anni, cognosceris, in adventu tem» poris ostenderis, in eo quod turbetur anima mea in ira, » misericordiæ tuæ memoraberis [3]. » Sed et Paulus ait : « Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium » suum [4]. » Per quod manifestum est, quoniam omnia quæ præcognita erant a Patre, ordine, et tempore, et hora præcognita et apta perfecit Dominus noster, unus quidem et idem existens, dives autem et multus. Diviti enim et multæ voluntati Patris deservit, cum sit ipse Salvator eorum qui

[1] Joan. II, 3. — [2] Joan. VII, 30. — [3] Habac. III, 2. — [4] Galat. IV, 4.

ır, et Dominus eorum qui sunt sub dominio, et Deus quæ constituta sunt, et unigenitus Patris, et Christ prædicatus est, et Verbum Dei incarnatus, cum sset plenitudo temporis, in quo Filium hominis fieri bat filium Dei.

ur omnes extra dispositionem sunt, qui sub obtentu onis alterum quidem Jesum intelligunt, alterum au- hristum, et alterum Unigenitum (ab hoc autem rur- esse Verbum); et alterum Salvatorem, quem etiam n qui in deminoratione facti sunt Æones, emissionem licunt hi qui sunt erroris discipuli : qui a foris quidem (per eam enim quam habent extrinsecus loquelam, es nobis apparent, eadem nobiscum loquentes), in- ecus vero lupi. Sententia enim eorum homicidialis, quidem plures confingens, et Patres multos simulans; minuens autem et per multa dividens Filium Dei : quos ominus nobis cavere prædixit[1], et discipulus ejus Joan- in prædicta Epistola fugere eos præcepit dicens : « Multi ductores exierunt in hunc mundum, qui non confiten- ır Jesum Christum in carne venisse. Hic est seductor et ntichristus. Videte eos, ne perdatis quod operati estis[2]. » rursus in Epistola ait : « Multi pseudoprophetæ exierunt ıc sæculo. In hoc cognoscite Spiritum Dei. Omnis spiri- us qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus qui solvit Jesum, non est ex Deo, sed de Antichristo est[3]. » Hæc autem similia sunt li quod in Evangelio dictum est, quoniam « Verbum caro factum est, et inhabitavit in nobis[4]. » Propter quod rursus n Epistola clamat : « Omnis qui credit quia Jesus est Christus, ex Deo natus est[5]; » unum et eumdem sciens Jesum Christum, cui apertæ sunt portæ cœli, propter carnalem

[1] Matth. VII, 15.—[2] 2 Joan. VII, 8.—[3] 1 Joan. IV, 1, 2, 3.—[4] Joan. I, 14. —[5] 1 Joan. V, 1.

ejus assumptionem : qui etiam in eadem carne in qua passus est veniet, gloriam revelans Patris.

Et Paulus autem his consentiens, Romanos alloquens, ait : « Multo magis hi qui abundantiam gratiæ et justitiæ » accipiunt in vitam, regnabunt per unum Jesum Christum[1]. » Nescit ergo eum qui evolavit Christum a Jesu; neque eum novit Salvatorem qui sursum est, quem impassibilem dicunt. Si enim alter quidem passus est, alter autem impassibilis mansit; et alter quidem natus est, alter vero in eum qui natus est descendit, et rursus reliquit eum; non unus, sed duo monstrantur. Quoniam autem unum eum, et qui natus est et qui passus est, Christum Jesum novit Apostolus, in eadem Epistola iterum dicit : « An ignoratis, quoniam quotquot baptizati sumus in Christo Jesu, » in morte ejus baptizati sumus? ut quemadmodum resurrexit Christus a mortuis, sic et nos in novitate vitæ ambulemus[2]. » Rursus autem significans Christum passum, et ipsum esse Filium Dei, qui pro nobis mortuus est, et sanguine suo redemit nos in præfinito tempore, ait : « Utquid » enim Christus, cum adhuc essemus infirmi, secundum » tempus pro impiis mortuus est? Commendat autem suam » dilectionem Deus in nobis, quoniam cum adhuc essemus » peccatores pro nobis Christus mortuus est : multo magis » justificati nunc in sanguine ejus, salvi erimus per ipsum » ab ira. Si enim cum essemus inimici reconciliati sumus » Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi » erimus in vita ejus[3]. » Hunc eumdem qui apprehensus, et passus est, et effudit sanguinem suum pro nobis, hunc Christum, hunc Filium Dei manifestissime annuntians, qui etiam surrexit, et assumptus est in cœlos, quemadmodum ipse ait : « Simul autem Christus mortuus est, imo et resurrexit, » qui est in dextera Dei[4]. » Et iterum : « Scientes quoniam

[1] Rom. v, 17. — [2] Rom. vi, 3, 4. — [3] Rom. v, 6 et seqq. — [4] Rom. viii, 34.

ristus resurgens a mortuis, jam non moritur[1]. » (Præ-
ns enim et ipse per Spiritum subdivisiones malorum
istrorum, et omnem ipsorum occasionem distensionis
ns abscindere, ait quæ prædicta sunt :) « Si autem
iritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, inhabitat
vobis; qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et
ortalia corpora vestra[2]. » Unum quod non exclamat ad
qui volunt audire : Nolite errare; unus et idem est
istus Jesus Filius Dei, qui per passionem reconciliavit
Deo, et resurrexit a mortuis, qui est in dextera Patris, et
ectus in omnibus : qui cum vapularet, non repercutie-
: « qui cum pateretur, non est minitatus[3]; » et cum ty-
nidem pateretur, rogabat Patrem ut ignosceret his qui
rucifixerant. Ipse enim vere salvavit : ipse est Verbum
, ipse unigenitus a Patre, Christus Jesus Dominus noster.
)stenso[4] manifeste, quod in principio Verbum existens
d Deum, per quem omnia facta sunt, qui et semper
rat generi humano, hunc in novissimis temporibus se-
dum præfinitum tempus a Patre, unitum suo plasmati,
ibilem hominem factum; exclusa est omnis contradictio
ntium : Si ergo tunc natus est, non erat ergo ante Chris-
Ostendimus enim, quia non tunc cœpit Filius Dei, exis-
semper apud Patrem; sed quando incarnatus est, et
to factus, longam hominum expositionem in seipso re-
itulavit, in compendio nobis salutem præstans, ut quod
lideramus in Adam, id est, secundum imaginem et si-
tudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus.
)uia enim non erat possibile, eum hominem qui semel
us fuerat, et elisus per inobedientiam, replasmare, et
nere bravium victoriæ; iterum autem impossibile erat,
salutem perciperet qui sub peccato ceciderat : utraque

[1] Rom. VI, 9. — [2] Rom. VIII, 11. — [3] I Pet. II, 23.
[4] Cap. XVIII.

Ipse qui agnitus est a Petro Christus, qui eum beatum dixit, quoniam Pater ei revelavit Filium Dei vivi, dixit, semetipsum oportere multa pati et crucifigi; et tunc Petro increpavit, secundum opinionem hominum putanti eum esse Christum, et passionem ejus aversanti, et dixit discipulis: « Si quis vult post me venire, neget se, et tollat crucem » suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam » salvare, perdet illam : et qui eam perdiderit propter me » salvabit eam[1]. » Hæc enim Christus manifeste dicebat, ipse existens Salvator eorum qui propter suam confessionem in mortem traderentur, et perderent animas suas.

Si autem ipse non erat passurus, sed avolaret a Jesu, quid adhortabatur discipulos tollere crucem, et sequi se, quam ipse non tollebat secundum ipsos, sed relinquebat dispositionem passionis? Quoniam enim non de agnitione superioris crucis dicit hoc, quemadmodum quidam audent exponere, sed de passione quam oportebat illum pati, et ipsi discipuli ejus futurum erat ut paterentur, intulit: « Quicumque enim salvaverit animam suam, perdet eam: et » qui perdiderit, inveniet eam. » Et quoniam passuri erant discipuli ejus propter eum, dicebat Judæis : « Ecce, mitto » ad vos prophetas, et sapientes, et doctores, et ex his interficietis et crucifigetis[2]. » Et discipulis dicebat: « Ante » duces et reges stabitis propter me, et ex vobis flagellabunt, et interficient, et persequentur a civitate in civitatem[3]. » Sciebat igitur et eos qui persecutionem passuri essent, sciebat et eos qui flagellari et occidi haberent propter eum. Et non altera de cruce, sed de passione quam passurus esset ipse prior, post deinde discipuli ejus, erat ergo sermo ejus, adhortantis etiam illos : « Nolite timere » eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : timete autem magis eum qui habet potestatem

[1] Matth. XVI, 24, 25. — [2] Matth. XXIII, 34. — [3] Matth. X, 18 et seqq.

» et corpus et animam mittere in gehennam[1]; » et servare eas quæ essent ad eum confessiones. Etenim ipse confessurum se promittebat coram Patre suo eos qui confiterentur nomen suum coram hominibus; negaturum autem eos qui negarent eum, et confusurum qui confunderentur confessionem ejus. Et cum hæc ita se habeant, ad tantam temeritatem progressi sunt quidam, ut etiam martyres spernant, et vituperent eos qui propter Domini confessionem occiduntur, et sustinent omnia a Domino prædicta, et secundum hoc conantur vestigia assequi passionis Domini, passibilis martyres facti; quos et concedimus ipsis martyribus. Cum enim inquiretur sanguis eorum, et gloriam consequentur, tunc a Christo confundentur omnes qui inhonoraverunt eorum martyrium. Et ex hoc autem quod Dominus in cruce dixerit : « Pater, remitte eis, non enim sciunt quid » faciunt[4], » longanimitas, et patientia, et misericordia, et bonitas Christi ostenditur, ut et ipse pateretur, et ipse excusaret eos qui se male tractassent. Verbum enim Dei quod nobis dixit : « Diligite inimicos vestros, et orate pro eis qui » vos oderunt[5], » ipse hoc fecit in cruce, in tantum diligens humanum genus, ut etiam pro his qui se interficerent postularet. Si quis autem, quasi duorum existentium, judicium de his faciat, invenietur multo melior, et patientior, et vere bonus, qui in vulneribus ipsis, et plagis, et reliquis quæ in eum commiserunt, beneficus est, nec memor est in se commissæ malitiæ, eo qui avolavit, nec ullam injuriam neque opprobrium passus est.

Hoc autem idem et illis occurrit qui dicunt eum putative passum. Si enim non vere passus est, nulla gratia ei, cum nulla fuerit passio : et nos, cum incipiemus vere pati, seducens videbitur, adhortans nos vapulare, et alteram præ-

[1] Matth. x, 28. — [2] *Ibid.* 32 et seqq. — [3] Mar. viii, 38. — [4] Luc. xxiii, 34. — [5] Matth. v, 44.

bere maxillam, si ipse illud non prior in veritate passus est: et quemadmodum illos seduxit, ut videretur eis ipse hoc quod non erat; et nos seducit, adhortans perferre ea quæ ipse non pertulit. Erimus autem et super magistrum, dum patimur et sustinemus quæ neque passus est neque sustinuit magister. Sed quoniam solus vere magister Dominus noster; et bonus vere Filius Dei, et patiens, Verbum Dei Patris filius hominis factus. Luctatus est enim, et vicit: erat enim homo pro patribus certans, et per obedientiam inobedientiam persolvens: alligavit enim fortem, et solvit infirmos, et salutem donavit plasmati suo, destruens peccatum. Est enim piissimus et misericors Dominus, et amans humanum genus.

Hærere itaque fecit et adunivit, quemadmodum prædiximus, hominem Deo. Si enim homo non vicisset inimicum hominis, non juste victus esset inimicus. Rursus autem, nisi Deus donasset salutem, non firmiter haberemus eam. Et nisi homo conjunctus fuisset Deo, non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis. Oportuerat enim Mediatorem Dei et hominum, per suam ad utrosque domesticitatem, in amicitiam et concordiam utrosque reducere, et facere ut et Deus assumeret hominem, et homo se dederet Deo. Qua enim ratione filiorum adoptionis ejus participes esse possemus, nisi per Filium eam quæ est ad ipsum recepissemus ab eo communionem; nisi Verbum ejus communicasset nobis, caro factum? Quapropter et per omnem venit ætatem, omnibus restituens eam quæ est ad Deum communionem. Igitur qui dicunt eum putative manifestatum, neque in carne natum, neque vere hominem factum, adhuc sub veteri sunt damnatione, advocationem præbentes peccato, non devicta secundum eos morte, quæ « regnavit » ab Adam usque ad Moysem, etiam in eos qui non pec-

» caverunt in similitudinem transgressionis Adæ[1]. » Veniens autem Lex, quæ data est per Moysem, et testificans de peccato, quoniam peccator est, regnum quidem ejus abstulit, latronem et non regem eum detegens, et homicidam eum ostendit : oneravit autem hominem, qui habebat peccatum in se, reum mortis ostendens eum. Spiritualis enim cum Lex esset, manifestavit tantummodo peccatum, non autem interemit : non enim Spiritui dominabatur peccatum, sed homini. Oportebat enim eum qui inciperet occidere peccatum, et mortis reum redimere hominem, id ipsum fieri quod erat ille, id est, hominem : qui a peccato quidem in servitium tractus fuerat, a morte vero tenebatur, ut peccatum ab homine interficeretur, et homo exiret a morte. Quemadmodum enim per inobedientiam unius hominis, qui primus de terra rudi plasmatus est, peccatores facti sunt multi, et amiserunt vitam; ita oportuit et per obedientiam unius hominis, qui primus de virgine natus est, justificari multos, et percipere salutem. Sic igitur Verbum Dei homo factus est, quemadmodum et Moyses ait : « Deus, vera » opera ejus[2]. » Si autem non factus caro, parebat quasi caro, non erat verum opus ejus. Quod autem parebat, hoc et erat; Deus hominis antiquam plasmationem in se recapitulans, ut occideret quidem peccatum, evacuaret autem mortem, et vivificaret hominem : et propter hoc vera opera ejus.

Rursus autem[3] qui nude tantum hominem eum dicunt ex Joseph generatum, perseverantes in servitute pristinæ inobedientiæ moriuntur; nondum commixti Verbo Dei Patris, neque per Filium percipientes libertatem, quemadmodum ipse ait : « Si Filius vos manumiserit, vere liberi eritis[4]. »

[1] Rom. v, 14. — [2] Deut. xxxii, 4.
[3] Cap. xix.
[4] Joan. viii, 36.

Ignorantes autem eum qui ex Virgine est Emmanuel, privantur munere ejus, quod est vita æterna : non recipientes autem Verbum incorruptionis, perseverant in carne mortali, et sunt debitores mortis, antidotum vitæ non accipientes. Ad quos Verbum ait, suum munus gratiæ narrans : « Ego dixi, Dii estis, et filii Altissimi omnes : vos autem » sicut homines moriemini [1]. » Ad eos indubitate dicit qui non percipiunt munus adoptionis, sed contemnunt incarnationem puræ generationis Verbi Dei, fraudantes hominem ab ea ascensione quæ est ad Dominum, et ingrati existentes Verbo Dei, qui incarnatus est propter ipsos. Propter hoc enim Verbum Dei homo, et qui Filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat filius Dei. Non enim poteramus aliter incorruptelam et immortalitatem percipere, nisi adunati fuissemus incorruptelæ et immortalitati. Quemadmodum autem adunari possemus incorruptelæ et immortalitati, nisi prius incorruptela et immortalitas facta fuisset id quod et nos; ut absorberetur quod erat corruptibile ab incorruptela, et quod erat mortale, ab immortalitate, ut filiorum adoptionem perciperemus?

Propter hoc « generationem ejus quis enarrabit [2]? » quoniam « homo est; et quis agnoscet eum [3]? » Cognoscit autem illum is cui Pater qui est in cœlis revelavit, ut intelligat, quoniam is qui « non ex voluntate carnis neque ex voluntate viri natus est » filius hominis, hic est Christus Filius Dei vivi. Quoniam enim nemo in totum ex filiis Adæ, Deus appellatur secundum eum, aut Dominus nominatur, ex Scripturis demonstravimus. Quoniam autem ipse proprie præter omnes qui fuerunt tunc homines, Deus, et Dominus, et Rex æternus, et Unigenitus, et Verbum incarnatum prædicatur et a Prophetis omnibus, et Apostolis, et ab

[1] Psal. LXXXI, 6, 7. — [2] Esai. LIII, 8. — [3] Jerem. XVII, 9.

ipso Spiritu, adest videre omnibus qui vel modicum de veritate attigerint. Hæc autem non testificarentur Scripturæ de eo, si, similiter ut omnes, homo tantum fuisset. Sed quoniam præclaram præter omnes habuit in se eam quæ est ab altissimo Patre genituram, præclara autem functus est et ea quæ est ex Virgine generatione; utraque Scripturæ divinæ de eo testificantur : et quoniam homo indecorus et passibilis, et super pullum asinæ sedens[1], aceto et felle potatur, et spernebatur in populo, et usque ad mortem descendit[2]; et quoniam Dominus sanctus, et mirabilis consiliarius, et decorus specie, et Deus fortis, super nubes veniens universorum judex, omnia de eo Scripturæ prophetabant.

Sicut enim homo erat, ut tentaretur; sic et Verbum, ut glorificaretur : requiescente quidem Verbo, ut posset tentari, et inhonorari, et crucifigi, et mori; absorpto autem homine in eo quod vincit, et sustinet, et resurgit, et assumitur. Hic igitur Filius Dei Dominus noster, existens Verbum Patris, et filius hominis : quoniam ex Maria, quæ ex hominibus habebat genus, quæ et ipsa erat homo, habuit secundum hominem generationem, factus est filius hominis. Propter hoc et ipse Dominus dedit nobis signum in profundum[3], in altitudinem sursum, quod non postulavit homo, quia nec speravit virginem prægnantem fieri posse, quæ erat virgo, et parere filium, et hunc partum Deum esse nobiscum, et descendere in ea quæ sunt deorsum terræ, quærentem ovem quæ perierat, quod quidem erat proprium ipsius plasma, et ascendere in altitudinem, offerentem et commendantem Patri eum hominem qui fuerat inventus, primitias resurrectionis hominis in semetipso faciens : ut quemadmodum caput resurrexit a mortuis, sic et reliquum corpus omnis hominis, qui invenitur in vita,

[1] Esai. LIII, 2; Zach. IX, 9. — [2] Psal. LXVIII, 22. — [3] Esai. VII, 11, 14.

impleto tempore condemnationis ejus, quæ erat propter inobedientiam, resurgat, per compagines et conjunctiones coalescens, et confirmatum augmento Dei, unoquoque membrorum habente propriam et aptam in corpore positionem. Multæ enim mansiones apud Patrem, quoniam et multa membra in corpore.

§ IV.

DE CHRISTO SALVATORE[1].

Hic agit 1° de lapsu hominis; 2° de nativitate Dei ex Virgine; 3° de salute Adami.

I. De lapsu hominis :

Magnanimus igitur fuit Deus deficiente homine, eam quæ per Verbum esset victoriam reddendam ei prævidens. Cum enim perficiebatur virtus in infirmitate, benignitatem Dei et magnificentissimam ostendebat virtutem. Sicut enim patienter sustinuit absorberi Jonam a ceto[2], non *ut absorberetur* et in totum periret, sed ut evomitus magis subjiceretur Deo, et plus glorificaret eum qui insperabilem salutem ei donasset, et firmam pœnitentiam faceret Ninivitis, ut converterentur ad Dominum, qui eos liberaret a morte, conterritos ab eo signo quod factum erat circa Jonam, quemadmodum Scriptura de his dicit : « Et reversi sunt » unusquisque a via sua mala, et injustitia, quæ erat in manibus eorum, dicentes : Quis scit si pœnitebit Deus, et » avertat iram suam a nobis, et non peribimus[3]? » Sic et ab initio fuit patiens Deus hominem absorberi a magno ceto qui fuit auctor prævaricationis, non ut absorptus in totum periret, sed præstruens et præparans adinventionem salutis, quæ facta est a Verbo, per signum Jonæ, his qui

[1] Cap. XX.

[2] Jon. II, 1 et seqq. — [3] Jon. III, 8, 9.

ındem cum Jona de Domino sententiam habuerunt, et ›nfessi fuerunt, et dixerunt : « Servus Domini ego sum, et Dominum Deum cœli ego colo, qui fecit mare et aridam [1] : » ; insperabilem homo a Deo percipiens salutem, resurgat a ortuis, et clarificet Deum, et eam quæ a Jona prophetata ıt dicat vocem : « Clamavi ad Dominum Deum meum in tribulatione mea, et exaudivit me de ventre inferni [2] ; » et ımper permaneat glorificans Deum, et sine intermissione ·atias referens pro ea salute quam consecutus est ab eo : ut non glorietur in conspectu Domini omnis caro [3], » nec ıquam de Deo contrarium sensum accipiat homo, pro- ·iam naturaliter arbitrans eam, quæ circa se esset, incor- ıptelam, et non tenens veritatem, inani supercilio jactare- ır, quasi naturaliter similis esset Deo. Ingratum enim ıagis eum hoc ei qui eum fecerat perficiens, et dilectio- ɜm quam habebat Deus in hominem, offuscabat, et ex- ɛcabat sensum suum ad non sentiendum quod sit de eo dignum, comparans et æqualem se judicans Deo.

Hæc ergo fuit magnanimitas Dei, ut per omnia pertrans- ıns homo, et morum agnitionem percipiens, dehinc ve- ɾens ad resurrectionem quæ est a mortuis, et experimento ıscens unde liberatus est, semper gratus exsistat Domino, ıunus incorruptelæ consecutus ab eo, ut plus diligeret ım (cui enim plus dimittitur plus diligit) : cognoscat au- ɜm semetipsum, quoniam mortalis et infirmus est; intel- gat autem et Deum, quoniam in tantum immortalis et otens est, uti et mortali immortalitatem, et temporali ɜternitatem donet : intelligat autem et reliquas virtutes ›ei omnes in semetipsum ostensas, per quas edoctus sen- iat de Deo, quantus est Deus. Gloria enim hominis, Deus; perationes vero Dei, et omnis sapientiæ ejus, et virtutis ɛceptaculum, homo. Quemadmodum medicus in his qui

[1] Jon. I, 9. — [2] Jon. II, 3. — [3] I Cor. I, 29.

ægrotant probatur, sic et Deus in hominibus manifestatur. Quapropter et Paulus ait : « Conclusit autem Deus omnia » in incredulitate, ut omnium misereatur[1]; » non de spiritualibus Æonibus dicens hoc, sed de homine qui fuit inobediens Deo, et projectus de immortalitate, dehinc misericordiam consecutus est, per Filium Dei eam quæ est per ipsum percipiens adoptionem. Hic enim tenens sine inflatione et jactantia veram gloriam de his quæ facta sunt, et de eo qui fecit, qui est potentissimus omnium Deus, quique omnibus ut sint præstitit; et manens in dilectione ejus et subjectione, et gratiarum actione, majorem ab eo gloriam percipiet, provectus accipiens, dum consimilis fiat ejus qui pro eo mortuus est; quoniam et ipse in similitudinem carnis peccati factus est[2], uti condemnaret peccatum, et jam quasi condemnatum projiceret illud extra carnem; provocaret autem in similitudinem suam hominem, imitatorem eum assignans Deo, et in paternam imponens regulam, ad videndum Deum; et capere Patrem donans Verbum Dei quod habitavit in homine, et Filius hominis factus est, ut assuesceret hominem percipere Deum, et assuesceret Deum habitare in homine, secundum placitum Patris.

Propter hoc ergo signum salutis nostræ eum qui ex Virgine Emmanuel, est ipse Dominus : quoniam ipse Dominus erat qui salvabat eos, quia per semetipsos non habebant salvari. Et propter hoc Paulus infirmitatem hominis annuntians, ait : « Scio enim quoniam non habitat in carne mea bonum[3]; » significans, quoniam non a nobis, sed a Deo est bonum salutis nostræ. Et iterum : « Miser ego homo, quis me liberabit » de corpore mortis hujus[4]? » Deinde infert liberatorem : « Gratia Jesu Christi Domini nostri[5]. » Hoc autem et Esaias :

[1] Rom. xi, 32. — [2] Rom. viii, 3. — [3] Rom. vii, 18. — [4] *Ibid.* 24. — [5] *Ibid.* 25.

...nfortamini, inquit, manus resolutæ, et genua debilia : ...ortamini, pusillanimes sensu; confortamini, ne timea... ecce, Deus noster judicium retribuit, et retributu... est : ipse veniet, et salvabit nos[1]. » Hoc, quoniam ...a nobis, sed a Dei adjumento habuimus salvari.

...ursus, quoniam neque homo tantum erit qui salvat ...neque sine carne (sine carne enim Angeli sunt), præ...it enim, dicens : « Neque senior, neque Angelus, sed ...e Dominus salvabit eos, quoniam diligit eos, et parcet ..., ipse liberabit eos[2]. » Et quoniam hic ipse homo verus ...ilis incipiet esse, cum sit Verbum salutare, rursus ...as ait : « Ecce, Sion civitas, salutare nostrum oculi tui ...lebunt[3]. » Et quoniam non solum homo erat qui morie...ır pro nobis, Esaias ait : « Et commemoratus est Domi...s sanctus Israel mortuorum suorum, qui dormierant in ...ra sepultionis : et descendit ad eos evangelizare salutem ...æ est ab eo, ut salvaret eos. » Hoc autem idem et Amos ...chæas) propheta ait : « Ipse convertetur, et miserebitur ...stri : dissolvet injustitias nostras, et projiciet in altitudi...m maris peccata nostra[4]. » Et rursus significans locum ...entus ejus, ait : « Dominus ex Sion locutus est, et ex ...ierusalem dedit vocem suam[5]. » Et quoniam ex ea parte ...e est secundum Africum hæreditatis Judæ, veniet Filius ...i, qui Deus est, et qui erat ex Bethleem, ubi natus est ...minus, in omnem terram emittet laudationem ejus, sicut ... Habacuc propheta : « Deus ab Africo veniet, et sanctus ...le monte Effrem. Cooperuit cœlum virtus ejus, et lauda...ione ejus plena est terra. Ante faciem ejus præibit Ver...um, et progredientur in campis pedes ejus[6]. » Manifeste ...nificans, quoniam Deus, et quoniam in Bethleem adven...s ejus, et ex monte Effrem, qui est secundum Africum

...Esai. XXXV, 3, 4. — [2] Esai. LXIII, 9. — [3] Esai. XXXIII, 20. — [4] Mich. VII, ... — [5] Joel, III, 16, et Amos, I, 2. — [6] Habac. III, 3, 4.

hæreditatis, et quoniam homo. « Progredientur enim, inquit, in campis pedes ejus : » hoc autem signum proprium hominis.

II. De nativitate Dei ex Virgine[1] :

Deus igitur homo factus est, et ipse Dominus salvabit nos, ipse dans Virginis signum. Non ergo vera est quorumdam interpretatio, qui ita audent interpretari Scripturam : « Ecce » adolescentula in ventre habebit, et pariet filium ; » quemadmodum Theodotion Ephesius est interpretatus, et Aquila Ponticus, utrique Judæi proselyti ; quos sectati Ebionæi ex Joseph generatum eum dicunt : tantam dispositionem Dei dissolventes, quantum ad ipsos est ; frustrantes Prophetarum testimonium, quod operatus est Deus. Prophetatum est quidem, priusquam in Babylonem fieret populi transmigratio, id est, antequam Medi et Persæ acceperint principatum : interpretatum vero in Græco ab ipsis Judæis multa ante tempora adventus Domini nostri, ut nulla relinquatur suspicio, ne forte morem nobis gerentes Judæi, hæc ita sint interpretati. Qui quidem si cognovissent nos futuros, et usuros his testimoniis quæ sunt ex Scripturis, nunquam dubitassent ipsi suas comburere Scripturas, quæ et reliquas omnes gentes manifestant participare vitæ, et eos qui gloriantur domum se esse Jacob et populum Israel et exhæreditatos ostendunt a gratia Dei.

Prius enim quam Romani possiderent regnum suum, adhuc Macedonibus Asiam possidentibus, Ptolemæus Lagi filius, cupiens eam bibliothecam quæ a se fabricata esset in Alexandria, omnium hominum dignis conscriptionibus ornare, petiit ab Hierosolymitis in Græcum sermonem interpretatas habere Scripturas eorum. Illi vero (obediebant enim tunc adhuc Macedonibus) eos quos habebant perfe-

[1] Cap. XXI.

ores Scripturarum intellectores, et utriusque loquelæ, ptuaginta seniores miserunt Ptolemæo, facturos hoc quod se voluisset. Ille autem experimentum eorum sumere vons, et metuens ne forte consentientes, eam veritatem quæ set in Scripturis absconderent per interpretationem, searans eos ab invicem, jussit omnes eamdem interpretari cripturam : et hoc in omnibus libris fecit. Convenientibus ıtem ipsis in unum apud Ptolemæum, et comparantibus ıas interpretationes, Deus glorificatus est, et Scripturæ ere divinæ creditæ sunt, omnibus eadem, et eisdem verbis, t eisdem nominibus, recitantibus ab initio usque ad finem, ti et præsentes Gentes cognoscerent quoniam per aspiıtionem Dei interpretatæ sunt Scripturæ. Et non esse miabile Deum hoc in eis operatum, quando in ea captivitate opuli quæ facta est a Nabuchodonosor, corruptis Scripuris, et post septuaginta annos Judæis descendentibus in egionem suam, post deinde temporibus Artaxerxis Persaum regis inspiravit Esdræ sacerdoti tribus Levi, præteriorum Prophetarum omnes rememorare sermones, et resituere populo eam legem quæ data est per Moysem.

Cum tanta igitur veritate et gratia Dei interpretatæ sint Scripturæ, ex quibus præparavit et reformavit Deus fidem ıostram quæ in Filium ejus est, et servavit nobis simplices Scripturas in Ægypto, in qua adolevit et domus Jacob, ıffugiens famem quæ fuit in Chanaan, in qua et Dominus ıoster servatus est, effugiens eam persecutionem quæ erat ıb Herode; et hæc earum Scripturarum interpretatio priusıuam Dominus noster descenderet facta sit, et antequam Christiani ostenderentur interpretata sit (natus est enim Dominus noster circa primum et quadragesimum annum Augusti imperii, multo autem vetustior fuit Ptolemæus, sub quo interpretatæ sunt Scripturæ); vere impudorati et audaces ostenduntur, qui nunc volunt aliter interpreta-

tiones facere, quando ex ipsis Scripturis arguantur a nobis et in fidem adventus Filii Dei concludantur. Firma est autem, et non ficta, et sola vera, quæ secundum nos est fides, manifestam ostensionem habens ex his Scripturis, quæ interpretatæ sunt illo modo quo prædiximus; et Ecclesiæ annuntiatio sine interpolatione. Etenim Apostoli, cum sint his omnibus vetustiores, consonant prædictæ interpretationi, et interpretatio consonat Apostolorum traditioni. Etenim Petrus, et Joannes, et Matthæus, et Paulus, et reliqui deinceps, et horum sectatores, prophetica omnia ita annuntiaverunt, quemadmodum Seniorum interpretatio continet.

Unus enim et idem Spiritus Dei, qui in Prophetis quidem præconavit quis et qualis esset adventus Domini; in Senioribus autem interpretatus est bene quæ bene prophetata fuerant; ipse et in Apostolis annuntiavit plenitudinem temporum adoptionis venisse, et proximasse regnum cœlorum, et inhabitare intra homines credentes in eum qui ex Virgine natus est, Emmanuel, quemadmodum ipsi testificantur, quoniam priusquam convenisset Joseph cum Maria (manente igitur ea in virginitate), « inventa est in utero » habens de Spiritu sancto [1]; » et quoniam dixit ei Gabriel Angelus : « Spiritus sanctus adveniet in te, et virtus Altis» simi obumbrabit te : quapropter quod nascetur ex te » sanctum, vocabitur Filius Dei [2]; » et quoniam Angelus in somnis dixit ad Joseph : « Hoc autem factum est, ut adim» pleretur quod dictum est ab Esaia propheta : Ecce virgo » in utero concipiet [3]. » Seniores autem sic interpretati sunt dixisse Esaiam : « Et adjecit Dominus loqui ad Achaz » Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum deor» sum, aut in altitudinem sursum. Et dixit Achaz : Non » postulabo, nec tentabo Dominum. Et dixit : Non pusillum

[1] Matth. I, 18. — [2] Luc. I, 35. — [3] Matth. I, 22.

obis agonem præbere hominibus, et quemadmodum Do-
ninus præstat agonem? Propter hoc Dominus ipse dabit
vobis signum. Ecce, Virgo in ventre accipiet, et pariet
ilium, et vocabitis nomen ejus Emmanuel. Butyrum et
nel manducabit : priusquam cognoscat aut eligat mala,
commutabit bonum : quoniam priusquam cognoscat infans
bonum vel malum, non consentiet nequitiæ, uti eligat
bonum[1]. » Diligenter igitur significavit Spiritus sanctus
er ea quæ dicta sunt, generationem ejus quæ est ex Vir-
ne, et substantiam, quoniam Deus (Emmanuel enim no-
en hoc significat) : et manifestat quoniam homo, in eo
uod dicit : *Butyrum et mel manducabit*, et in eo quod
fantem nominat eum, et, *priusquam cognoscat bonum*
malum; hæc enim omnia signa sunt hominis infantis.
uod autem *non consentiet nequitiæ, ut eligat bonum*,
roprium hoc est Dei, uti non per hoc quod manducabit
utyrum et mel, nude solummodo eum hominem intelli-
eremus, neque rursus per nomen Emmanuel, sine carne
um Deum suspicaremur.

Et in eo quod dicit : *Audite domus David*, significantis
rat, quoniam quem promisit Deus David de fructu ventris
jus æternum suscitaturum se Regem, hic est qui ex Vir-
ine, quæ fuit de genere David, generatus est. Propter hoc
nim et de fructu ventris ejus Regem promisit, quod erat
roprium Virginis prægnantis; et non de fructu lumborum
jus, nec de fructu renum ejus, quod est proprium viri
enerantis, et mulieris ex viro conceptionem facientis. Cir-
umscripsit igitur genitalia viri in promissione Scriptura :
mo vero nec commemoratur, quoniam non ex voluntate
iri erat qui nascebatur. Statuit autem et confirmavit fruc-
um ventris, ut generationem ejus qui erat futurus ex Vir-
ine, pronuntiaret, quemadmodum Elizabeth impleta Spi-

[1] Esai. VII, 10 et seqq.

ritu sancto testificata est, dicens ad Mariam : « Benedicta » tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui[1] : significante Spiritu sancto audire volentibus, repromissionem quam repromisit Deus, de fructu ventris ejus suscitare Regem, impletam esse in Virginis, hoc est, in Mariæ partu. Qui igitur transmutant id quod apud Esaiam : « Ecce, adolescentula in ventre concipiet, » et Joseph filium eum volunt esse, illud transmutent quod est repromissionis, quod ap. David positum est, ubi promisit illi Deus, de fructu ventris ejus suscitare cornu, Christi regnum. Sed non intellexerunt : cæterum autem hoc quoque ausi fuissent demutare.

Quod autem dixerit Esaias : « In profundum deorsum » vel in altitudinem sursum, » significantis fuit, quoniam « qui descendebat, ipse erat et qui ascendebat. » In eo autem quod dixerit : « Ipse Dominus dabit signum, » id quod erat inopinatum generationis ejus significavit, quod nec factum esset aliter, nisi Deus Dominus omnium Deus ipse dedisset signum in domo David. Quid enim magnum, aut quod signum fieret in eo, quod adolescentula concipiens ex viro peperisset, quod evenit omnibus quæ pariunt mulieribus. Sed quoniam inopinata salus hominibus inciperet fieri, Deo adjuvante, inopinatus et partus Virginis fiebat, Deo dante signum hoc, sed non homine operante illud.

Propter hoc autem et Daniel prævidens ejus adventum, lapidem sine manibus abscissum advenisse in hunc mundum (hoc est enim quod *sine manibus*) significabat : quod non operantibus humanis manibus, hoc est, virorum illorum qui solent lapides cædere, in hunc mundum ejus adventus erat, id est, non operante in eum Joseph, sed sola Maria cooperante dispositioni. Hic enim lapis a terra ex virtute et arte constat Dei. Propter hoc autem et Esaias ait : « Sic dicit Dominus : Ecce, ego mitto in fundamenta

[1] Luc. 1, 42.

Sion lapidem pretiosum, electum, summum, angularem, honorificum [1]; » uti non ex voluntate viri, sed ex volunate Dei, adventum ejus qui secundum hominem est, inelligamus.

Propter hoc autem et Moyses ostendens typum, projecit irgam in terram [2], ut ea incarnata omnem Ægyptiorum rævaricationem, quæ insurgebat adversus Dei dispositioiem, argueret et absorberet; et ut ipsi Ægyptii testificaentur, quoniam digitus est Dei, qui salutem operatur poiulo [3], et non Josephi filius. Si enim Joseph filius esset, uemadmodum plus poterat quam Salomon, aut plus quam onas habere [4], aut plus esse David [5], cum esset ex eadem eminatione generatus, et proles existens ipsorum? Utquid utem et beatum dicebat Petrum, quod eum cognosceret sse Filium Dei vivi [6]?

Super hæc autem nec Rex esse posset, si quidem Joseph ilius fuisset; nec hæres, secundum Jeremiam. Joseph enim oacim et Jechoniæ filius ostenditur, quemadmodum et Matthæus generationem ejus exponit. Jechonias autem, et ui ab eo, omnes abdicati sunt a regno, Jeremia dicente ic : « Vivo ego, dicit Dominus, si factus fuerit Jechonias, filius Joacim, rex Juda, signaculum in manu dextera mea, inde abstraham eum, et tradam eum in manu quærentium animam tuam [7]. » Et iterum : « Inhonoratus est Jechonias, quemadmodum vas quod non est opus, quoniam projectus est in terram, quam non sciebat. Terra, audi sermonem Domini : scribe virum hunc abdicatum hominem, quoniam non augebit de semine ejus sedens super thronum David, princeps in Juda [8]. » Et iterum Deus ait uper Joacim patrem ejus : « Propter hoc sic dicit Dominus

[1] Esai. XXVIII, 61. — [2] Exod. VII, 9 et seqq. — [3] Exod. VIII, 19. — [4] Matth. XII, 41, 42. — [5] Matth. XXII, 43. — [6] Matth. XVI, 17. — [7] Jerem. XXII, 24, 25. — [8] *Ibid.* 28 et seqq.

» super Joacim patrem ejus, regem Judææ : Non enim erit
» ex eo sedens super thronum David, et mortificatum ejus
» erit projectum in æstu diei et in glacie noctis, et respiciam
» super eum, et super filios ejus, et inferam super eos, et
» super inhabitantes Hierusalem, super terram Juda, omnia
» mala quæ locutus sum super eos [1]. » Qui ergo eum dicunt ex Joseph generatum, et in eo habere spem, abdicatos se faciunt a regno, sub maledictione et increpatione decidentes quæ erga Jechoniam et in semen ejus. Propter hoc enim dicta sunt hæc de Jechonia, Spiritu præsciente quæ a malis doctoribus dicuntur : uti discant, quoniam ex semine ejus, id est, ex Joseph, non erit natus, sed secundum repromissionem Dei de ventre David suscitatur Rex æternus, qui recapitulatur omnia in se, et antiquam plasmationem in se recapitulatus est.

Quia quemadmodum per inobedientiam unius hominis introitum peccatum habuit, et per peccatum mors obtinuit; sic et per obedientiam unius hominis justitia introducta vitam fructificet his qui olim mortui erant, hominibus. Et quemadmodum protoplastus ille Adam de rudi terra et de adhuc virgine (« nondum enim pluerat Deus, et homo non » erat operatus terram [2]. ») habuit substantiam, et plasmatus est manu Dei, id est, Verbo Dei (« omnia enim per ipsum » sum facta sunt [3] »), et sumpsit Dominus limum a terra, et plasmavit hominem [4] : ita recapitulans in se Adam, ipse Verbum existens ex Maria, quæ adhuc erat virgo, recte accipiebat generationem Adæ recapitulationis. Si igitur primus Adam habuit patrem hominem, et ex semine viri natus est; merito dicerent, et secundum Adam ex Joseph esse generatum. Si autem ille de terra quidem sumptus est, et Verbo Dei plasmatus est, oportebat id ipsum Verbum recapitulationem Adæ in semetipsum faciens, ejus-

[1] Jerem. XXXVI, 30, 31. — [2] Gen. II, 5. — [3] Joan. I, 3. — [4] Gen. II, 7.

lem generationis habere similitudinem. Quare igitur non terum sumpsit limum Deus, sed ex Maria operatus est plasnationem fieri? Ut non alia plasmatio fieret, neque alia sset plasmatio quæ salvaretur, sed eadem ipsa recapitulaetur, servata similitudine.

Errant igitur[1] qui dicunt eum nihil ex Virgine accepisse, it abjiciant carnis hæreditatem, abjiciant autem et similiudinem. Si enim ille quidem de terra, et manu et artificio Dei plasmationem et substantiam habuit, hic autem non nanu et artificio Dei; jam non servavit similitudinem honinis, qui factus est secundum imaginem ipsius et similiudinem, et inconstans artificium videbitur, non habens circa quod ostendat sapientiam suam. Hoc autem dicere st, et putative apparuisse eum tanquam hominem, cum ion esset homo; et factum eum hominem, nihil assunentem de homine. Si enim non accepit ab homine subtantiam carnis, neque homo factus est, neque filius honinis; et si hoc non factus est quod nos eramus, non nagnum faciebat quod passus est et sustinuit. Nos auem quoniam corpus sumus de terra acceptum, et anima iccipiens a Deo spiritum, omnis quicumque confitebitur. Ioc itaque factum est Verbum Dei, suum plasma in senetipsum recapitulans : et propter hoc filium hominis se confitetur, et beatificat mites, quoniam ipsi hæreditabunt erram[2]. Et Apostolus autem Paulus in ea Epistola quæ est id Galatas manifeste ait : « Misit Deus Filium suum, factum de muliere[3]. » Et rursus in ea quæ est ad Romaios : « De Filio autem, inquit, ejus, qui factus est ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum, Jesu Christi Domini nostri[4]. »

[1] Cap. XXII.
[2] Matth. V, 4. — [3] Gal. IV, 4. — [4] Rom, I, 3, 4.

Cæterum supervacua est in Mariam descensio ejus. Quid enim in eam descendebat, si nihil incipiebat sumere ab ea? Aut si nihil sumpsisset ex Maria, nunquam eas quæ a terra erant percepisset escas, per quas id quod a terra sumptum est nutritur corpus : nec quadraginta diebus, quemadmodum Moyses et Helias, jejunans esurisset corpus ejus, suum quærens escam : sed nec Joannes discipulus ejus describens dixisset : « Jesus autem fatigatus in itinere sedebat[1]; » nec David præclamasset in eum : « Et super dolorem vulnerum meorum apposuerunt[2]; » nec lacrymasset super Lazarum; nec sudasset globos sanguinis; nec dixisset : « Tristis est anima mea[3]; » nec percusso latere exisset sanguis et aqua. Hæc enim omnia signa carnis quæ a terra sumpta est, quam in se recapitulatus est, suum plasma salvans.

Propter hoc Lucas genealogiam quæ est a generatione Domini nostri usque ad Adam, septuaginta duas generationes habere ostendit[4]; finem conjungens initio, et significans quoniam ipse est qui omnes gentes exinde ab Adam dispersas, et universas linguas, et generationem hominum cum ipso Adam in semetipso recapitulatus est. Unde et a Paulo *typus futuri*[5] dictus est ipse Adam : quoniam futuram circa Filium Dei humani generis dispositionem in semetipsum fabricator omnium Verbum præformaverat, præformante Deo primum animalem hominem, videlicet ut a spirituali salvaretur. Cum enim præexisteret salvans, oportebat et quod salvaretur fieri, uti non vacuum sit salvans.

Consequenter autem et Maria virgo obediens invenitur, dicens : « Ecce ancilla tua, Domine, fiat mihi secundum » verbum tuum[6]. » Eva vero inobediens : non obedivit enim, adhuc cum esset virgo. Quemadmodum illa virum quidem

[1] Joan. IV, 6. — [2] Psal. LXVIII, 27. — [3] Matth. XXVI, 38. — [4] Luc. III, 23 et seqq. — [5] Rom. X, 14. — [6] Luc. I, 38.

habens Adam, virgo tamen adhuc existens (« erant enim » utrique nudi *in Paradiso*, et non confundebantur[1], » quoniam, paulo ante facti, non intellectum habebant filiorum generationis; oportebat enim illos primo adolescere, dehinc sic multiplicari), inobediens facta, et sibi et universo generi humano causa facta est mortis : sic et Maria habens prædestinatum virum, et tamen virgo, obediens, et sibi et universo generi humano causa facta est salutis. Et propter hoc Lex eam quæ desponsata erat viro, licet virgo sit adhuc, uxorem ejus qui desponsaverat vocat[2]; eam quæ est a Maria in Evam recirculationem significans : quia non aliter quod colligatum est solveretur, nisi ipsæ compagines alligationis reflectantur retrorsus; ut primæ conjunctiones solvantur per secundas, secundæ rursus liberent primas. Et evenit primam quidem compaginem a secunda colligatione solvere, secundam vero colligationem primæ solutionis habere locum. Et propter hoc Dominus dicebat, primos quidem novissimos futuros, et novissimos primos[3]. Et Propheta autem hoc idem significat, dicens : « Pro patribus nati sunt » tibi filii[4]. Primogenitus *enim* mortuorum[5] » natus Dominus, et in sinum suum recipiens pristinos patres, regeneravit eos in vitam Dei, ipse initium viventium factus, quoniam Adam initium morientium factus est. Propter hoc et Lucas initium generationis a Domino inchoans, in Adam retulit, significans quoniam non illi hunc, sed hic illos in Evangelium vitæ regeneravit. Sic autem et Evæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam Mariæ : quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc virgo Maria solvit per fidem.

[1] Gen. II, 25. — [2] Gen. III, 8, 17, 20, 21. — [3] Matth. XIX, 30, et XX, 16. — [4] Psal. XLIV, 17. — [5] Coloss. I, 18.

III. De salute Adami[1] :

Necesse ergo fuit, Dominum ad perditam ovem venientem, et tantæ dispositionis recapitulationem facientem, suum plasma requirentem, illum ipsum hominem salvare qui factus fuerat secundum imaginem et similitudinem ejus, id est, Adam adimplentem tempora ejus condemnationis, quæ facta fuerat propter inobedientiam, « quæ Pater posuit » in sua potestate[2] : » quoniam et omnis dispositio salutis quæ circa hominem fuit, secundum placitum fiebat Patris, uti non vinceretur Deus, neque infirmaretur ars ejus. Si enim qui factus fuerat a Deo homo ut viveret, hic amittens vitam, læsus serpente qui depravaverat eum, jam non reverteretur ad vitam, sed in totum projectus esset morti, victus esset Deus, et superasset serpentis nequitia voluntatem Dei. Sed quoniam Deus invictus et magnanimis est, magnanimem quidem se exhibuit ad correptionem hominis et probationem omnium, quemadmodum prædiximus; per secundum autem hominem alligavit fortem, et diripuit ejus vasa, et evacuavit mortem, vivificans eum hominem qui fuerat mortificatus. Primum enim possessionis ejus vas Adam factus est, quem et tenebat sub sua potestate, hoc est, prævaricationem inique inferens ei, et per occasionem immortalitatis mortificationem faciens in eum. Etenim promittens futuros eos tanquam deos (quod ei non est omnino possibile), mortem fecit in eis : unde et juste a Deo recaptivatus, qui hominem captivum duxerat; solutus est autem condemnationis vinculis, qui captivus ductus fuerat homo.

Hic est autem Adam, si oportet verum dicere, primiformis ille homo, de quo Scriptura ait dixisse Dominum : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram[3] »

[1] Cap. XXIII.
[2] Act. I, 7. — [3] Gen. I, 26.

autem omnes ex ipso : et quoniam sumus ex ipso, prop-
:a quoque ipsius hæreditavimus appellationem. Cum au-
ι salvatur homo, oportet salvari eum qui prior formatus
homo: quoniam nimis irrationabile est, illum quidem
vehementer ab inimico læsus est, et prior captivitatem
sus est, dicere non eripi ab eo qui vicerit inimicum;
ptos vero filios ejus, quos in eadem captivitate generavit.
: victus quidem adhuc parebit inimicus, ipsis veteribus
liis manentibus apud eum. Quemadmodum si hostes ex-
;naverint quosdam, et vinctos duxerint captivos, et multo
ıpore in servitute possederint eos, ita ut generent apud
; et aliquis dolens pro his qui servi facti sunt, eosdem
tes expugnet: non tamen juste faciet, si filios quidem
um qui captivi ducti sunt liberet de potestate eorum
in servitutem deduxerant patres eorum, ipsos vero
captivitatem sustinuerunt subjectos relinquat inimicis,
pter quos et tuitionem fecit : consecutis libertatem filiis
causa paternæ vindicationis, sed non relictis ipsis patri-
, qui ipsam captivitatem sustinuerunt. Neque enim in-
nus est Deus, neque injustus, qui opitulatus est homini,
n suam libertatem restauravit eum.

?ropter hoc et in initio transgressionis Adæ, sicut enarrat
iptura, non ipsum maledixit Adam, sed terram in ope-
us ejus, quemadmodum ex veteribus quidam ait : Quo-
m quidem transtulit Deus maledictum in terram, ut non
severaret in homine. Condemnationem autem transgres-
nis accepit homo tædia et terrenum laborem, et mandu-
e panem in sudore vultus sui, et converti in terram, ex
ι assumptus est; similiter autem mulier tædia, et labores,
gemitus, et tristitias partus, et servitium, id est, ut ser-
et viro suo : ut neque maledicti a Deo in totum perirent,
que sine increpatione perseverantes Deum contemne-
t. Omnis autem maledictio decurrit in serpentem, qui

seduxerat eos. « Et dixit, inquit, Deus serpenti : Quoniam » fecisti hoc, maledictus tu ab omnibus pecoribus, et ab omnibus bestiis terræ[1]. » Hoc idem autem et Dominus in Evangelio, his qui a sinistris inveniuntur, ait : « Abite, maledicti, » in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo » et Angelis ejus[2]; » significans quoniam non homini principaliter præparatus est æternus ignis, sed ei qui seduxit, et offendere fecit hominem, ei, inquam, qui princeps apostasiæ est, principi abscessionis, et his Angelis qui apostatæ facti sunt cum eo : quem quidem juste percipient etiam hi qui, similiter ut illi, sine pœnitentia et sine regressu in malitiæ perseverant operibus.

Quemadmodum Cain, cum accepisset consilium a Deo[3], uti quiesceret in eo quod non recte divisisset eam quæ erga fratrem erat communicationem, sed cum zelo et malitia suspicatus est posse dominari ejus, non solum non acquievit, sed et adjecit peccatum super peccatum, manifestans sententiam suam per operationem suam. *Quod enim* cogitavit, hoc et operatus est, dominatus est, et interfecit eum, subjiciente Deo justum injusto, ut ille quidem ex iis quæ passus est justus ostendatur, hic vero per ea quæ commisit detegeretur injustus. Et ne sic quidem mitigatus est, nec quievit super factum malum; sed interrogatus ubi esset frater ejus, « Nescio, ait : numquid custos fratris mei » sum ego[4]? » extendens et multiplicans malum per responsionem. Etenim si malum est occidere fratrem, multo pejus sic audacter et irreverenter respondere omnia scienti Deo, quasi possit frustrari eum. Propter hoc et ipse maledictionem portavit, quoniam a se peccatum tulit, non reveritus Deum, neque confusus in fratricidio.

Circa Adam autem nihil tale factum est, sed omnia in contrarium. Ab altero enim seductus sub occasione immor-

[1] Gen. III, 14. — [2] Matth. XXV, 41. — [3] Gen. IV, 7. — [4] *Ibid.* 9.

atis, statim timore corripitur, et absconditur: non quasi
sit effugere Deum, sed confusus, quoniam transgressus
ceptum ejus, indignus est venire in conspectum et col-
uium Dei. « Timor autem Domini initium intelligentiæ[1]; »
ellectus vero transgressionis fecit pœnitentiam : pœniten-
is autem largitur benignitatem suam Deus. Etenim per
cinctorium in facto ostendit suam pœnitentiam, foliis
ulneis semetipsum contegens, existentibus et aliis foliis
altis, quæ minus corpus ejus vexare potuissent : condig-
m tamen inobedientiæ amictum fecit, conterritus timore
i; et retundens petulantem carnis impetum, quoniam
lolem et puerilem amiserat sensum, et in cogitationem
jorum venerat, frenum continentiæ sibi et uxori suæ cir-
umdedit, timens Deum, et adventum ejus exspectans, et
lut tale quid significans : Quoniam, inquit, eam quam
ibui a Spiritu sanctitatis stolam amisi per inobedientiam,
nunc cognosco quod sim dignus tali tegumento, quod
electationem quidem nullam præstat, mordet autem et
ingit corpus. Et hoc videlicet semper habuisset indumen-
um, humilians semetipsum, nisi Dominus, qui est mise-
cors, tunicas pelliceas pro foliis ficulneis induisset eos.
opter hoc autem et interrogat eos, uti ad mulierem veni-
t accusatio; et illam rursus interrogat, uti ad serpentem
ansmitteret causam. Dixit enim quod fuerat factum: « Ser-
pens, ait, seduxit me, et manducavi[2]. » Serpentem vero
on interrogavit; sciebat enim eum principem transgres-
onis factum : sed maledictum primo immisit in eum, uti
cunda increpatio veniret in hominem. Eum enim odivit
eus qui seduxit hominem; ei vero qui seductus est, sen-
m paulatimque misertus est.

Quapropter et ejecit eum de Paradiso, et a ligno vitæ
nge transtulit : non invidens ei lignum vitæ, quemadmo-

[1] Psal. cx, 10; Prov. 1, 7. — [2] Gen. III, 13.

dum quidam audent dicere, sed miserans ejus, ut non perseveraret semper transgressor; neque immortale esset quod esset circa eum peccatum, et malum interminabile et insanabile. Prohibuit autem ejus trangressionem, interponens mortem, et cessare faciens peccatum, finem inferens ei per carnis resolutionem, quæ fieret in terra : uti cessans aliquando homo vivere peccato, et moriens ei, inciperet vivere Deo.

Quapropter inimicitiam posuit inter serpentem et mulierem, et semen ejus, observantes invicem : illo quidem cui morderetur planta, et potente calcare caput inimici; altero vero mordente, et occidente, et interpediente ingressus hominis, quoadusque venit semen prædestinatum calcare caput ejus, quod fuit partus Mariæ, de quo ait Propheta : « Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis » leonem et draconem[1]; » significans quia illud quod erigeretur et dilataretur adversus hominem peccatum, et frigidum reddebat eum, evacuaretur cum regnante *morte; et* conculcaretur ab eo in novissimis temporibus insiliens humano generi leo, hoc est, Antichristus; et draconem illum, serpentem vetustum, alligans, et subjiciens potestati hominis, qui fuerat victus, ad calcandam omnem ejus virtutem. Victus autem erat Adam, ablata ab eo omni vita : propter hoc victo rursus inimico recepit vitam Adam : « novissima » *autem* inimica evacuatur mors[2], » quæ primum possederat hominem. Quapropter liberato homine, « fiet quod scriptum » est : Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victo» ria tua? Ubi est mors aculeus tuus[3]? » Quod non poterit juste dici, si non ille liberatus fuerit cui primum dominata est mors. Illius enim salus, evacuatio est mortis. Domino igitur vivificante hominem, id est, Adam, evacuata est et mors.

[1] Psal. xc, 13. — [2] 1 Cor. xv, 26. — [3] *Ibid.* 54 et seqq.

ntiuntur ergo omnes qui contradicunt ejus saluti, sem-
eipsos excludentes a vita, in eo quod non credant in-
am ovem quæ perierat. Si autem illa non est inventa,
c possidetur in perditione omnis hominis generatio.
lax ergo is qui prior hanc sententiam, imo hanc igno-
iam et cæcitatem induxit, Tatianus; connexio quidem
is omnium hæreticorum, quemadmodum ostendimus :
autem a semetipso adinvenit, uti novum aliquid præter
quos inferens, vacuum loquens, vacuos a fide auditores
præpararet, affectans magister haberi, tentans et sub-
uti hujusmodi a Paulo assidue dictis, quoniam « in
lam omnes morimur[1]; » ignorans autem, quoniam « ubi
oundavit peccatum, superabundavit gratia[2]. » Ostenso
o hoc manifeste, erubescant omnes qui ab eo sunt, et
certant de Adam, quasi magnum aliquid lucrentur si
non salvetur, quando magis nihil proficiant : quemad-
dum et serpens nihil profecit dissuadens homini, nisi
id quod eum transgressorem ostendit, initium et mate-
m apostasiæ suæ habens hominem; Deum autem non
it. Sic et hi qui contradicunt saluti Adæ nihil profi-
unt, nisi hoc, quod semetipsos hæreticos et apostatas
iunt veritatis, et advocatos se serpentis et mortis os-
odunt.

§ V.

CONCLUSIO[3].

Traductis igitur omnibus qui nefandas inferunt sententias
factore et plasmatore nostro, qui et hunc mundum fa-
icatus est, super quem alius Deus non est; et ipsis osten-
onibus eversis his qui de substantia Domini nostri, et de
spositione quam fecit propter hominem suum, falsa do-

[1] 1 Cor. xv, 22. — [2] Rom. v, 20.
[3] Cap. xxiv.

cent; prædicationem vero Ecclesiæ undique constantem, æqualiter perseverantem, et testimonium habentem a P phetis et ab Apostolis, et ab omnibus discipulis, quem modum ostendimus per initia, et medietates, et finem per universam Dei dispositionem, et eam quæ secundum lutem hominis est solitam operationem, quæ est in fide tra; quam perceptam ab Ecclesia custodimus, et quæ s per a Spiritu Dei, quasi in vase bono eximium quod depositum juvenescens, et juvenescere faciens ipsum in quo est. Hoc enim Ecclesiæ creditum est Dei mu quemadmodum ad inspirationem plasmationi, ad ho omnia membra percipientia vivificentur : et in eo disp est communicatio Christi, id est, Spiritus sanctus, a incorruptelæ, et confirmatio fidei nostræ, et scala as sionis ad Deum. « In Ecclesia enim, inquit, posuit » Apostolos, Prophetas, doctores[1], » et universam reli operationem Spiritus : cujus non sunt participes qui non currunt ad Ecclesiam, sed semetipsos frau vita, per sententiam malam et operationem pessima enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus D Ecclesia, et omnis gratia : Spiritus autem veritas. Q ter qui non participant eum, neque a mammillis m triuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Chr cedentem nitidissimum fontem; sed effodiunt sib detritos de fossis terrenis[2], et de cœno putidam aquam, effugientes fidem Ecclesiæ, ne traducantur; cientes vero Spiritum, ut non erudiantur.

Alienati vero a veritate, digne in omni volutantur rore, fluctuati ab eo, aliter atque aliter per tempora de dem sentientes, et nunquam sententiam stabilitam hab tes; sophistæ verborum magis volentes esse quam discip veritatis. Non enim sunt fundati super unam petram.

[1] I Cor. XII, 28. — [2] Jerem. II, 13.

per arenam habentem in seipsa lapides multos. Propter c et multos deos fingunt, et quærere quidem semper in cusatione habent (cæcutiunt enim), invenire vero nunam possunt. Blasphemant enim fabricatorem, hoc est, m qui est vere Deus, qui et præstat invenire; putantes super Deum alterum invenisse Deum, vel alteram Plenidinem, vel alteram dispositionem. Quapropter et lumen, od est a Deo, non lucet eis, quoniam inhonoraverunt et reverunt Deum, minimum arbitrantes eum, quoniam opter dilectionem suam et immensam benignitatem, in nitionem venit hominibus (in agnitionem autem non sendum magnitudinem, nec secundum substantiam; nemo im mensus est eam, nec palpavit; sed secundum illud, ut remus quoniam qui fecit et plasmavit, et insufflationem æ insufflavit in eis, et per conditionem nutrit nos, Verbo o confirmans, et Sapientia compingens omnia, hic est ui est solus verus Deus) : eum vero qui non est, somnians super hunc, ut magnum Deum putentur adinvenisse, uem nemo possit cognoscere humano generi communintem, nec terrena administrantem; Epicuri videlicet innientes Deum, neque sibi neque aliis aliquid præstanm, id est, nullius providentiam habentem.

Providentiam autem[1] habet Deum omnium, propter hoc consilium dat : consilium autem dans adest his qui mom providentiam habent. Necesse est igitur ea quæ prodentur et gubernantur, cognoscere suum directorem : uæ quidem non sunt irrationabilia, neque vana, sed habent sensibilitatem perceptam de providentia Dei. Et proper hoc Ethnicorum quidam, qui minus illecebris ac voluptibus servierunt, et non in tantum superstitione idolorum oabducti sunt, providentia ejus moti, licet tenuiter, tamen onversi sunt ut dicerent fabricatorem hujus universitatis

[1] Cap. xxv.

Patrem omnium providentem, et disponentem secundum nos mundum.

Rursus ut increpativum auferrent a Patre, et judiciale, indignum id Deo putantes, et sine iracundia et bonum arbitrantes se adinvenisse Deum, alterum quidem judicare, et alterum quidem salvare dixerunt; nescientes, utrorumque auferentes sensum et justitiam. Si enim judicialis non et bonus sit, ad donandum quidem his quibus debet, et ad exprobrandum his quibus oportet, neque justus neque sapiens videbitur judex. Rursus bonus, si hoc tantum sit bonus, non et probator, in quos immittat bonitatem extra justitiam erit et bonitatem, et infirma bonitas ejus videbitur, non omnes salvans, si non cum judicio fiat.

Marcion igitur ipse dividens Deum in duo, alterum quidem bonum, et alterum judicialem dicens, ex utrisque interimit Deum. Hic enim qui judicialis, si non et bonus sit, non est Deus, quia Deus non est cui bonitas desit : et ille rursus qui bonus, si non et judicialis, idem quod *hic* patietur, ut auferatur ei ne sit Deus. Quemadmodum autem et sapientem dicunt Patrem omnium, si non et judiciale ei assignent? Si enim sapiens, et probator est; probatori autem subest judiciale; judiciale autem assequitur justitia, ut juste probet; justitia provocat judicium; judicium autem, cum fit cum justitia, transmittet ad sapientiam. Sapientia igitur præcellet Pater super omnem humanam et Angelicam sapientiam, quoniam Dominus, et judex, et justus, et dominator super omnes. Est enim et bonus, et misericors, et patiens, et salvat quos oportet : neque bonum ei deficit juste effectum, neque sapientia deminoratur : salvat enim quos debet salvare, et judicat dignos judicio : neque justum immite ostenditur, præeunte scilicet et præcedente bonitate.

Qui igitur solem suum oriri facit omnibus benigne Deus,

›luit super justos et injustos, judicabit eos qui, ex æquo
ıignitatem ejus percipientes, non similiter secundum di-
ıtionem munerationis ejus conversati sunt, sed in deli-
› et luxuriis versati sunt adversus benevolentiam ejus,
ıuc et blasphemantes eum qui tanta beneficia in eos
erit.

Quibus religiosior Plato ostenditur, qui eumdem Deum
justum et bonum confessus est, habentem potestatem
nium, ipsum facientem judicium, sic dicens : « Et Deus
uidem, quemadmodum et vetus sermo est, initium, et
nem, et medietates omnium quæ sunt habens, recte per-
cit, secundum naturam circumiens : hunc autem semper
onsequitur justitia ultrix in eos qui deficiunt a lege di-
ina. » Et iterum factorem et fabricatorem hujus universi-
is bonum ostendit. « Bono autem, inquit, nulla unquam
e quoquam nascitur invidia : » hoc initium et causam fa-
cationis mundi constituens bonitatem Dei; sed non igno-
ıtiam, nec Æonem qui erravit, nec labis fructum, nec
trem plorantem et lamentantem, nec alterum Deum,
Patrem.

Juste autem eos Mater planget, talium excogitatores et
nventores : digna enim commentati et commentiti sunt
capita sua, quoniam Mater ipsorum extra Plenitudinem
, id est, extra Dei agnitionem, et collectio eorum abortio
ta est, informis et sine specie : nihil enim de veritate ap-
hendit; in vacuum et in umbram decidit; vacua enim
trina ipsorum et intenebrata : et Horus eam non permi-
introire in Pleroma; non enim recepit eos Spiritus in re-
erium. Pater enim ipsorum ignorantiam generans, mor-
passiones in eis operatus est. Hæc non nos diffamamus,
ipsi confirmant, ipsi docent, gloriantur in ipsis, altum sen-
ıt de Matre, quam sine patre dicunt genitam, hoc est, sine
›, feminam a femina, quod est ex errantia corruptelam.

Nos autem precamur non perseverare eos in fovea quam ipsi foderunt, sed segregari ab hujusmodi Matre, et exire a Bytho, et absistere a Vacuo, et Umbram derelinquere: et legitime eos generari, conversos ad Ecclesiam Dei, et formari Christum in eis, et cognoscere eos fabricatorem et factorem hujus universitatis, solum verum Deum, et Dominum omnium. Hæc precamur de illis, utilius eos diligentes quam ipsi semetipsos putant diligere. Quæ enim est a nobis dilectio, cum sit vera, salutaris est eis, si quidem eam recipiant. Est enim austero medicamini similis, absumens improprierem ac superfluam vulneris carnem: elationem enim illorum et inflationem evacuat. Quapropter tentantes omni virtute manum porrigere eis, non tedæbit nos. Prorogabimus autem super hæc quæ dicta sunt, in sequenti libro Domini sermones inferre, si quos ex his per ipsam Christi doctrinam convincentes, suadere possimus cessare ab ejusmodi errore, et absistere ab ea blasphemia quæ est in fabricatorem ipsorum, qui et solus est Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi. Amen.

LIBER QUARTUS.

PRÆFATIO.

I. Hunc quartum librum, dilectissime, transmittens tibi, eris quod est de detectione et eversione falsæ cognitio-, quemadmodum promisimus, per Domini sermones ea e prædiximus confirmabimus : uti et tu, sicut postulasti, dique a nobis accipias occasiones ad confutandos omnes reticos, et eos omnimodo retusos non longius sinas in oris procedere profundum, neque ignorantiæ præfocari lago; sed convertens eos in veritatis portum, facias suam rcipere salutem.

II. Eum autem qui velit eos convertere, oportet diligenter re regulas sive argumenta ipsorum. Nec enim possibile alicui curare quosdam male habentes, qui ignorat pas-nem eorum qui male valent. Quapropter hi qui ante nos runt, et quidem multo nobis meliores, non tamen satis tuerunt contradicere his qui sunt a Valentino, quia igno-ant regulam ipsorum, quam nos cum omni diligentia primo libro tibi tradidimus; in quo et ostendimus, doc-nam eorum recapitulationem esse omnium hæreticorum. uapropter et in secundo tanquam speculum habuimus eos ius eversionis. Qui enim his contradicunt secundum od oportet, contradicunt omnibus qui sunt malæ senten-; et qui hos evertent, evertunt omnem hæresim.

III. Super omnes est enim blasphema regula ipsorum : andoquidem factorem et fabricatorem, qui est unus Deus, cundum quod ostendimus, de labe sive defectione eum

emissum dicunt. Blasphemant autem et in Dominum nostrum, abscindentes et dividentes Jesum a Christo, et Christum a Salvatore, et Salvatorem rursum a Verbo, et Verbum ab Unigenito. Et quemadmodum fabricatorem ex labe sive defectione emissum dicunt; sic et Christum et Spiritum sanctum propter labem emissum docuerunt, et Salvatorem ab his Æonibus qui a labe emissi sunt fructificationem esse: ut nihil sit apud eos sine blasphemia. In eo igitur qui ante hunc est libro ostensa est de his omnibus sententia Apostolorum, quoniam non solum nihil tale senserunt « qui ab » initio speculatores et ministri fuerunt verbi [1] » veritatis, sed et prædicaverunt nobis fugere hujusmodi sententias, Spiritu providentes eos qui seducturi erant simpliciores.

IV. Quemadmodum enim serpens Evam seduxit, promittens ei quod non habebat ipse; sic et hi prætendentes majorem agnitionem, et mysteria inenarrabilia, et promittentes eam quam dicunt intra Pleroma esse receptionem, in mortem demergunt sibi credentes; apostatas eos constituentes ab eo qui eos fecit. Et tunc quidem apostata Angelus per serpentem inobedientiam hominum operatus, existimavit latere se Dominum : quapropter eamdem ei formam et appellationem tribuit Deus. Nunc autem, quoniam novissima sunt tempora, extenditur malum in homines, non solum apostatas eos faciens, sed et blasphemos in plasmatorem instituit multis machinationibus, id est, per omnes hæreticos qui prædicti sunt. Hi enim omnes, quamvis ex differentibus locis egrediantur, et differentia doceant, in idem tamen blasphemiæ concurrunt propositum, lethaliter vulnerantes, docendo blasphemiam in Deum factorem et nutritorem nostrum, et derogando salutem hominis. Homo est autem temperatio animæ et carnis, qui secundum similitudinem Dei formatus est, et per manus ejus plasmatus est,

[1] Luc. I, 2.

est, per Filium et Spiritum, quibus et dixit : « Facia-
ıs hominem [1]. » Hoc ergo propositum est ejus qui vitæ
ræ invidet, incredulos suæ salutis efficere homines, et
phemos in psalmatorem Deum. Quæcumque enim cum
ritate summa dixerint omnes hæretici, in ultimum ad
deveniunt, ut blasphement fabricatorem, et contradi-
; saluti plasmatis Dei, quod quidem est caro : propter
m omnem dispositionem fecisse Filium Dei, multis mo-
ostendimus, et manifestavimus neminem alium Deum
ellari a Scripturis, nisi Patrem omnium, et Filium, et
qui adoptionem habent.

CAPUT PRIMUM.

ıristum unum solum Deum ac Patrem et cognovisse et docuisse discipulos.

. Cum sit igitur hoc firmum et constans, neminem al-
um Deum et Dominum a Spiritu prædicatum, nisi eum
dominatur omnium Deus, cum Verbo suo, et eos qui
›ptionis Spiritum accipiunt, hoc est, eos qui credunt in
um et verum Deum, et Christum Jesum Filium Dei; si-
liter et Apostolos neminem alium a semetipsis Deum ap-
lasse, aut Dominum cognominasse; multo autem magis
minum nostrum, qui et nobis præcepit neminem Patrem
ıfiteri, nisi eum qui est in cœlis, qui est unus Deus, et
us Pater [2] : manifeste falsa ostenduntur ea quæ dicunt cir-
mventores et perversissimi sophistæ, dicentes naturaliter
Deum et Patrem esse, quem ipsi adinvenerunt; Demiur-
m vero naturaliter neque Deum neque Patrem esse, sed
rbo tenus dici, eo quod dominetur conditionis, sicut di-
nt perversi grammatici, excogitantes in Deum : et doctri-
m quidem Christi prætermittentes, et a semetipsis autem
lsa divinantes, adversus universam Dei dispositionem ar

[1] Gen. I, 26. — [2] Matth. XXIII, 9.

gumentantur. Etenim Æonas suos, et Deos, et Patres, et Dominos, adhuc etiam et cœlos vocari dicunt, cum Matre sua, quam et terram et Jerusalem appellant, multisque aliis vocabulis eam cognominantes.

II. Cui autem non sit manifestum, quoniam si Dominus multos Patres scisset et Deos, non præcepisset discipulis suis unum scire Deum, et hunc eumdem solum vocare Patrem? Sed potius distinxit eos qui sunt verbo tenus Dii, ab eo qui sit vere Deus, ut non errent secundum doctrinam ejus, neque alterum pro altero audiant. Si autem nobis quidem præcepit unum vocare Patrem et Deum[1], ipse autem interdum alteros confitetur Patres et Deos eodem modo alia quidem præcipiens videbitur discipulis, alia vero ipse faciens. Non est autem hoc magistri boni, sed seductoris et invidi. Et Apostoli autem secundum eos transgressores ostenduntur præcepti, Demiurgum Deum, et Dominum, et Patrem confitentes, quemadmodum ostendimus, si non hic solus est Deus et Pater. Jesus ergo transgressionis auctor et magister erit eis, qui præcepit unum vocari Patrem, imponens eis necessitatem Demiurgum confiteri suum Patrem, quemadmodum ostensum est.

CAPUT II.

Probat apertis tum Mosis, tum aliorum Prophetarum, quorum sermones Christi sunt, testimoniis, eum et unum et solum Deum esse, mundi conditorem, quem Dominus annuntiabat, et quem Patrem suum esse dicebat.

I. Moyses igitur recapitulationem universæ Legis, quam acceperat a Demiurgo, in Deuteronomio faciens, sic ait: « Attende, cœlum, et loquar : et audiat terra verba ex ore » meo[2]. » Rursum David adjutorium suum dicens a Domino

[1] Joan. x, 35. — [2] Deut. xxxii, 1.

i : « Adjutorium, inquit, meum a Domino, qui fecit cœ-
ım et terram[1]. » Et Esaias confitetur a Deo, qui fecit
lum et terram, et dominatur eorum, fieri sermones :
ludi, inquit, cœlum, et auribus percipe, terra, quoniam
'ominus locutus est[2]. » Et iterum : « Sic ait Dominus
)eus, qui fecit cœlum, et affixit illud; qui confirmavit ter-
am et quæ in ea sunt; et qui dat afflatum populo qui est
uper eam, et spiritum his qui calcant illam[3]. »

II. Rursum Dominus noster Jesus Christus eumdem hunc
trem suum confitetur, in eo quod dicit : « Confiteor tibi,
'ater, Domine cœli et terræ[4]. » Quem Patrem volunt nos
dire hi qui sunt Pandoræ perversissimi sophistæ? Utrumne
thum, quem a semetipsis finxerunt; an Matrem eorum;
Unigenitum? an quem Marcionitæ vel cæteri adinvene-
nt Deum (quem quidem non esse Deum, per multa de-
onstravimus)? an (quod est verum) fabricatorem cœli
terræ? quem et Prophetæ prædicaverunt, quem et Chris-
s suum Patrem confitetur, quem et Lex annuntiat, di-
:ns : « Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est[5]. »

III. Quoniam autem Moysi litteræ verba sint Christi, ipse
t ad Judæos, quemadmodum Joannes in Evangelio com-
emoratus est : « Si credidissetis Moysi, credidissetis et
mihi : de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non
creditis, neque meis sermonibus credetis[6]. » Manifestis-
me significans, Moysi litteras suos esse sermones. Ergo
Moysi, et reliquorum sine dubio Prophetarum sermones
ısius sunt, quemadmodum demonstravimus. Et iterum ipse
ominus ostendit, Abraham dixisse diviti de his omnibus
ıi adhuc erant in vita : « Si Moysi et Prophetis non obe-
diunt, nec si quis a mortuis resurgens ad illos eat, cre-
dent ei[7]. »

[1] Psal. vii, 11, et cxxiii, 8. — [2] Esai. i, 2. — [3] Esai. xlii, 5. — [4] Matth.
, 25. — [5] Deut. vi, 4. — [6] Joan. v, 46, 47. — [7] Luc. xvi, 31.

IV. Non autem fabulam retulit nobis pauperis et divitis; sed primum quidem docuit, neminem oportere deliciis uti, neque, in sæcularibus oblectamentis et multis epulis degentes, servire suis voluptatibus, et oblivisci Deum. « Erat » enim, inquit, dives qui vestiebatur purpuram et byssum, » et delectabatur epulis splendidis[1]. » De talibus autem et per Esaiam dixit Spiritus : « Cum citharis, et tympanis, et » psalteriis, et tibiis vinum bibunt : opera autem Dei non » intuentur, et opera manuum ejus non considerant[2]. » Ne ergo in eamdem pœnam cum his veniamus, finem eorum ostendit Dominus; simul significans quod obedientes Moysi et Prophetis crederent in eum quem ipsi prædicassent, Dei Filium, qui resurrexit a mortuis, et vitam nobis donat; et demonstrat ex una substantia esse omnia, id est, Abraham, et Moysem, et Prophetas, etiam ipsum Dominum qui resurrexit a mortuis, in quem et credunt multi qui sunt ex circumcisione, qui et Moysem et Prophetas audiunt prædicantes adventum Filii Dei. Qui autem spernunt, ab altera substantia eos esse dicunt, neque primogenitum mortuorum sciunt; separatim Christum intelligentes, tanquam impassibilem perseverantem, et separatim eum qui passus est, Jesum.

V. Non enim a Patre accipiunt cognoscere Filium, nec a Filio discunt Patrem, manifeste et sine parabolis eum Deum, qui est vere, docente. « Ne, inquit, juraveritis in » totum, neque in cœlum, quoniam thronus est Dei ; neque » in terram, quoniam scabellum est pedum ejus; neque » per Hierusalem, quoniam civitas est magni Regis[3]. » Hæc enim in fabricatorem manifeste dicta sunt, quemadmodum et Esaias ait : « Cœlum mihi sedes est, terra suppedaneum » pedum meorum[4]. » Et præter hunc alius non est Deus : cæterum a Domino neque Deus neque magnus Rex dice-

[1] Luc. xvi, 19. — [2] Esai. v, 12. — [3] Matth. v, 34, 35. — [4] Esai. lxvi, 1.

retur; hujusmodi enim nec comparationem nec ullam recipit superlationem. Qui enim super se habet aliquem superiorem, et sub alterius potestate est, hic neque Deus neque magnus Rex dici potest.

VI. Sed nec per ironiam quidem hæc dicta esse poterunt dicere, cum convincantur ab ipsis dictis, quoniam in veritate dicta sunt. Etenim veritas erat ipse qui loquebatur, et vere vindicabat suam domum, projiciens ex ea nummularios, qui et emebant et vendebant, dicens eis : « Scriptum » est, Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem » fecistis eam speluncam latronum[1]. » Et quam causam habuit hoc facere et dicere, et domum suam vindicare, si alterum Deum annuntiabat? Sed ut ostenderet transgressores paternæ legis. Neque enim domum incusabat, neque Legem reprehendebat, quam venerat adimplere; sed eos qui non bene utebantur domo, et eos qui Legem transgrediebantur, arguebat. Et ideo Scribæ et Pharisæi, qui cœperant a temporibus Legis contemnere Deum, nec Verbum ejus receperunt, id est, non crediderunt Christo, de quibus Esaias ait : « Principes tui indicto audientes sunt, socii furum, diligentes munera, sectantes retributionem, pupillis » non judicantes, et judicium viduarum non attendentes[2]. » Et Jeremias autem similiter : « Qui præsunt, inquit, populo meo, me nesciebant : filii insensati et imprudentes » sunt, sapientes sunt in malefaciendo, bene autem facere » non cognoverunt[3]. »

VII. Quotquot autem timebant Deum, et solliciti erant circa Legem ejus, ipsi accucurrerunt Christo, et salvati sunt omnes : « Ite *enim*, inquit discipulis, ad oves quæ perierunt domus Israel[4]. » Et Samaritæ autem, inquit, cum mansisset Dominus apud eos biduo, « multo plures crediderunt propter sermones ejus, et mulieri dicebant : Jam

[1] Matth. XXI, 13. — [2] Esai. I, 23. — [3] Jerem. IV, 22. — [4] Matth. X, 6.

» non propter tuam loquelam credimus : ipsi enim audivi-» mus, et scimus quoniam hic est vere Salvator mundi[1]. » Et Paulus autem ait : « Et sic omnis Israel salvabitur[2]. » Sed et Legem pædagogum nostrum in Jesum Christum dixit[3]. Non ergo quorumdam infidelitatem Legi adscribant: non enim Lex prohibebat eos credere in Filium Dei, sed et adhortabatur, dicens, non aliter salvari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur a terra, et omnia trahit ad se, et vivificat mortuos.

CAPUT III.

Respondet cavillis Gnosticorum : non idcirco Deum verum mutari aut desinere esse, quod cœlum sedes ejus, et terra suppedaneum pedum ejus, prætereant.

I. Quoniam malignantes dicunt : Si enim cœlum thronus Dei est, et terra suppedaneum ejus, dictum est autem præterire cœlum et terram[4]; hisque prætereuntibus oportere etiam hunc Deum, qui super sedeat, præterire; et ideo non hunc esse Deum qui sit super omnia : primo quidem nesciunt quid sit cœlum thronus, et terra suppedaneum. Nec enim sciunt quid sit Deus, sed putant eum more hominis sedere et contineri, non autem continere. Sed et præteritionem cœli et terræ ignorant; Paulus autem non ignoravit, dicens : « Præterit enim figura hujus mundi[5]. » Deinde quæstionem ipsorum solvit David. Figura enim hujus mundi prætereunte, non solum Deum ait perseverare, sed et servos ejus, in centesimo primo psalmo dicens ita : « Initio » terram tu fundasti, Domine, et opera manuum tuarum » sunt cœli. Ipsi peribunt; tu autem perseverabis, et omnes

[1] Joan. IV, 41, 42. — [2] Rom. XI, 26. — [3] Gal. III, 24. — [4] Luc. XXI, 33. — [5] I Cor. VII, 31.

t vestimentum veterascent, et sicut cooperimentum abis eos, et mutabuntur. Tu autem idem ipse es, et i tui non deficient. Filii servorum tuorum inhabitait, et semen eorum in æternum dirigetur[1]; » mani- ostendens quæ sint quæ prætereunt, et quis est qui er perseverat, Deus cum servis suis. Et Esaias autem iter : « Allevate, inquit, oculos vestros in cœlum, et endite in terram deorsum, quoniam cœlum sicut fuis confirmatum est, terra autem sicut vestimentum veascet : qui autem inhabitant in eis, quemadmodum c, morientur. Salutare autem meum in æternum erit, titia autem mea non deficiet[2]. »

CAPUT IV.

ondet alteri objectioni, et probat eversa licet et derelicta Hierolyma, quæ magni Regis civitas erat, nihil de suprema Dei mastate ac potentia decessisse : id enim sapientissimo ejusdem Dei nsilio factum fuisse.

. Adhuc et de Hierusalem et de Domino audent dicere, niam si esset *magni Regis civitas*[3], non derelinquere- Simile autem est, si quis diceret, quoniam si esset stia conditio Dei, nunquam a frumento derelinqueretur : armenta vineæ, si a Deo facta essent, nunquam a botris tituta abscinderentur. Quemadmodum autem hæc non pter se principaliter facta sunt, sed propter crescentem eis fructum, quo maturo facto et ablato derelinquuntur, e medio auferuntur, quæ jam non sunt utilia ad fructitionem : sic et Hierosolyma, quæ jugum in se servitutis taverat (in quo domitus est homo, qui antea non subebatur Deo, cum mors regnabat, et domitus habilis facest ad libertatem), adveniente fructu libertatis, et aucto,

Psal. CI, 26 et seqq. — [2] Esai. LI, 6. — [3] Matth. V, 35, ex Psal. XLVII, 3.

et demesso, et in horreum recepto, et apportatis ab ea his qui fructificare possunt, et in omni mundo disseminatis. Quemadmodum Esaias ait : « Filii Jacob germinabunt, et » florief Israel, et fructu ejus adimplebitur universa terra[1]. » In universa enim terra fructu disseminato, merito derelicta est, et de medio ablata est, quæ aliquando quidem fructificaverat bene (ex ipsa enim secundum carnem Christus fructificatus est, et Apostoli) : nunc autem jam utilis non est ad fructificationem. Quæcumque enim temporale initium habent, necesse est ea et finem habere temporalem.

II. Quoniam igitur a Moyse Lex inchoavit, consequenter in Joannem desivit. Ad impletionem ejus advenerat Christus : et propter hoc « Lex et Prophetæ *apud eos* usque ad » Joannem[2]; » et Hierusalem itaque inchoans a David, et adimplens tempora sua. Legisdationem finem oportuit habere, manifestato novo Testamento. Omnia enim mensura et ordine Deus facit, et nihil non mensum apud eum, quoniam nec incompositum. Et bene, qui dixit ipsum *immensum* Patrem in Filio mensuratum : mensura enim Patris, Filius, quoniam et capit eum. Quoniam autem temporalis erat illorum administratio, Esaias ait : « Derelinquetur filia » Sion sicut casa in vinea, et velut custodiarium in cucumerario[3]. » Quando autem hæc derelinquentur? Nonne cum fructus aufertur, et derelinquentur folia sola quæ jam fructificare non possunt?

III. Et quid de Hierusalem dicimus, quandoquidem et figuram mundi universi oporteat præterire, adveniente tempore præteritionis ipsius, ut fructus quidem in horreum colligatur, paleæ autem derelictæ comburantur? « Dies enim » Domini, quasi clibanus ardens : et erunt stipula omnes » peccatores, qui faciunt injusta, et comburet eos dies veniens[4]. » Quis est autem hic Dominus, qui talem impor-

[1] Esai. XXVII, 6. — [2] Luc. XVI, 16. — [3] Esai. I, 8. — [4] Malach. IV, 1.

iem, Joannes Baptizator significat, dicens de Christo : e vos baptizabit in Spiritu sancto et igni, palam hais in manu ejus ad emundandam aream suam, et fruc-a congregabit in horreum, paleas autem comburet igni xstinguibili[1]. » Non enim alius est qui frumentum facit, ius qui paleas; sed unus et idem, et judicans ea, id separans. Sed frumentum quidem et paleæ, inanimalia rationabilia existentia, naturaliter talia facta sunt : hovero rationabilis, et secundum hoc similis Deo, liber in trio factus et suæ potestatis, ipse sibi causa est ut alindo quidem frumentum, aliquando autem palea fiat. propter et juste condemnabitur, quoniam rationabilis us amisit veram rationem, et irrationabiliter vivens, adsatus est justitiæ Dei, tradens se omni terreno spiritui, omnibus serviens voluptatibus; quemadmodum Propheta : « Homo cum in honore esset, non intellexit, comparaus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis[2]. »

CAPUT V.

lit ad susceptum argumentum, et ostendit unicum esse Deum a Lege et Prophetis annuntiatum, quem Christus Patrem suum confitetur, quique per Verbum suum, unum cum eo Deum vium, notum in utroque Testamento se fecit hominibus.

I. Unus igitur et idem Deus, qui plicat cœlum quemadodum librum, et renovat faciem terræ : qui temporalia cit propter hominem, ut maturescens in eis fructificet mortalitatem, et qui æterna superducit propter suam begnitatem, « ut ostendat sæculis supervenientibus inenarrabiles divitias benignitatis suæ[4] : » qui a Lege et Prophe-annuntiatus est, quem Christus suum Patrem confessus

[1] Matth. III, 11 et seq.; Luc. III, 16 et seq. — [2] Psal. XLVIII, 13. — [3] Esai. XVI, 4; Psal. CIII, 30. — [4] Ephes. II, 7.

est. Ipse est autem fabricator; et ipse est qui super... est Deus, quemadmodum Esaias ait : « Ego testis... » Dominus Deus, et puer meus, quem elegi, ut cogn... » tis, et credatis, et intelligatis, quia ego sum. Ante » non fuit alius Deus, et post me non erit. Ego Deus » non est absque me salvans. Annuntiavi, et salvavi... iterum : « Ego sum Deus primus, et super ventur... » sum[2]. » Neque enim varie, neque elate, neque glo... dicit hæc : sed quoniam impossibile erat sine Deo dis... Deum, per Verbum suum docet homines scire Deum... igitur qui nesciunt hæc, et propter hoc alterum adinve... putant Patrem, juste quis dicit : « Erratis, nescientes S... » turas, neque virtutem Dei[3]. »

II. Dominus enim noster et magister, in ea respo... quam habuit ad Sadducæos, qui dicunt resurrectionem... esse, et propter hoc inhonorantes Deum, atque Leg... hentes, et resurrectionem ostendit, et Deum manife... dicens eis : « Erratis nescientes Scripturas, neque ... » Dei. De resurrectione enim, inquit, mortuorum... » gistis quid dictum est a Deo dicente : Ego sum Deu... » ham, et Deus Isaac, et Deus Jacob[4] ? » Et adjecit... » est Deus mortuorum, sed viventium : » omnes ... vivunt. Per hæc utique manifestum fecit, quoniam... de rubo locutus est Moysi[5], et manifestavit se esse Deu... Patrum, hic est viventium Deus. Quis enim est vivor... Deus, nisi qui est Deus, super quem alius non est De... Quem et Daniel propheta, cum dixisset ei Cyrus rex Pe... sarum : « Quare non adoras Bel[6] ? » annuntiavit, dicens « Quoniam non colo idola manufacta, sed vivum Deum » qui constituit cœlum et terram, et habet omnis carn... » dominationem[7]. » Iterum dixit : « Dominum Deum meu...

[1] Esai. XLIII, 10 et seqq. — [2] Esai. XLI, 4. — [3] Matth. XXII, 29. — [4] Ib. 29, 31, 32. — [5] Exod. III, 6. — [6] Dan. XIV, 3. — [7] Ibid. 4.

ɔrabo, quoniam hic est Deus vivus [1]. » Qui igitur a Pro-
is adorabatur Deus vivus, hic est vivorum Deus, et
ɔum ejus, qui et locutus est Moysi, qui et Sadducæos
ırguit, qui et resurrectionem donavit : utraque his qui
utiunt ostendens, id est, resurrectionem et Deum. Si
n Deus mortuorum non est, sed vivorum, hic autem
mientium patrum Deus dictus est, indubitate vivunt
ı, et non perierunt, cum sint filii resurrectionis. Resur-
;io autem ipse Dominus noster est, quemadmodum ipse
: « Ego sum resurrectio et vita [2]. » Patres autem, ejus
; dictum est enim a Propheta : « Pro patribus tuis facti
ınt tibi filii tui [3]. » Ipse igitur Christus cum Patre vivo-
n est Deus, qui locutus est Moysi, qui et Patribus mani-
tatus est.

[II. Et hoc ipsum docens dicebat Judæis : « Abraham
ater vester exsultavit ut videret diem meum, et vidit, et
avisus est [4]. Quid enim? Credidit Abraham Deo, et de-
utatum est ei ad justitiam [5] : » primum quidem, quoniam
e est factor cœli et terræ, solus Deus; deinde autem,
oniam faciet semen ejus quasi stellas cœli. Hoc est quod
Paulo dicitur : « Quemadmodum luminaria in mundo [6]. »
ste igitur derelinquens terrenam cognationem omnem,
juebatur Verbum Dei, cum Verbo peregrinans, ut cum
ɪrbo moraretur.

IV. Juste autem et Apostoli, ex Abraham genus haben-
s, derelinquentes naviculam et patrem, sequebantur Ver-
ım Dei. Juste autem et nos, eamdem fidem accipientes
ıam habuit Abraham, tollentes crucem, quemadmodum
ɡna Isaac, sequimur eum. In Abraham enim prædidicerat
; assuetus fuerat homo sequi Verbum Dei. Etenim Abra-
am secundum fidem suam secutus præceptum Verbi Dei,

[1] Dan. XIV, 24. — [2] Joan. XI, 25. — [3] Psal. XLIV, 17. — [4] Joan. VIII, 56. —
Rom. IV, 3, ex Gen. XV, 6. — [6] Philip. II, 15.

prono animo unigenitum et dilectum filium suum concessit sacrificium Deo; ut et Deus beneplacitum habeat, pro universo semine ejus dilectum et unigenitum filium suum præstare sacrificium in nostram redemptionem.

V. Propheta ergo cum esset Abraham, et videret in Spiritu diem adventus Domini, et passionis dispositionem, per quem ipse quoque, et omnes qui similiter ut ipse credidit, credunt Deo, salvari inciperent, exsultavit vehementer. Non incognitus igitur erat Dominus Abrahæ, cujus diem concupivit videre : sed neque Pater Domini; didicerat enim a Verbo Domini, et credidit ei : quapropter et deputatum est ei ad justitiam a Domino. Fides enim quæ est ad Deum altissimum, justificat hominem : et propter hoc dicebat : « Extendam manum meam ad Deum altissimum, qui constituit cœlum et terram[1]. » Hæc autem omnia conantur evertere illi, qui sunt malæ sententiæ, ob unum dictum, quod quidem apud eos non bene intellectum est.

CAPUT VI.

Explicat Christi verba, Nemo cognoscit Patrem nisi Filius, etc. quibus abutebantur hæretici, et probat, ut revelante Patre Filium, sic revelante Filio Patrem nunquam non cognitum fuisse.

I. Dominus enim ostendens semetipsum discipulis, quoniam ipse est Verbum, qui agnitionem Patris facit, et exprobrans Judæis putantibus se habere Deum, cum et frustrentur Verbum ejus, per quem cognoscitur Deus, dicebat : « Nemo cognoscit Filium nisi Pater, neque Patrem quis » cognoscit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. » Sic et Matthæus posuit[2], et Lucas similiter[3], et Marcus idem ipsum : Joannes enim præteriit locum hunc. Hi autem qui peritiores Apostolis volunt esse, sic describunt : « Nemo

[1] Gen. XIV, 22. — [2] Matth. XI, 27. — [3] Luc. X, 22.

gnovit Patrem nisi Filius, nec Filium nisi Pater, et cui luerit Filius revelare; » et interpretantur, quasi a nullo nitus sit verus Deus ante Domini nostri adventum : et ı Deum qui a Prophetis sit annuntiatus, dicunt non esse rem Christi.

I. Si autem Christus tunc inchoavit esse, quando et se.dum hominem adventum suum egit, et a temporibus erii Cæsaris commemoratus est Pater providere homius, et non semper Verbum ejus una cum plasmate fuisse endebatur; nec tunc quidem oportuit alterum Deum ıuntiari, sed causas tantæ incuriæ et negligentiæ ejus inri. Nullam enim oportet quæstionem talem esse, et tann invalescere, ut et Deum quidem mutet, et eam quæ est ;a fabricatorem (qui nos alit per suam conditionem) fin nostram evacuet. Sicut enim in Filium fidem nostram igimus, sic et in Patrem dilectionem firmam et immobin habere debemus. Et bene Justinus in eo libro qui est Marcionem ait : « Quoniam ipsi quoque Domino non redidissem, alterum Deum annuntianti præter fabricaorem et factorem et nutritorem nostrum. Sed quoniam b uno Deo, qui et hunc mundum fecit, et nos plasmavit, t omnia continet et administrat, unigenitus Filius venit d nos, suum plasma in semetipsum recapitulans, firma st mea ad eum fides, et immobilis erga Patrem dilectio, ıtraque Deo nobis præbente. »

III. Neque enim Patrem cognoscere quis potest, nisi rbo Dei, id est, nisi Filio revelante; neque Filium, sine tris beneplacito. Bonum autem placitum Patris Filius rficit : mittit enim Pater; mittitur autem et venit Filius. Patrem quidem invisibilem et indeterminabilem, quanm ad nos est, cognoscit suum ipsius Verbum, et cum sit enarrabilis, ipse enarrat eum nobis : rursum autem Verım suum solus cognoscit Pater : utraque autem hæc sic se

habere manifestavit Dominus. Et propter hoc Filius revelat agnitionem Patris per suam manifestationem. Agnitio enim Patris, est Filii manifestatio : omnia enim per Verbum manifestantur. Ut ergo cognosceremus quoniam qui advenit Filius, ipse est qui agnitionem Patris facit credentibus sibi, dicebat discipulis : « Nemo cognoscit Patrem nisi Filius, » neque Filium nisi Pater, et quibuscumque Filius revela» verit ; » docens semetipsum et Patrem, sicut est, ut alterum non recipiamus Patrem, nisi eum qui a Filio revelatur.

IV. Hic autem est fabricator cœli et terræ, quemadmodum ex sermonibus ejus ostenditur; et non is qui a Marcione, vel a Valentino, aut a Basilide, aut a Carpocrate, aut Simone, aut reliquis falso cognominatis Gnosticis adinventus est falsus Pater. Nemo enim illorum Filius fuit Dei, sed Christus Jesus Dominus noster, adversus quem et contrariam exercent disciplinam, incognitum Deum audentes annuntiare. Debent autem in semetipsos audire : Quemadmodum enim incognitus, qui ab ipsis cognoscitur? quodcumque enim vel a paucis cognoscitur, non est incognitum. Dominus autem non in totum non posse cognosci et Patrem et Filium dixit : cæterum supervacuus fuisset adventus ejus. Quid enim huc veniebat? an uti diceret nobis : Nolite quærere Deum; incognitus est enim, et non invenietis eum : quemadmodum et Christum Æonibus eorum dixisse mentiuntur hi qui sunt a Valentino? Sed hoc quidem vanum est. Edocuit autem Dominus, quoniam Deum scire nemo potest, nisi Deo docente, hoc est, sine Deo non cognosci Deum : hoc ipsum autem cognosci eum, voluntatem esse Patris. Cognoscunt enim eum quibuscumque revelaverit Filius.

V. Et ad hoc Filium revelavit Pater, ut per eum omnibus manifestetur, et eos quidem qui credunt ei justi, in incorruptelam, et in æternum refrigerium recipiat (cre-

autem ei, est facere ejus voluntatem); eos autem qui
credunt, et propter hoc fugiunt lumen ejus, in tene-
quas ipsi sibi elegerunt, juste recludet. Omnibus igi-
evelavit se Pater, omnibus Verbum suum visibile fa-
: et rursus Verbum omnibus ostendebat Patrem et
m, cum ab omnibus videretur. Et ideo justum judi-
Dei super omnes, qui similiter quidem viderunt, non
m similiter crediderunt.

I. Etenim per ipsam conditionem revelat Verbum con-
rem Deum, et per mundum fabricatorem mundi Do-
um, et per plasma eum qui plasmaverit artificem, et
Filium eum Patrem, qui generaverit Filium : et hæc
es similiter quidem colloquuntur, non autem similiter
lunt. Sed per Legem et Prophetas similiter Verbum et
etipsum et Patrem prædicabat : et audivit quidem uni-
us populus similiter; non similiter autem omnes cre-
runt. Et per ipsum Verbum visibilem et palpabilem
um Pater ostendebatur, etiamsi non omnes similiter
debant ei; sed omnes viderunt in Filio Patrem : invi-
le etenim Filii Pater, visibile autem Patris Filius. Et
pter hoc omnes Christum loquebantur præsente eo, et
m nominabant. Sed et dæmones videntes Filium, dice-
t : « Scimus te qui es, sanctus Dei [1] : » et tentans diabo-
, videns eum, dicebat : « Si tu es Filius Dei [2] : » omni-
quidem videntibus et loquentibus Filium et Patrem,
n autem omnibus credentibus.

VII. Oportebat enim veritatem ab omnibus accipere tes-
onium, et esse judicium in salutem quidem credentium,
condemnationem autem non credentium, ut omnes juste
licentur, et ea quæ est in Patrem et Filium fides, ab
nibus comprobetur, id est, ab omnibus confirmetur,
omnibus accipiens testimonium, et a domesticis, quo-

[1] Marc. I, 24. — [2] Matth. IV, 3.

niam et amici; et ab extraneis, quoniam et inimici. Illa est enim vera et sine contradictione probatio, quæ etiam ab adversariis ipsis singula testificationis profert: in ipsa quidem manifesta sua visione convictis de præsenti negotio, et testificantibus, et significantibus; postea vero ad inimicitiam erumpentibus, et accusantibus, et volentibus non esse verum suum testimonium. Non ergo alius erat qui cognoscebatur, et alius qui dicebat : « Nemo cognoscit » Patrem; » sed unus et idem, omnia subjiciente ei Patre, et ab omnibus accipiens testimonium, quoniam vere homo, et quoniam vere Deus, a Patre, a Spiritu, ab Angelis, ab ipsa conditione, ab hominibus, et ab apostaticis spiritibus, et dæmoniis, et ab inimico, et novissime ab ipsa morte. Omnia autem Filius administrans Patri, perficit ab initio usque ad finem, et sine illo nemo potest cognoscere Deum. Agnitio enim Patris, Filius; agnitio autem Filii in Patre, et per Filium revelata : et propter hoc Dominus dicebat : « Nemo cognoscit Filium, nisi Pater; neque Patrem, nisi » Filius, et quibuscumque Filius revelaverit. » *Revelaverit* enim, non solum in futurum dictum est, quasi tunc inceperit Verbum manifestare Patrem, cum de Maria natus; sed communiter per totum tempus positum est. Ab initio enim assistens Filius suo plasmati, revelat omnibus Patrem, quibus vult, et quando vult, et quemadmodum vult Pater : et propter hoc in omnibus et per omnia unus Deus Pater, et unum Verbum, Filius, et unus Spiritus, et una salus omnibus credentibus in eum.

CAPUT VII.

sam orationem repetit, et ostendit Abraham revelante Verbo gnovisse Patrem et Filii Dei adventum. Hinc exsultasse viden- n Christi diem, quo promissa sibi facta adimplenda erant. Cu- s quidem exsultationis fructus ad posteros fidei Abrahæ consor- : manavit, ad Judæos vero Dei Verbum rejicientes non pervenit.

Et Abraham ergo a Verbo cognoscens Patrem, qui t cœlum et terram, hunc Deum confitebatur : et doctus :æsentatione, quod inter homines homo futurus esset us Dei, per cujus adventum semen ejus erat futurum si stellæ cœli, concupivit eam diem videre, uti et ipse ıplecteretur Christum : et per spiritum prophetiæ eam ɜns exsultavit. Propter quod et Simeon ex semine ejus mplebat gratulationem Patriarchæ, et dicebat : « Nunc ɜmittis servum tuum, Domine, in pace; quoniam vide- ınt oculi mei salutare tuum, quod parasti in facie omnium opulorum : lumen ad revelationem gentium, et gloriam opuli Israel [1]. » Et Angeli autem gratulationem magnam ilantibus nocte pastoribus enuntiaverunt [2]. Sed et Maria : « Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiri- ıs meus in Deo salutari meo [3] : » descendente quidem ıultatione Abrahæ in eos qui erant ex semine ejus, vigi- ıtes et videntes Christum, et credentes ei; reciproca au- n rursus et regrediente exsultatione a filiis in Abraham, i et concupierat diem adventus Christi videre. Bene igitur ›minus noster testimonium reddebat ei, dicens : « Abra- ıam pater vester exsultavit, ut videret diem meum, et 'idit, et gavisus est [4]. »

II. Non enim tantum propter Abraham hæc dixit, sed ut ostenderet quoniam omnes qui ab initio cognitum

[1] Luc. II, 29 et seqq. — [2] *Ibid.* 8 et seqq. — [3] Luc. I, 46. — [4] Joan, VIII, 56.

habuerunt Deum, et adventum Christi prophetave-
velationem acceperunt ab ipso Filio, qui et in no-
temporibus visibilis et passibilis factus est, et cum h-
genere locutus est, uti ex lapidibus excitaret filios Ab-
et adimpleret repromissionem quam promiserat ill-
et faceret semen ejus tanquam stellas cœli, quemad-
ait Joannes Baptista : « Potens est enim Deus ex lapi-
» istis suscitare filios Abrahæ [1]. » Hoc autem fecit Je-
lapidum religione extrahens nos, et a duris et infru-
cogitationibus transferens nos, et similem Abrahæ fi-
nobis constituens. Quemadmodum et Paulus testific-
dicens nos esse filios Abrahæ secundum similitudin-
et repromissionem hæreditatis [2].

III. Unus igitur et idem Deus, qui advocavit Ab-
et repromissionem ei dedit. Hic est autem fabricat-
et per Christum præparat luminaria in mundo, eos
Gentibus credunt. *Vos* autem, inquit, *estis lumen m-*
hoc est, quasi stellæ cœli. Hunc ergo recte ostend-
nemine cognosci, nisi a Filio, et quibuscum*que Fili-*
laverit. Revelat autem omnibus Filius, quibus velit co-
Patrem, et neque sine bona voluntate Patris, neque
ministratione Filii cognoscet quisquam Deum. Et p-
hoc dicebat discipulis Dominus : « Ego sum via, ve-
» et vita. Et nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si
» novissetis me, et Patrem meum utique cognovisse-
» amodo cognovistis eum, et vidistis [4]. » Ex *quibus* m-
festum est, quoniam per Filium, id est, per Verbum
gnoscitur.

IV. Propter hoc Judæi excesserunt a Deo, Verbum
non recipientes, sed putantes per seipsum Patrem
Verbo, id est, sine Filio, posse cognoscere; Deum nesc-

[1] Matth. III, 9. — [2] Rom. IV, 12 et seqq. IX, 8; Gal. IV, 28. — [3] Matt-
41. — [4] Joan. XIV, 6, 7.

eum qui in figura locutus est humana ad Abraham, et
am ad Moysem, dicentem : « Videns vidi vexationem
puli mei in Ægypto, et descendi liberare eos [1]. » Hæc
n Filius, qui est Verbum Dei, ab initio præstruebat, non
gente Patre Angelis uti faceret conditionem, et forma-
hominem, propter quem et conditio fiebat : neque rur-
indigente ministerio ad fabricationem eorum quæ facta
t, ad dispositionem eorum negotiorum quæ secundum
ninem erant; sed habente copiosum et inenarrabile mi-
terium. Ministrat enim ei ad omnia sua progenies et fi-
ratio sua, id est, Filius et Spiritus sanctus, Verbum et
pientia; quibus serviunt et subjecti sunt omnes Angeli.
ni igitur sunt qui propter hoc quod dictum sit : « Nemo
ognoscit Patrem, nisi Filius, » alterum introducunt in-
gnitum Patrem.

CAPUT VIII.

anos esse Marcionem et asseclas, qui Abraham a salute per Christum impertita excludunt : Christum enim non Abraham modo, sed et semen ejus in libertatem asseruisse, Legem implendo, non solvendo, dum etiam sabbatis curabat.

I. Vanus autem et Marcion, et qui ab eo, expellentes ab
æreditate Abraham, cui Spiritus per multos, jam autem
t per Paulum testimonium reddit, quoniam « credidit Deo,
et deputatum est ei ad justitiam [2] : » et Dominus, primum
uidem de lapidibus excitans filios ei, et faciens semen ejus
uasi stellas cœli, dicens : « Quoniam venient ab Oriente
et Occidente, ab Aquilone et Austro, et recumbent cum
Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum [3]; » iterum
licens Judæis : « Cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob,
et omnes Prophetas in regno cœlorum, vos autem projici

[1] Exod. III, 7, 8. — [2] Rom. IV, 3. — [3] Matth. VIII, 11; Luc. XIII, 29.

» foras [1]. » Manifestum est ergo, quoniam qui contradicunt saluti ejus, et alterum præter eum qui promissionem fecerit Abrahæ, formant Deum, extra regnum Dei sunt, et exhæredes sunt ab incorruptela, frustrantes et blasphemantes Deum, qui in regnum cœlorum introducit Abraham, et semen ejus, quod est Ecclesia, per Christum Jesum, cui et adoptio redditur, et hæreditas quæ Abrahæ promissa est.

II. Vindicabat enim semen ejus Dominus, solvens a vinculis, et advocans ad salutem, quemadmodum fecit in muliere quæ ab eo curata est, manifeste dicens his qui non similem Abrahæ habebant fidem : « Hypocritæ, unusquis- » que vestrum die sabbatorum bovem suum vel asinum » non solvit, et ducit, et adaquat? Hanc autem, cum sit filia » Abrahæ, quam alligaverat Satanas decem et octo annis, » non oportuerat solvi ab hoc vinculo in die sabbatorum [2] ? » Manifestum est igitur, quoniam eos qui similiter ut Abraham credebant ei, solvit, et vivificavit, nihil extra Legem faciens, curans in die sabbatorum. Non enim prohibebat Lex curari homines sabbatis, quæ et circumcidebat eos in hac die, et pro populo jubebat ministeria sacerdotibus perficere; sed et mutorum animalium curationem non prohibebat. Et Siloa [3] etiam sæpe sabbatis curavit : et propter hoc assidebant ei multi die sabbatorum [4]. Continere enim jubebat eos Lex ab omni opere servili, id est, ab omni avaritia, quæ per negotiationem et reliquo terreno actu agitur : animæ autem opera, quæ fiunt per sententiam et sermones bonos, in auxilium eorum qui proximi sunt, adhortabatur fieri. Et propter hoc Dominus arguebat eos qui injuste exprobrabant ei, quia sabbatis curabat. Non enim solvebat, sed adimplebat Legem, summi Sacerdotis operam perficiens, propitians pro homi-

[1] Luc. XIII, 28. — [2] *Ibid.* 15, 16.
[3] Memoria lapsus Siloam piscinam cum Probatica confundit Irenæus.
[4] Joan. IX, 14.

Deum, et emundans leprosos, infirmos curans, et ipse
ns, uti exsiliatus homo exiret de condemnatione, et
teretur intrepide ad suam hæreditatem.

. Sed et esurientes accipere sabbatis escam ex his quæ
ebant, non vetabat Lex : metere autem et colligere
orreum vetabat. Et ideo Dominus his qui incusabant
pulos ejus, quoniam vellentes spicas manducabant,
: « Nec hoc legistis quod fecit David cum esurisset,
emadmodum introivit in domum Dei, et panes propo-
ionis manducavit, et dedit eis qui cum eo erant; quos
n licebat manducare, nisi solis sacerdotibus [1]? » per
is verba suos discipulos excusans, et significans licere
rdotibus libere agere. Sacerdos autem scitus fuerat
id apud Deum, quamvis Saül persecutionem faceret ei.
nes enim justi sacerdotalem habent ordinem. Sacer-
es autem sunt omnes Domini Apostoli, qui neque agros
ue domos hæreditant hic, sed semper altari et Deo ser-
nt. De quibus et Moyses in Deuteronomio, in benedic-
ne Levi ait : « Qui dicit patri suo et matri suæ : Non
ovi te; et fratres suos non agnovit, et filios suos abdi-
avit : custodivit præcepta tua, et testamentum tuum
ervavit [2]. » Qui autem sunt qui dereliquerunt patrem et
trem, et omnibus proximis renuntiaverunt, propter ver-
m Dei et testamentum ejus, nisi discipuli Domini? De
ibus iterum Moyses : « Hæreditas autem, inquit, non erit
is. Dominus enim ipse hæreditas ipsorum [3]. » Et iterum :
Non erit sacerdotibus Levitis in tota tribu Levi pars, ne-
que substantia cum Israel : fructificationes Domini sub-
stantiæ eorum; manducabunt eas [4]. » Propter hoc et Pau-
s : « Non inquiro, inquit, datum; sed inquiro fructum [5]. »
iscipulis, inquit, Domini Leviticam substantiam habenti-

[1] Luc. VI, 3, 4. — [2] Deut. XXXIII, 9. — [3] Num. XVIII, 20; Deut. X, 9. —
Deut. XVIII, 1. — [5] Philip. IV, 17.

bus, licebat eis esurientibus a seminibus accipere escam: « Dignus est enim operarius esca sua[1]. » Et sacerdotes in templo sabbatum profanabant, et rei non erant. Quare ergo rei non erant? quia cum essent in templo, non secularia, sed Dominica perficiebant ministeria, Legem adimplentes, non autem prætereuntes Legem; quemadmodum is qui a semetipso arida ligna attulit in castra Domini, qui et juste lapidatus est. « Omnis enim arbor quæ non facit » fructum bonum, abscindetur et in ignem mittetur[2]. » Et: « Quicumque templum Dei violaverit, violabit illum Deus[3]. »

CAPUT IX.

Utriusque Testamenti unum esse auctorem, finem, scopumque præcipuum.

I. Unius igitur et ejusdem substantiæ sunt omnia, hoc est, ab uno et eodem Deo, quemadmodum et Dominus ait discipulis: « Propterea omnis scriba doctus in regno cœ» lorum similis est homini patrifamilias, qui profert de the» sauro suo nova et vetera[4]. » Non alterum quidem vetera, alterum vero proferentem nova docuit; sed unum et eumdem. Paterfamilias enim Dominus est, qui universæ domui paternæ dominatur: et servis quidem, et adhuc indisciplinatis condignam tradens legem; liberis autem, et fide justificatis congruentia dans præcepta, et filiis adaperiens suam hæreditatem. Scribas autem et doctores regni cœlorum, suos dicebat discipulos, de quibus et alibi ait Judæis: « Ecce, mitto ad vos sapientes, et scribas, et doctores; et » ex eis occidetis et effugabitis a civitate in civitatem[5]. » Ea autem quæ de thesauro proferuntur nova et vetera, sine contradictione duo Testamenta dicit: vetus quidem, quod ante fuerat, legislatio; novum autem, quæ secundum Evan-

[1] Matth. x, 10. — [2] Matth. III, 10, et VII, 19. — [3] I Cor. III, 17. — [4] Matth. XIII, 52. — [5] Matth. XXIII, 34.

...nversatio, ostendit, de qua David ait: « Can-
...o canticum novum [1]. » Et Esaias: « Cantate Do-
...num novum. Initium ejus: Glorificatur nomen
...mo terræ; virtutes ejus in insulis annuntiant [2]. »
...s ait: « Ecce disponam, inquit, Testamentum
...non quemadmodum disposui patribus vestris [3] »
...Oreb. Utraque autem Testamenta unus et idem
...ias produxit, Verbum Dei, Dominus noster Je-
...tus, qui et Abrahæ et Moysi collocutus est, et
...novitate restituit libertatem, et multiplicavit eam
...ipso est gratiam.

...lus est enim, inquit, Templo hic [4]. » Plus autem
...s non in his dicitur quæ inter se communionem
...ent, et sunt contrariæ naturæ, et pugnant adver-
... sed in his quæ ejusdem sunt substantiæ, et com-
...ent secum, solum autem multitudine et magnitu-
...fferunt, quemadmodum aqua ab aqua, et lumen a
...e, et gratia a gratia. Major est igitur legislatio quæ in
...tem, quam quæ data est in servitutem: et ideo non
...am gentem, sed in totum mundum diffusa est. Unus
...a et idem Dominus, qui plus quam Templum est, et
...quam Salomon, et plus quam Jonas donat hominibus,
...it, suam præsentiam et resurrectionem a mortuis, sed
... Deum immutans, nec alium prædicans Patrem, sed
...dem ipsum, qui semper habet plura metiri domesticis;
...proficiente eorum erga Deum dilectione, plura et ma-
...a donans, quemadmodum et Dominus discipulis dice-
...: « Quoniam et majora horum videbitis [5]. » Et Paulus
...: « Non quod jam acceperim, aut justificatus sim, aut
...am perfectus sim. Ex parte enim scimus, et ex parte
prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est,

[1] Psal. xcv, 1, et xcvii, 1. — [2] Esai. xlii, 10, 12. — [3] Jerem. xxxi, 31, 32. — [4] Matth. xii, 6. — [5] Joan. i, 50; Philip. iii, 12.

» quæ sunt ex parte destruentur [1]. » Sicut igitur adven... perfecto, non alterum Patrem videbimus, sed hunc q... nunc videre concupimus (« Beati enim mundi corde, ... » niam ipsi Deum videbunt [2] ») : neque alium Christu... Dei Filium exspectabimus; sed hunc qui ex Maria vir... qui et passus est, in quem et credimus, quem et dilig... (quemadmodum Esaias ait : « Et dicent in illa die : E... » Dominus Deus noster, in quem speravimus, et exsu... » mus in salute nostra [3]. » Et Petrus ait in Epistola ... « Quem non videntes diligitis, inquit, in quem nunc ... » videntes credidistis, gaudebitis gaudio inenarrabi... neque alium Spiritum sanctum percipimus, nisi hunc ... est nobiscum, et qui clamat, *Abba, pater* [5]; et in ... ipsis augmentum habebimus, et proficiemus, ut jam ... per speculum et per ænigmata, sed facie ad faciem ... mur muneribus Dei : sic et nunc plus Templo, et plu... lomone percipientes, quod est adventus Filii *Dei*, non ... rum didicimus Deum, præter fabricatorem et fact... omnium, qui ab initio nobis demonstratus *est; neque* ... rum Christum Dei Filium, præter eum qui a Prop... prædicatus est.

III. Novo enim Testamento cognito, et prædicato ... Prophetas, et ille qui illud dispositurus erat secundum p... citum Patris prædicabatur, manifestatus homini*bus*, qu... admodum voluit Deus; ut possint semper proficere cred... tes in eum, et per Testamenta maturescere per*fectum* sal... Una enim salus, et unus Deus : quæ autem formant ho... nem, præcepta multa, et non pauci gradus, qui ducunt h... minem ad Deum. Terreno quidem et temporali regi, cu... sit homo, licet aliquoties majores profectus attribuere h... qui sunt subjecti : Deo autem non licebit, cum sit idem, ...

[1] I Cor. XIII, 9, 10. — [2] Matth. v, 8. — [3] Esai. xxv, 9. — [4] I Pet. I, 8. — [5] Rom. VIII, 15.

oper majorem gratiam præstare humano generi velit, et ribus muneribus assidue honorare eos qui placent ei? Si em hoc est proficere, alterum adinvenire Patrem præter m qui ab initio annuntiatus est, et rursum, præter eum i putatur secundo inventus esse, alterum tertium adin- ire; et ejusdem erit profectus et a tertio in quartum, et hoc rursum alterum et alterum : et sic semper putans oficere talis sensus, nunquam in uno stabit Deo; expulsus im ab eo qui est, et reversus retrorsum, quæret quidem mper, inveniet autem nunquam Deum; sed semper in- mprehensibilitatis profundo natabit, nisi per pœnitentiam nversus, unde abjectus erat revertatur, unum Deum Pa- em Demiurgum confitens et credens, qui a Lege et Pro- etis annuntiatus est, qui a Christo testificatus est, quem- modum ipse ait ad eos qui accusabant ejus discipulos, asi non servarent traditionem seniorum : « Quare vos frustramini præceptum Domini, propter traditionem ves- tram? Deus enim dixit : Honora patrem et matrem; et, Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur[1]. » Et erum ait eis : « Et frustrati estis sermonem Dei propter traditionem vestram[2]; » manifestissime Patrem et Deum onfitens Christus eum qui in Lege dixit : « Honora patrem et matrem, ut tibi bene sit[3]. » Verbum enim Dei confessus st Legis præceptum verax Deus, et neminem alterum Deum ppellavit, quam suum Patrem.

CAPUT X.

Veteris Testamenti Scripturas, eas potissimum quæ a Moyse exaratæ sunt, Filii Dei ubique passim meminisse, ejusque adventum et passionem clarissime prænuntiasse, ac proinde ab uno et eodem Patre inspirante manasse.

I. Bene igitur et Joannes meminit dicentem Dominum

[1] Matth. XV, 3, 4. — [2] *Ibid.* 6. — [3] Exod. XX, 12.

Judæis : « Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere : illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis[1]. » Quomodo igitur testabantur de eo Scripturæ, nisi ab uno et eodem essent Patre, præinstruentes homines de adventu Filii ejus, et prænuntiantes salutem quæ est ab eo? « Si enim crederetis Moysi, inquit, crederetis et mihi : de me enim ille scripsit[2]; » scilicet quod inseminatus est ubique in Scripturis ejus Filius Dei; aliquando quidem cum Abraham loquens, aliquando cum Noe, dans eis mensuras; aliquando autem quærens Adam; aliquando autem Sodomitis inducens judicium; et rursus cum videretur, et in viam dirigit Jacob, et de rubo loquitur cum Moyse. Et non est numerum dicere in quibus a Moyse ostenditur Filius Dei: cujus et diem passionis non ignoravit, sed figuratim prænuntiavit eum, Pascha nominans; et in eadem ipsa, quæ ante tantum temporis a Moyse prædicata est, passus est Dominus adimplens Pascha. Non solum autem diem descripsit, sed et locum, et extremitatem temporum, et signum occasus solis, dicens: « Non poteris immolare Pascha in ulla alia civitatum tuarum quas Dominus Deus dat tibi, nisi in eo loco quem delegerit Dominus Deus tuus invocari nomen suum ibi : immolabis Pascha vespere ad occasum solis[3]. »

II. Jam autem et manifestaverat ejus adventum, dicens: « Non deerit princeps in Juda, neque dux ex femoribus ejus, quoadusque veniat cui repositum est, et ipse est spes Gentium; alligans ad vitem pullum suum, et ad helicem pullum asinæ. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum : lætifici oculi ejus a vino, et candidi dentes ejus quam lac[4]. » Inquirant enim hi qui

[1] Joan. v, 39, 40. — [2] *Ibid.* 46. — [3] Deut. xvi, 5, 6. — [4] Gen. xlix, 10 et seqq.

ia scrutari dicuntur, id tempus in quo defecit princeps, ux ex Juda, et qui est Gentium spes, et qui vitis, et qui us ejus, et quod indumentum, et qui oculi, et qui dentes et quod vinum, et unumquodque ex dictis exquirant; nvenient non alium, nisi Dominum nostrum Jesum istum, annuntiatum. Quapropter Moyses increpans poum, quod ingratus exsisteret, ait : « Sic populus fatuus non sapiens, hæc Domino retribuistis [1]? » Et rursus nificans, quoniam qui ab initio condidit et fecit eos rbum, et in novissimis temporibus redimens nos et vivins, ostenditur pendens in ligno, et non credent ei. Ait im : « Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, et non redes vitæ tuæ [2]. » Et iterum : « Nonne hic idem Pater uus possedit te, et fecit te, et creavit te [3]? »

CAPUT XI.

eteres Prophetas et justos prænovisse adventum Christi, huncque videre et audire ardentius appetiisse, ipso per Spiritum sanctum se in Scripturis revelante, et sine sui mutatione novis in dies beneficiis homines ditante, posteriores tamen cumulatius prioribus.

I. Quoniam autem non solum Prophetæ et justi multi, ræscientes per Spiritum sanctum adventum ejus, oraveunt in illud tempus venire in quo facie ad faciem viderent Dominum suum, et sermones audirent ejus, Dominus fecit manifestum, dicens discipulis : « Multi Prophetæ et justi » cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire » quæ auditis, et non audierunt [4]. » Quemadmodum igitur concupierunt et audire et videre, nisi præscissent futurum ejus adventum? Quomodo autem præscire potuerunt, nisi ab ipso præscientiam ante accepissent? Quomodo autem Scripturæ testificantur de eo, nisi ab uno et eodem Deo

[1] Deut. XXXII, 6.—[2] Deut. XXVIII, 66.—[3] Deut. XXXII, 6.—[4] Matth. XIII, 17.

omnia semper per Verbum revelata et ostensa fuissent credentibus; aliquando quidem colloquente eo cum suo plasmate, aliquando autem dante Legem, aliquando vero exprobrante, aliquando exhortante, ac deinceps liberante servum, et adoptante in filium, et apto tempore incorruptelæ hæreditatem præstante, ad perfectionem hominis? Plasmavit enim eum in augmentum et incrementum, quemadmodum Scriptura dicit : « Crescite et multiplicamini[1]. »

II. Et hoc Deus ab homine differt, quoniam Deus quidem facit, homo autem fit : et quidem qui facit, semper idem est; quod autem fit, et initium, et medietatem, et adjectionem, et augmentum accipere debet. Et Deus quidem bene facit, bene autem fit homini. Et Deus quidem perfectus in omnibus, ipse sibi æqualis et similis; totus cum sit lumen, et totus mens, et totus substantia, et fons omnium bonorum : homo vero profectum percipiens et augmentum ad Deum. Quemadmodum enim Deus semper idem est; sic et homo in Deo inventus, semper proficiet ad Deum. Neque enim Deus cessat aliquando in benefaciendo et locupletando hominem; neque homo cessat beneficium accipere et ditari a Deo. Exceptorium enim bonitatis, et organum clarificationis ejus, homo gratus ei qui se fecit; et iterum exceptorium justi judicii ejus homo ingratus, et spernens plasmatorem, et non subjectus Verbo ejus : qui plurimum semper fructificantibus, et plus habentibus Dominicum argentum, daturum se pollicitus est : « Euge, inquit, serve » bone et fidelis! quia in modico fidelis fuisti, super multa » te constituam: intra in gaudium Domini tui[2]; » ipse Dominus plurimum promittens.

III. Sicut ergo nunc fructificantibus plurimum daturum se pollicitus est, secundum munerationem gratiæ suæ, sed non secundum commutationem agnitionis (ipse enim Do-

[1] Gen. I, 28. — [2] Matth. XXV, 21, 23.

s perseverat, et idem Pater revelatur); sic ergo et rioribus majorem quam quæ fuit in veteri Testamento, :rationem gratiæ attribuit unus et idem Dominus per ı adventum. Et illi enim per famulos audiebant venn Regem, et mediocriter gaudebant, secundum quod ıbant venturum eum : qui autem præsentem viderunt, ›ertatem adepti, et potiti sunt ejus munerationem, man gratiam et abundantiorem exsultationem habent, gaues de Regis adventu, quemadmodum et David dicit : nima mea exsultabit in Domino, jucundabitur in salu·i ejus [1]. » Et propter hoc Hierosolymam introeunte eo, ıes qui erant in via David in dolore animæ, cognoverunt m Regem, et substraverunt ei vestimenta, et ramis vibus adornaverunt viam, cum magna lætitia et exsultaıe clamantes: « Hosanna, fili David! benedictus qui venit ı nomine Domini! Hosanna in excelsis [2]! » Zelantibus au1 malis dispensatoribus, qui circumveniebant inferiores, dominabantur eorum quibus ratio non constabat, et ›pter hoc nolentibus venisse Regem, et dicentibus ei : ludis quid isti dicunt? « ait Dominus : » Nunquam legistis: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem [3]? » id ıod a David in Filium Dei dictum erat, in se factum osndens, et significans, illos quidem nescire virtutem Scripræ et dispositionem Dei, se autem esse qui a Prophetis ınuntiatus sit Christus, cujus nomen in omni terra laudar; ex ore infantium et lactentium laudem perficienti suo ıtri : quapropter et elevata est magnificentia ejus super elos.

IV. Si ergo idem ipse adest qui prædicatus est a Prophe5, Deus Dominus noster Jesus Christus, et adventus ejus eniorem gratiam et majorem munerationem attribuit his ui susceperunt eum; manifestum, quoniam et Pater idem

[1] Psal. xxxiv, 9. — [2] Matth. xxi, 9. — [3] Ibid. 16.

ipse est qui a Prophetis annuntiatus est, et non alterius Patris agnitionem fecit veniens Filius, sed ejusdem qui ab initio prædicatus est, a quo et libertatem detulit his qui legitime, et prono animo, et toto corde deserviunt ei; contemptoribus autem, et non subjectis Deo, sed in gloriam hominum exteriores munditias sectantibus (quæ in figuram futurorum traditæ erant, velut umbræ cujusdam descriptionem faciente Lege, atque delineante de temporalibus æterna, de terrenis cœlestia), fingentibus plusquam quæ dicta sunt sese observare, tanquam diligentiam suam etiam ipsi Deo præferentibus, intus autem plenis hypocrisi, et cupiditate, et omni malitia, in sempiternum attulit perditionem, abscindens eos a vita.

CAPUT XII.

Eumdem esse utriusque Legis auctorem hinc liquido patere, quod Christus traditiones et mores veteri repugnantes damnaverit, summa vero et eminentiora hujus præcepta confirmaverit, ac seipsum Mosaicæ Legis finem esse docuerit.

I. Seniorum enim ipsorum traditio, quam ex Lege observare fingebant, contraria erat Legi datæ per Moysem. Propter hoc et Esaias ait : « Caupones tui miscent vinum » aqua [1]; » ostendens quod austero Dei præcepto miscerent seniores aquatam traditionem, id est, aggredientes adulteram legem, et contrariam Legi, sicut et Dominus fecit manifestum, dicens eis : « Quare vos transgredimini præ» ceptum Dei, propter traditionem vestram [2]? » Non solum autem per prævaricationem frustrati sunt Legem Dei, miscentes vinum aqua; sed et suam legem e contrario statuerunt, quæ usque adhuc Pharisaica vocatur. In qua quædam quidem auferunt, quædam vero addunt, quædam autem

[1] Esai. I, 22. — [2] Matth. XV, 3.

admodum volunt interpretantur; quibus utuntur sin-
iter magistri eorum : quas traditiones volentes vindi-
Legi Dei instituenti eos ad adventum Christi non sub-
esse voluerunt; sed et Dominum arguebant in sabbatis
item, quod quidem, sicut prædiximus, Lex non prohi-
t. Etenim ipsi secundum aliquid curabant, circumci-
es hominem in sabbato; se autem ipsos non redargue-
, per traditionem et prædictam Pharisaicam legem
sgredientes præceptum Dei, et præceptum Legis non
entes, id est, dilectionem quæ est erga Deum.

. Quoniam autem hoc primum et maximum præceptum
sequens autem erga proximum, Dominus docuit, totam
em et Prophetas pendere dicens ex ipsis præceptis. Et
e autem aliud majus hoc præcepto non detulit : sed hoc
um renovavit suis discipulis, jubens eis Deum diligere
toto corde, et cæteros quemadmodum se. Si autem ab
o descendisset Patre, nunquam ex Lege primo et summo
us esset præcepto, sed utique omnimodo eniteretur ma-
s hoc a perfecto Patre deferre, non eo uti quod a Deo
egis fuisset datum. Et Paulus autem : « Adimpletio, in-
quit, Legis, dilectio[1] : » et omnibus cæteris evacuatis, ma-
ere fidem, spem, dilectionem; majorem autem esse om-
ium dilectionem[2] : et neque agnitionem sine dilectione
uæ est erga Deum, præstare aliquid; neque mysteriorum
omprehensionem, neque fidem, neque prophetiam; sed
mnia vacua et frustra esse sine dilectione[3] : dilectionem
ero perficere perfectum hominem; et eum qui diligit Deum
sse perfectum, et in hoc ævo, et in futuro. Nunquam enim
esinimus diligentes Deum; sed quanto plus eum intuiti
uerimus, tanto plus eum diligimus.

III. In Lege igitur et in Evangelio cum sit primum et
naximum præceptum, diligere Dominum Deum ex toto

[1] Rom. XIII, 10. — [2] 1 Cor. XIII, 13. — [3] *Ibid.* 2.

corde; dehinc simile illi, diligere proximum sicut seipsum : unus et idem ostenditur Legis et Evangelii conditor. Consummatæ enim vitæ præcepta in utroque Testamento cum sint eadem, eumdem ostenderunt Deum : qui particularia quidem præcepta apta utrisque præcepit; sed eminentiora et summa, sine quibus salvari non est, in utroque eadem suasit.

IV. Quem autem non confundat Dominus, ostendens non ab altero Deo esse Legem, sic dicens eis qui a se docebantur, turbæ et discipulis : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia itaque quæcumque dixerint vobis, custodite et facite; secundum autem opera eorum nolite facere : dicunt enim et non faciunt. Alligant enim sarcinas graves, et imponunt super humeros hominum; ipsi autem nec digito quidem volunt eas movere[1]. » Non ergo eam Legem quæ est per Moysem data incusabat, quam adhuc salvis Hierosolymis suadebat fieri; sed illos redarguebat, quod verba quidem Legis enuntiarent, essent autem sine dilectione : et propter hoc injusti in Deum et in proximos exstiterunt. Quemadmodum et Esaias ait : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Frustra autem colunt me, docentes doctrinas et præcepta hominum[2]. » Non per Moysem datam Legem dicens præcepta hominum, sed traditiones presbyterorum ipsorum, quas finxerant, quas vindicantes frustrabantur Legem Dei, et propter hoc nec Verbo ejus subjecti sunt. Hoc enim est quod et a Paulo dicitur de istis : « Ignorantes enim justitiam Dei, et suam justitiam volentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Finis enim Legis Christus, ad justitiam omni credenti[3]. » Et quomodo finis Legis Christus, si non et initium ejus esset? Qui enim finem intulit, hic et initium operatus est; et ipse est qui dicit Moysi : « Videns

[1] Matth. XXIII, 2 et seqq. — [2] Esai. XXIX, 13. — [3] Rom. X, 3, 4.

vexationem populi mei, qui est in Ægypto, et des-
di ut eruam eos[1] : » ab initio assuetus Verbum Dei
dere et descendere, propter salutem eorum qui male
rent.

Quoniam autem Lex prædocuit hominem sequi opor-
Christum, ipse facit manifestum, ei qui interrogavit
, quid faciens vitam æternam hæreditaret, sic res-
lens : « Si vis in vitam introire, custodi præcepta[2]. »
autem interrogante, « Quæ? » rursus Dominus : « Non
echaberis, non occides, non furaberis, non falsum tes-
ionium reddes, honora patrem et matrem, et diliges
oximum tanquam teipsum; » velut gradus proponens
cepta Legis introitús in vitam, volentibus sequi eum :
: uni tum dicens, omnibus dicebat. Ille autem cum dixis-
: *Omnia feci* (et forte non fecerat; nam utique non dice-
ır ei, *Custodi præcepta*), arguens Dominus cupiditatem
s, dixit ei : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia
iæ habes, et divide pauperibus, et veni, sequere me; »
ostolorum partem promittens eis qui sic fecerint. Et non
erum Deum Patrem annuntiabat eis qui sequebantur
m, præter eum qui ab initio a Lege annuntiatus est; nec
um Filium, nec Matrem, Enthymesin Æonis qui fuit in
ssione, et in defectione; nec triginta Æonum Plenitudi-
m, quæ vacua et inconstans ostensa est; nec eam fabu-
n quæ a reliquis hæreticis ficta est : sed docebat ut fa-
rent præcepta quæ ab initio præcepit Deus, et ut veterem
piditatem per opera bona solverent, et sequerentur Chris-
m. Quoniam autem ea quæ possidentur, pauperibus di-
a, solutionem faciunt præteritæ cupiditatis, Zacchæus
cit manifestum : « Ecce, dicens, dimidium ex bonis meis
lo pauperibus, et si cujus quid fraudavi, reddo quadru-
plum[3]. »

[1] Exod. III, 7, 8. — [2] Matth. XIX, 17 et seqq. — [3] Luc. XIX, 8.

CAPUT XIII.

Christum naturalia Legis præcepta non dissolvisse, imo potius implevisse, extendisse et ampliasse : qui veteris Legis jugum ac vincula ideo abstulit, ut homo jam liber ea fiducia ac pietate quæ filios decet, Deo pareret.

I. Et quia Dominus naturalia Legis, per quæ homo justificatur, quæ etiam ante legisdationem custodiebant qui fide justificabantur, et placebant Deo, non dissolvit, sed extendit et implevit; ex sermonibus ejus ostenditur. « Dictum est enim, inquit, antiquis : Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo[1]. » Et iterum : « Dictum est : Non occides. Ego autem dico vobis : Omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio[2]. » Et, « Dictum est : Non perjurabis. Ego autem dico vobis, neque jurare in totum. Sit autem vobis sermo, etiam etiam, non non[3]. » Et quæcumque sunt talia. Omnia enim hæc non contrarietatem et dissolutionem præteritorum continent, sicut qui a Marcione sunt vociferantur, sed plenitudinem et extensionem, sicut ipse ait : « Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum[4]. » Quid autem erat plus ? Primo quidem non tantum in Patrem, sed et in Filium ejus jam manifestatum credere; hic est enim qui in communionem et unitatem Dei hominem inducit : post deinde non solum dicere, sed et facere; illi enim dicebant, sed non faciebant : et non tantum abstinere a malis operibus, sed etiam a concupiscentiis eorum. Hæc autem non quasi contraria Legi docebat, sed adimplens Legem, et infigens justificationes Legis in nobis. Illud autem fuisset

[1] Matth. v, 27, 28. — [2] *Ibid.* 21, 22. — [3] *Ibid.* 33, 34, 37. — [4] *Ibid.* 20.

ontrarium, si, quodcumque Lex vetasset fieri, idip-
iscipulis suis jussisset facere. Et hoc autem quod præ-
non solum vetitis a Lege, sed etiam a concupiscentiis
abstinere, non contrarium est, quemadmodum dixi-
neque solventis Legem, sed adimplentis, et exten-
, et dilatantis.

Etenim Lex, quippe servis posita, per ea quæ foris corporalia animam erudiebat, velut per vinculum hens eam ad obedientiam præceptorum, uti disceret servire Deo : Verbum autem liberans animam, et ipsam corpus voluntarie emundari docuit. Quo facto, sse fuit auferri quidem vincula servitutis, quibus jam o assueverat, et sine vinculis sequi Deum; superextendi decreta libertatis, et augeri subjectionem quæ est ad em, ut non retrorsus quis revertens, indignus appareat qui se liberavit : eam vero pietatem et obedientiam quæ erga patremfamilias, esse quidem eamdem et servis et eris; majorem autem fiduciam habere liberos, quoniam major et gloriosior operatio libertatis, quam ea quæ est servitute obsequentia.

III. Et propter hoc Dominus pro eo quod est *Non mæaberis*, nec concupiscere præcepit; et pro eo quod est, *on occides*, neque irasci quidem; et pro eo quod est demare, omnia quæ sunt pauperibus dividere; et non tanm proximos, sed etiam inimicos diligere; et non tantum nos datores et communicatores esse, sed etiam adversus s qui tollunt nostra, gratuito donatores. « Tollenti enim tibi tunicam, ait, remitte ei et pallium; et ab eo qui tollit tua, non reposcas : et quemadmodum vultis ut faciant vobis homines, facite eis[1], » ut non quasi nolentes fraudari contristemini, sed quasi volentes donaverimus, gaueamus; gratiam magis præstantes in proximos, quam ne-

[1] Luc. VI, 29 et seqq.

cessitate servientes. « Et si quis te, inquit, angariaverit mille » passus, vade cum eo alia duo[1]; » uti non quasi servus sequaris, sed quasi liber præcedas, aptum te in omnibus et utilem proximo præstans : non illorum malitiam intuens, sed tuam bonitatem perficiens, configurans temetipsum Patri, qui solem suum oriri facit super malos et bonos, et pluit super justos et injustos. Hæc autem, quemadmodum prædiximus, non dissolventis erant Legem, sed adimplentis et extendentis in nobis : tanquam si aliquis dicat, majorem libertatis operationem, et pleniorem erga liberatorem nostrum infixam nobis subjectionem et affectionem. Non enim propter hoc liberavit nos, ut ab eo abscedamus; nec enim potest quisquam extra dominica constitutus bona, sibimetipsi acquirere salutis alimenta : sed ut plus gratiam ejus adepti, plus eum diligamus. Quanto autem plus eum dilexerimus, hoc majorem ab eo gloriam accipiemus, cum simus semper in conspectu Patris.

IV. Quia igitur naturalia omnia præcepta communia sunt nobis et illis, in illis quidem initium et ortum habuerunt; in nobis autem augmentum et adimpletionem perceperunt. Assentire enim Deo, et sequi ejus Verbum, et super omnia diligere eum, et proximum sicut seipsum (homo autem homini proximus), et abstinere ab omni mala operatione, et quæcumque talia communia utrisque sunt, unum et eumdem ostendunt Deum. Hic est autem dominus noster, Verbum Dei, qui primo quidem servos attraxit Deo, postea autem liberavit eos qui subjecti sunt ei, quemadmodum ipse ait discipulis : « Jam non dicam vos servos : quia servus » nescit quid ejus Dominus faciat. Vos autem dixi amicos, » quoniam omnia quæ audivi a Patre, manifestavi[2]. » In eo enim quod dicit : « Jam non dicam vos servos, » manifestissime significavit se esse qui primo quidem eam servitutem

[1] Matth. v, 41. — [2] Joan. xv, 15.

est erga Deum, hominibus per Legem constituerit, deinde libertatem eis donaverit. Et in eo quod dicit: oniam servus nescit quid faciat dominus ejus, » ignoum servilis populi manifestat per suum adventum. In item quod amicos Dei dicit suos discipulos, manifeste dit se esse Verbum Dei, quem et Abraham voluntarie e vinculis propter generositatem fidei sequens, amicus is est Deo[1]. Sed neque Abrahæ amicitiam propter indiiam assumpsit Dei Verbum, existens ab initio perfectus: itequam enim Abraham esset, ego sum[2], » inquit; sed si Abrahæ donaret æternam vitam, existens bonus, quoı amicitia Dei immortalitatis est condonatrix his qui agliuntur eam.

CAPUT XIV.

quid obsequii exigat ab homine Deus, si hominem condiderit, ocaverit ac legibus informaverit, uni hominis saluti consulit; on homine indigens, sed in hunc beneficia gratis omnino conerre studens.

I. Igitur initio non quasi indigens Deus hominis, plasma- Adam, sed ut haberet in quem collocaret sua beneficia. n enim solum ante Adam, sed et ante omnem conditiom glorificabat Verbum Patrem suum, manens in eo; et se a Patre clarificabatur, quemadmodum ipse ait: « Paer, clarifica me claritate quam habui apud te priusquam nundus fieret[3]. » Nec nostro ministerio indigens jussit ut m sequeremur; sed nobis ipsis attribuens salutem. Sequi im Salvatorem, participare est salutem: et sequi lumen, rcipere est lumen. Qui autem in lumine sunt, non ipsi men illuminant, sed illuminantur et illustrantur ab eo: si quidem ei nihil præstant, beneficium autem percipien-

[1] Jacob. II, 23. — [2] Joan. VIII, 58. — [3] Joan. XVII, 5.

tes illuminantur a lumine. Sic et servitus erga Deum, Deo quidem nihil præstat, nec opus est Deo humano obsequio; ipse autem sequentibus et servientibus ei vitam, et incorruptelam, et gloriam æternam attribuit, beneficium præstans servientibus sibi ob id quod serviunt, et sequentibus ob id quod sequuntur; sed non beneficium ab eis percipiens: est enim dives, perfectus, et sine indigentia. Propter hoc autem exquirit Deus ab hominibus servitutem, ut, quoniam est bonus et misericors, benefaciat eis qui perseverant in servitute ejus. In quantum enim Deus nullius indigens, in tantum homo indiget Dei communione. Hæc enim gloria hominis, perseverare ac permanere in Dei servitute. Et propter hoc dicebat discipulis Dominus : « Non vos me ele» gistis, sed ego elegi vos[1]; » significans, quoniam non ipsi glorificabant eum, sequentes eum; sed in eo quod sequerentur Filium Dei, glorificabantur ab eo. Et iterum : « Volo » ut ubi ego sum, ibi et hi sint, ut videant claritatem meam[2], » non vane glorians super hoc, sed gloriam suam participari volens discipulis suis, de quibus et Esaias ait : « Ab oriente » attraham semen tuum, et ab occasu colligam te : et di» cam Aquiloni, Adduc; et Austro, Noli prohibere : attrahe » filios meos de longinquo, et filias meas a summitatibus » terræ, omnes quotquot vocati sunt in nomine meo. In » gloria enim mea præparavi, et formavi, et feci eum[3]. » Hoc ideo, quoniam « ubicumque est cadaver, illuc congre» gabuntur et aquilæ[4], » participantes gloriæ Domini : qui et formavit, et ad hoc præparavit nos, ut dum sumus cum eo, participemus gloriæ ejus.

II. Sic et Deus ab initio hominem quidem plasmavit propter suam munificentiam; Patriarchas vero elegit propter illorum salutem; populum vero præformabat, docens

[1] Joan. xv, 16. — [2] Joan. xvii, 24. — [3] Esai. xliii, 5 et seqq. — [4] Matth. xxiv, 28.

›cibilem sequi Deum; Prophetas vero præstruebat in
'a, assuescens hominem portare ejus Spiritum, et com-
nionem habere cum Deo : ipse quidem nullius indigens;
vero qui indigent ejus, suam præbens communionem;
is qui ei complacebant, fabricationem salutis, ut archi-
tus, delineans, et non videntibus in Ægypto a semetipso
ns ducationem; et his qui inquieti erant in Eremo, dans
tissimam Legem, et his qui in bonam Terram introierunt,
gnam præbens hæreditatem; et his qui convertuntur ad
trem, saginatum occidens vitulum, et primam stolam
nans : multis modis componens humanum genus ad con-
nantiam salutis. Et propter hoc Joannes in Apocalypsi
t : « Et vox ejus quasi vox aquarum multarum[1]. » Vere
nim aquæ multæ Spiritus, quoniam dives, et quoniam ma-
nus est Pater. Et per omnes illos transiens Verbum, sine
nvidia utilitatem præstabat eis qui subjecti sibi erant, omni
onditioni congruentem et aptam Legem conscribens.

III. Sic autem et populo Tabernaculi factionem, et ædificationem Templi, et Levitarum electionem, sacrificia quoque et oblationes, et monitiones, et reliquam omnem Lege statuebat deservitionem. Ipse quidem nullius horum est indigens; est enim semper plenus omnibus bonis, omnemque odorem suavitatis et omnes suaveolentium vaporationes habens in se, etiam antequam Moyses esset : facile autem ad idola revertentem populum erudiebat, per multas vocationes præstruens eos perseverare, et servire Deo : per ea quæ erant secunda, ad prima vocans, hoc est, per typica, ad vera; et per temporalia, ad æterna; et per carnalia, ad spiritualia; et per terrena, ad cœlestia; quemadmodum et dictum est Moysi : Quoniam « facies omnia juxta typum eorum » quæ vidisti in monte[2]. » Quadraginta enim diebus discebat tenere sermones Dei, et characteres cœlestes, et imagines

[1] Apoc. I, 15. — [2] Exod. XXV, 40.

spirituales, et præfigurationes futurorum, quemadmodum et Paulus ait : « Bibebant enim de sequenti petra : petra au» tem erat Christus[1]. » Et rursus prædictis his quæ in Lege sunt, intulit : « Omnia autem hæc in figura veniebant illis : » scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos finis » sæculorum devenit[2]. » Per typos enim discebant timere Deum, et perseverare in obsequiis ejus.

CAPUT XV.

Qui Legem naturalem seu Decalogum hominum cordibus primum inscribere satis habuerat Deus, Hebræorum, libertate sua abutentium, concupiscentiam graviori Legis Mosaicæ jugo refrenare, imo et leges quasdam particulares ob duritiam cordis eorum statuere postmodum necesse habuit.

I. Itaque Lex, et disciplina erat illis, et prophetia futurorum. Nam Deus primo quidem per naturalia præcepta, quæ ab initio infixa dedit hominibus, admonens eos, id est, per Decalogum (quæ si quis non fecerit, non habet salutem), nihil plus ab eis exquisivit. Quemadmodum Moyses in Deuteronomio ait : « Hi sermones omnes quos locutus » est Dominus ad omnem synagogam filiorum Israel in » monte, et nihil adjecit : et scripsit ea in duabus tabulis » lapideis, et dedit mihi[3]; » propter hoc ut custodirent præcepta hi qui velint sequi eum. At ubi conversi sunt in vituli factionem, et reversi sunt animis suis in Ægyptum, servi pro liberis concupiscentes esse, aptam concupiscentiæ suæ acceperunt reliquam servitutem, a Deo quidem non abscindentem, in servitutis autem jugo dominantem eis : quemadmodum et Ezechiel propheta, causas talis Legis datæ reddens, ait : « Et post concupiscentiam cordis sui erant oculi » eorum, et ego dedi eis præcepta non bona, et justifica-

[1] I Cor. x, 4. — [2] *Ibid.* 11. — [3] Deut. v, 22.

nes in quibus non vivent in eis[1]. » Et Lucas autem
›hanum, qui primus in diaconium ab Apostolis electus
et primus occisus est propter Christi martyrium, sic
sse de Moyse scripsit : « Ille quidem accepit præcepta
ei vivi, dare vobis, cui noluerunt obedire patres vestri,
d abjecerunt et conversi sunt corde suo in Ægyptum,
contes ad Aaron : Fac nobis deos qui nos antecedant;
oyses enim qui eduxit nos de terra Ægypti, quid ei congerit ignoramus. Et vitulum fecerunt in diebus illis, et
btulerunt sacrificia idolo, et lætabantur in factis manuum
uarum. Convertit autem Deus, et tradidit eos servire exeritibus cœli, quemadmodum scriptum est in libro Prophearum : Numquid sacrificia et oblationes obtulistis mihi
innis quadraginta in Eremo, domus Israel? et accepistis
abernaculum Moloch, et stellam Dei Rempham, figuras
quas fecistis, adorare eas[2]; » manifeste significans, quoiam non ab altero Deo talis illis data Lex est, sed ab eodem
iso, apta illorum servituti. Quapropter et in Exodo ad Moyem dicit : « Emittam ante te Angelum meum : non enim
ascendam tecum, quoniam populus duræ cervicis es[3]. »

II. Et non solum hoc, sed et præcepta quædam a Moyse
osita eis propter duritiam illorum, et quod nollent esse
subjecti, manifestavit Dominus, cum dixissent ei : « Quare
ergo Moyses præcepit dare libellum repudii, et remittere
uxorem? » dicens eis : « Hæc vobis propter duritiam cordis vestri permisit; ab initio autem non ita factum est[4]? »
Moysem quidem excusans, quasi fidelem servum, unum
autem, qui ab initio masculum et feminam fecit, Deum
confitens; illos autem arguens tanquam duros et non subjectos. Et propter hoc aptum duritiæ eorum repudii præceptum a Moyse acceperunt. Et quid dicimus de veteri Tes-

[1] Ezech. xx, 24. — [2] Act. vii, 38 et seqq. — [3] Exod. xxxiii, 2, 3. —
[4] Matth. xix, 7, 8.

tamento hæc? quandoquidem et in novo Apostoli hoc idem facientes inveniuntur propter prædictam causam, statim dicente Paulo : « Hæc autem ego dico, non Dominus[1]. » Et iterum : « Hoc autem dico secundum indulgentiam, non » secundum præceptum[2]. » Et iterum : « De virginibus au- » tem præceptum Domini non habeo; consilium autem do, » tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut fidelis » sim[3]. » Sed et alio loco ait : « Ne tentet vos Satanas prop- » ter incontinentiam vestram[4]. » Si igitur et in novo Testamento quædam præcepta secundum ignoscentiam Apostoli concedentes inveniuntur, propter quorumdam incontinentiam, ut non obdurati tales, in totum desperantes salutem suam, apostatæ fiant a Deo; non oportet mirari, si et in veteri Testamento idem Deus tale aliquid voluit fieri pro utilitate populi, illiciens eos per prædictas observationes, ut per eas salutem Decalogi observantes sint et detenti ab eo non reverterentur ad idololatriam, nec apostatæ fierent a Deo, sed toto corde discerent diligere eum. Si autem quidam, propter inobedientes Israelitas et perditos, infirmum dicunt Legis doctorem, invenient in ea vocatione quæ est secundum nos, multos quidem vocatos, paucos vero electos; et intrinsecus lupos, a foris vero indutos pelles ovium : et id quod erat semper liberum et suæ potestatis in homine, semper servasse Deum, et suam exhortationem; ut juste judicentur qui non obediunt ei, quoniam non obedierunt; et qui obedierunt et crediderunt ei, honorentur incorruptibilitate.

[1] I Cor. VII, 12. — [2] *Ibid.* 6. — [3] *Ibid.* 25. — [4] *Ibid.* 5.

CAPUT XVI.

circumcisionis, nec aliarum cæremoniarum legalium virtute illatam esse perfectam justitiam : atque abrogata hæc a Christo isse, vigente semper, imo invalescente, qua nunquam non a-ricti fuerunt homines, Decalogi lege.

. Quoniam autem et circumcisionem non quasi consumtricem justitiæ, sed in signo eam dedit Deus ut cognosile perseveret genus Abrahæ, ex ipsa Scriptura discimus. Dixit iterum, inquit, Deus ad Abraham : Circumcidetur mne masculinum vestrum, et circumcidetis carnem præutii vestri, in signo testamenti inter me et vos[1]. » Hoc em de sabbatis Ezechiel propheta ait : « Et sabbata mea dedi eis, ut sint in signo inter me et ipsos, ut sciant quoniam ego Dominus, qui sanctifico eos[2]. » Et in Exodo eus ait ad Moysem : « Et sabbata mea observabitis : erit enim signum apud me vobis in generationes vestras[3]. » n signo ergo data sunt hæc : non autem sine symbolo rant signa, id est, sine argumento, neque otiosa, tanquam uæ a sapiente artifice darentur; sed secundum carnem ircumcisio circumcisionem significabat spiritualem. Etnim « nos, ait Apostolus, circumcisi sumus circumcisione non manufacta[4]. » Et Propheta ait : « Circumcidite duritiam cordis vestri[5]. » Sabbata autem perseverantiam totius diei erga Deum deservitionis edocebant. « Æstimati enim sumus, ait Apostolus Paulus, tota die ut oves occisionis[6]; » scilicet consecrati, et ministrantes omni tempore fidei nostræ, et perseverantes ei, et abstinentes ab omni avaritia, non acquirentes nec possidentes thesauros in terra. Manifestabatur autem et tanquam de ea quæ facta

[1] Gen. xvii, 9 et seqq. — [2] Ezech. xx, 12. — [3] Exod. xxxi, 13. — [4] Coloss. ii, 11. — [5] Deut. x, 16. — [6] Rom. viii, 36.

sunt, requietio Dei, hoc est, regnum, in quo requiescens homo ille qui perseveraverit Deo assistere, participabit de mensa Dei.

II. Et quia non per hæc justificabatur homo, sed in signo data sunt populo, ostendit, quod ipse Abraham sine circumcisione, et sine observatione sabbatorum, « credidit » Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei » vocatus est[1]. » Sed et Lot sine circumcisione eductus est de Sodomis, percipiens salutem a Deo. Item Deo placens Noe cum esset incircumcisus, accepit mensuras mundi secundæ generationis. Sed et Enoch sine circumcisione placens Deo, cum esset homo, legatione ad Angelos fungebatur, et translatus est, et conservatur usque nunc testis justi judicii Dei : quoniam Angeli quidem transgressi deciderunt in terram in judicium; homo autem placens, translatus est in salutem. Sed et reliqua autem omnis multitudo eorum qui ante Abraham fuerunt justi, et eorum Patriarcharum qui ante Moysem fuerunt, et sine his quæ prædicta sunt, et sine lege Moysi justificabantur. Quemadmodum et ipse Moyses in Deuteronomio ait ad populum : « Dominus Deus tuus » testamentum disposuit in Horeb : et non patribus vestris » disposuit Dominus testamentum hoc, sed ad vos[2]. »

III. Quare igitur patribus non disposuit Dominus testamentum? Quia « lex non est posita justis[3]; » justi autem patres virtutem Decalogi conscriptam habentes in cordibus et animabus suis, diligentes scilicet Deum qui fecit eos, et abstinentes erga proximum ab injustitia : propter quod non fuit necesse admoneri eos correptoriis litteris, quia habebant in semetipsis justitiam Legis. Cum autem hæc justitia et dilectio, quæ erat erga Deum, cessit in oblivionem, et exstincta esset in Ægypto, necessario Deus propter multam suam erga homines benevolentiam semetipsum ostendebat per

[1] Jacob. II, 23. — [2] Deut. v, 2, 3. — [3] I Tim. I, 9.

m, et eduxit de Ægypto populum in virtute, uti rursus et homo discipulus et sectator Dei; et affligebat indicto ientes, ut non contemnerent eum qui se fecit; et manna ivit eum, uti rationalem acciperent escam, quemadmo-a et Moyses in Deuteronomio ait: « Et cibavit te manna, od non sciebant patres tui, uti cognoscas quoniam non pane solo vivit homo, sed in omni verbo Dei, quod pro-edit de ore ejus, vivit homo [1]. » Et erga Deum dilectio-n præcipiebat, et eam quæ ad proximum est justitiam inuabat, ut nec injustus, nec indignus sit Deo; præstruens minem per Decalogum in suam amicitiam, et eam quæ ca proximum est concordiam (quæ quidem ipsi prode-nt homini); nihil tamen indigente Deo ab homine.

IV. Propter hoc Scriptura ait: « Hos sermones locutus est Dominus ad omnem synagogam filiorum Israel in monte, et nihil adjecit [2]; » nihil enim, quemadmodum præ-iximus, indigebat ab eis. Et iterum Moyses ait: « Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus postulat a te, nisi timere Dominum Deum tuum, ambulare in omnibus viis ejus, et diligere eum, et servire Domino Deo tuo ex toto corde tuo, et ex tota anima tua [3]? » Hæc autem gloriosum qui-lem faciebant hominem, id quod deerat ei implentia, id st, amicitiam Dei; Deo autem præstabant nihil: nec enim ndigebat Deus dilectione hominis. Deerat autem homini gloria Dei, quam nullo modo poterat percipere, nisi per eam obsequentiam quæ est erga Deum. Et propter hoc ite-rum Moyses ait eis: « Elige vitam, ut vivas tu et semen tuum, diligere Dominum Deum tuum, exaudire vocem ejus, et apprehendere eum: quoniam hæc est vita tua, et longitudo dierum tuorum [4]. » In quam vitam præstruens hominem, Decalogi quidem verba ipse per semetipsum omnibus similiter Dominus locutus est: et ideo similiter per-

[1] Deut. VIII, 3. — [2] Deut. V, 22. — [3] Deut. X, 12. — [4] Deut. XXX, 19, 20.

manent apud nos, extensionem et augmentum, sed non dissolutionem accipientia per carnalem ejus adventum.

V. Servitutis autem præcepta separatim per Moysem præcepit populo, apta illorum eruditioni; quemadmodum ipse Moyses ait : « Et mihi præcepit Dominus in tempore illo, di» cere vobis justificationes et judicia [1]. » Hæc ergo, quæ in servitutem et in signum data sunt illis, circumscripsit novo libertatis Testamento. Quæ autem naturalia, et liberalia, et communia omnium, auxit et dilatavit, sine invidia largiter donans hominibus per adoptionem, Patrem scire Deum, et diligere eum ex toto corde, et sine adversatione sequi ejus Verbum, non tantum abstinentes a malis operationibus, sed etiam a concupiscentiis earum. Auxit autem etiam timorem: filios enim plus timere oportet quam servos, et majorem dilectionem habere in patrem. Et propter hoc ait Dominus: « Omnem sermonem otiosum quem locuti fuerint homines, » reddent pro eo rationem in die judicii [2]; » et : « Qui vide» rit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est » eam in corde suo [3]; » et : « Qui irascitur fratri suo sine » causa, reus erit judicio [4]; » ut sciamus, quoniam non solum factorum reddemus rationem Deo, ut servi, sed etiam sermonum et cogitationum, tanquam qui et libertatis potestatem acceperimus : in qua magis probatur homo, si revereatur, et timeat, et diligat Dominum. Et propter hoc Petrus ait, « non velamentum malitiæ habere nos liberta» tem [5], » sed ad probationem et manifestationem fidei.

[1] Deut. IV, 14. — [2] Matth. XII, 36. — [3] Matth. V, 28. — [4] *Ibid.* 22. — [5] 1 Pet. II, 16.

CAPUT XVII.

...um veteribus et typicis oblationibus ac sacrificiis non indiguisse, ...nec per ea homines veram justitiam consequi potuisse. Idcirco ...is abrogatis novum ac verum novi Testamenti sacrificium ipsius ...corporis ac sanguinis Christi institutum fuisse, toto orbe nomini Domini offerendum.

I. Quoniam autem non indigens Deus servitute eorum, ...d propter ipsos quasdam observantias in Lege præceperit, ...enissime Prophetæ indicant. Et rursus quoniam non in...get Deus oblatione eorum, sed propter ipsum qui offe...t, hominem, manifeste Dominus docuit, quemadmodum ...stendimus. Si quando enim negligentes eos justitiam, et ...bstinentes a dilectione Dei videbat, per sacrificia autem ...t reliquas typicas observantias putantes propitiari Deum, ...icebat eis Samuel quidem sic : « Non vult Deus holocausta et sacrificia, sed vult exaudiri vocem suam. Ecce, » auditus bonus super sacrificium, et auditus super adipem » arietum [1]. » David autem ait : « Sacrificium et oblationem » noluisti; aures autem perfecisti mihi : holocausta etiam » pro delicto non postulasti [2]. » Docens eos quoniam obauditionem vult Deus, quæ servat eos, quam sacrificia et holocaustomata, quæ nihil eis prosunt ad justitiam : et novum simul prophetans Testamentum. Manifestius autem adhuc in quinquagesimo Psalmo de his ait : « Quoniam si » voluisses sacrificium, dedissem utique : holocaustis non » delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor » contritum et humiliatum Dominus non spernet [3]. » Quoniam ergo nihil indiget Deus, in eo qui est ante hunc Psalmo ait : « Non accipiam de domo tua vitulos, nec de » gregibus tuis hircos. Quoniam meæ sunt omnes bestiæ

[1] 1 Reg. xv, 22. — [2] Psal. xxxix, 7. — [3] Psal. l, 18, 19.

» terræ, jumenta in montibus et boves : cognovi omnia » volatilia cœli, et species agri mecum est. Si esuriero, » non dicam tibi : meus est enim orbis terræ, et plenitudo » ejus. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sangui- » nem hircorum potabo[1]? » Deinde ne quis putet, propterea quod irasceretur, eum recusare hæc, infert, consilium ei dans : « Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo » vota tua, et invoca me in die tribulationis tuæ, et eripiam » te, et glorificabis me[2]; » illa quidem, per quæ putabant peccantes propitiari Deum, abnuens : hæc autem per quæ justificatur homo, et appropinquat Deo, hortatur et admonet. Hoc idem autem et Esaias ait : « Quo mihi multitu- » dinem sacrificiorum vestrorum? dicit Dominus. Plenus » sum[3]. » Et cum abnuisset holocaustomata, et sacrificia, et oblationes, etiam et neomenias, et sabbata, et ferias, et reliquam universam consequentem his observationem, intulit, suadens eis quæ salutaria sunt : « Lavamini, mundi es- » tote, auferte nequitias a cordibus vestris ab oculis meis : » desinite a malitiis vestris, discite bonum facere, exquirite » judicium, eruite eum qui injuriam patitur, judicate pu- » pillo, et justificate viduam, et venite, disputemus, dicit » Dominus[4]. »

II. Non enim sicut homo motus, ut multi audent *dicere*, divertit eorum sacrificia; sed miserans eorum cæcitati, et verum sacrificium insinuans, quod offerentes propitiabuntur Deum, ut ab eo vitam percipiant. Quemadmodum alibi ait : « Sacrificium Deo cor contribulatum; odor suavitatis » Deo, cor clarificans eum qui plasmavit. » Si enim irascens abnueret hæc eorum sacrificia, tanquam qui indigni essent consequi misericordiam ejus, non utique eisdem ipsis suaderet per quæ salvari possent. Sed quoniam Deus mi-

[1] Psal. XLIX, 9 et seqq. — [2] *Ibid.* 14, 15. — [3] Esai. I, 11. — [4] *Ibid.* 16 et seqq.

cors est, non abscidit eos a bono consilio. Nam per Je-iam cum dixisset : « Quo mihi thus de Saba affertis, et nnamomum de terra longinqua? holocaustomata et crificia vestra non delectaverunt me [1], » intulit : « Au-te sermonem Domini, omnis Juda. Hæc dicit Dominus eus Israel : Dirigite vias vestras et studia vestra, et con-tituam vos in loco isto. Ne confisi fueritis vobismet in ermonibus mendacibus, quoniam in totum non prode-unt vobis, dicentes : Templum Domini, templum Do-mini est [2]. »

III. Et iterum significans, quoniam non propter hoc luxit eos de Ægypto, ut sacrificia ei offerant, sed ut obliti lololatriæ Ægyptiorum, audire vocem Domini possent, quæ rat eis salus et gloria, per eumdem Jeremiam ait : « Hæc dicit Dominus : Holocaustomata vestra colligite cum sa-crificiis vestris, et manducate carnes. Quoniam non sum locutus ad patres vestros, nec de holocaustomatibus et » sacrificiis præcepi eis, qua die eduxi eos de Ægypto; sed » sermonem hunc præcepi eis, dicens : Audite vocem meam, » et ero Deus vester, et vos eritis populus meus, et ambulate » in omnibus viis meis, quascumque præcepero vobis, ut » bene sit vobis. Et non obaudierunt, nec intenderunt; sed » ambulaverunt in cogitationibus cordis malitiæ suæ, et facti » sunt retrorsum, et non ad priora [3]. » Et iterum per eum-dem ipsum dicens : « Sed in hoc glorietur qui gloriatur, in-» telligere et scire quoniam ego sum Dominus, qui facio » misericordiam, et justitiam, et judicium in terra, » intu-lit : « Quoniam in his voluntas mea est, dicit Dominus [4]; » sed non in sacrificiis, nec in holocaustomatibus, nec in ob-lationibus. Non enim principaliter hæc, sed secundum con-sequentiam, et propter prædictam causam habuit populus,

[1] Jerem. VI, 20. — [2] Jerem. VII, 2, 3. — [3] *Ibid.* 21 et seqq. — [4] Jerem. IX, 24.

sicut iterum Esaias ait: « Non mihi oves holocaustomatis » tui, nec in sacrificiis tuis clarificasti me: non servisti mihi » in sacrificiis, nec aliquid laboriose fecisti in thure: nec » mercatus es mihi argento incensum, nec adipem sacrifi- » ciorum tuorum concupivi; sed in peccatis tuis et ini- » quitatibus tuis ante me stetisti [1]. Super quem igitur, ait, » aspiciam, nisi super humilem, et quietum, et trementem » sermones meos [2]? Non enim adipes et carnes pingues au- » ferent a te injustitias tuas [3]. Hoc est jejunium quod ego » elegi, dicit Dominus. Solve omnem nodum injustitiæ, » dissolve connexus violentium commerciorum, dimitte » quassatos in requiem, et omnem conscriptionem injus- » tam conscinde. Frange esurienti panem tuum ex animo, » et peregrinum sine tecto induc in domum tuam. Si vide- » ris nudum, cooperi eum, et domesticos seminis tui non » despicies. Tunc erumpet matutinum lumen tuum, et sa- » nitates tuæ citius orientur, et præcedet ante te justitia, » et gloria Domini circumdabit te: et adhuc te loquente » dicam, Ecce adsum [4]. » Et Zacharias autem in duodecim Prophetis, significans eis voluntatem Dei, ait: « Hæc dicit » Dominus omnipotens: Judicium justum judicate, pieta- » tem et misericordiam facite unusquisque ad fratrem suum. » Viduam, et orphanum, et proselytum, et pauperem nolite » opprimere, et unusquisque malitiæ fratris sui non remi- » niscatur in corde suo [5]. » Et iterum: « Hi sunt, inquit, » sermones quos facietis. Loquimini veritatem unusquisque » ad proximum suum, et judicium pacificum judicate in » portis vestris; et unusquisque malitiam fratris sui non » recogitet in corde suo; et jurationem falsam ne dilexe- » ritis: quoniam hæc omnia odi, dicit Dominus omnipo- » tens [6]. » Et David autem similiter: « Quis est, inquit,

[1] Esai. XLIII, 23. — [2] Esai. LXVI, 2. — [3] Jerem. XI, 15. — [4] Esai. LVIII, 6 et seqq. — [5] Zachar. VII, 9, 10. — [6] Zachar. VIII, 16, 17.

mo qui vult vitam, et amat videre dies bonos? Cohibe guam tuam a malo, et labia tua, ne loquantur dolum. clina a malo, et fac bonum : inquire pacem, et sequere m [1]. »

V. Ex quibus omnibus manifestum est, quia non sacri- a et holocaustomata quærebat ab eis Deus, sed fidem, bedientiam, et justitiam, propter illorum salutem. Sicut Osee propheta docens eos Deus suam voluntatem, dice- : « Misericordiam volo plus quam sacrificium, et agni- ionem Dei super holocaustomata [2]. » Sed et Dominus ster eadem monebat eos, dicens : « Si enim cognovis- etis quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium ; nunquam condemnassetis innocentes [3] : » testimonium idem reddens Prophetis, quoniam veritatem prædicabant ; los autem arguens sua culpa insipientes.

V. Sed et suis discipulis dans consilium, primitias Deo fferre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec nfructuosi nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est ccepit, et gratias egit, dicens : « Hoc est meum corpus [4]. » Et calicem similiter, qui est ex ea creatura quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi Testamenti novam docuit oblationem ; quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in novo Testamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificavit : « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omni- » potens, et sacrificium non accipiam de manibus vestris. » Quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum » clarificatur inter gentes, et in omni loco incensum offer- » tur nomini meo, et sacrificium purum : quoniam magnum » est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipo-

[1] Psal. XXXIII, 13, 14. — [2] Ose. VI, 6. — [3] Matth. XII, 7. — [4] Matth. XXVI, 26 et seqq.

» tens[1]; » manifestissime significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo; omni autem loco sacrificium offeretur ei, et hoc purum; nomen autem ejus glorificatur in gentibus.

VI. Quod est autem aliud nomen quod in gentibus glorificatur, quam quod est Domini nostri, per quem glorificatur Pater, et glorificatur homo? Et quoniam proprii Filii ejus est, et ab eo factus est homo, suum illum vocat. Quemadmodum si quis rex ipse filii sui pingat imaginem, juste suam illam dicit imaginem secundum utrumque, quoniam et filii ejus est, et quoniam ipse fecit eam : sic et Jesu Christi nomen, quod per universum mundum glorificatur in Ecclesia, suum esse confitetur Pater, et quoniam Filii ejus est, et quoniam ipse scribens id, ad salutem dedit hominum. Quoniam ergo nomen Filii proprium Patris est, et in Deo omnipotente per Jesum Christum offert Ecclesia, bene ait secundum utraque : « Et in omni loco incensum offertur » nomini meo, et sacrificium purum [2]. » *Incensa autem* Joannes in Apocalypsi, « orationes *esse ait* sanctorum[3]. »

CAPUT XVIII.

In sola Ecclesia Catholica cum simplicitate et justitia offerri verum ac purum sacrificium, Eucharistiam videlicet, quæ est ipsum corpus et sanguis Christi.

I. Igitur Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium *reputatum* est apud Deum, et acceptum est ei : non quod indigeat a nobis sacrificium, sed quoniam is qui offert, glorificatur ipse in eo quod offert, si acceptetur munus ejus. Per munus enim erga regem, et honos et affectio ostenditur : quod in omni simplicitate et innocentia Dominus volens nos offerre, prædi-

[1] Malach. I, 10, 11. — [2] *Ibid.* 11. — [3] Apoc. V, 8.

t dicens : « Cum igitur offers munus tuum ad altare, et
cordatus fueris quoniam frater tuus habet aliquid ad-
rsum te, dimitte munus tuum ante altare, et vade pri-
um reconciliari fratri tuo, et tunc reversus offeres munus
um [1]. » Offerre igitur oportet Deo primitias ejus crea-
æ, sicut et Moyses ait : « Non apparebis vacuus ante
nspectum Domini Dei tui [2]; » ut in quibus gratus exstitit
no, in his gratus eis deputatus, eum qui est ab eo per-
iat honorem.

I. Et non genus oblationum reprobatum est; oblationes
m et illic, oblationes autem et hic : sacrificia in populo,
rificia in Ecclesia : sed species immutata est tantum,
ippe cum jam non a servis, sed a liberis offeratur. Unus
im et idem Dominus; proprium autem character servilis
lationis, et proprium liberorum, uti et per oblationes
tendatur indicium libertatis. Nihil enim otiosum, nec sine
gno, neque sine argumento apud eum. Et propter hoc illi
idem decimas suorum habebant consecratas : qui autem
erceperunt libertatem, omnia quæ sunt ipsorum ad domi-
icos decernunt usus, hilariter et libere dantes ea, non quæ
unt minora, utpote majorum spem habentes; vidua illa et
aupere hic totum victum suum mittente in gazophylacium
ei.

III. Ab initio enim respexit Deus ad munera Abel, quo-
iam cum simplicitate et justitia offerebat : super sacrificium
utem Cain non respexit, quoniam cum zelo et malitia, quæ
rat adversus fratrem, divisionem habebat in corde, quem-
dmodum occulta ejus arguens Deus ait : « Nonne si recte
offeras, recte autem non dividas, peccasti? quiesce [3] : »
uoniam non sacrificio placatur Deus. Si enim quis solum-
nodo secundum quod videtur, munde, et recte, et legitime
fferre tentaverit; secundum autem suam animam non recte

[1] Matth. v, 23, 24. — [2] Deut. xvi, 16. — [3] Gen. iv, 7.

dividat eam quæ est ad proximum communionem, neque timorem habeat Dei; non per id quod recte foris oblatum est sacrificium, seducit Deum, intus habens peccatum; nec oblatio talis proderit ei aliquid, sed cessatio mali, quod est intus conceptum, ne per assimulatam operationem, magis autem peccatum ipsum, sibi homicidam faciat hominem. Propter quod et dicebat Dominus: « Væ vobis, Scribæ et » Pharisæi hypocritæ! quoniam similes estis monumentis » dealbatis. Foris enim sepulcrum apparet formosum; intus » autem plenum est ossibus mortuorum, et universa im- » munditia : sic et vos a foris quidem apparetis hominibus » quasi justi, intus autem pleni estis malitia et hypocrisi [1]. » Cum a foris enim recte offerre putarentur, similem zelum Cain habebant in semetipsis : propter quod et occiderunt justum, prætermittentes consilium Verbi, quemadmodum et Cain. Illi enim ait : *Quiesce;* et non assensit. Quiescere autem quid est aliud, quam desinere a proposito impetu? Et his similia dicens: « Pharisæe, inquit, cæce, emunda » quod est intus calicis, ut fiat et quod foris est, mundum [2]. » Et non audierunt. « Ecce *enim,* ait Jeremias, non sunt » oculi tui nec cor tuum bonum; sed in cupiditate tua, et » ad sanguinem justum, ut effundas eum, et ad injustitiam, » et ad homicidium, ut facias [3]. » Et iterum Esaias : « Fe- » cistis, inquit, consilium, non per me; et testamentum, » non per spiritum meum [4]. » Ut igitur interior eorum voluntas et cogitatio ad manifestum producta, sine culpa et malum non operantem ostendat esse Deum, eum qui absconsa manifestat, sed non qui malum operetur; cum minime quiesceret Cain; ait ei : « Ad te conversio ejus, et tu » dominaberis ejus [5]. » Pilato quoque similiter dicebat : « Nullam haberes potestatem in me, nisi datum tibi fuis-

[1] Matth. XXIII, 27, 28.— [2] *Ibid.* 26. — [3] Jerem. XXII, 17. — [4] Esai. XXX, 1. — [5] Gen. IV, 7.

desuper[1]; » concedente Deo semper justum, ut hic
em ex his quæ passus est et sustinuit, probatus reci-
ur; qui autem malignatus est, ex his quæ egit, adjudi-
s expellatur. Igitur non sacrificia sanctificant homi-
; non enim indiget sacrificio Deus : sed conscientia
qui offert sanctificat sacrificium, pura existens, et
stat acceptare Deum quasi ab amico. « Peccator autem,
quit, qui occidit mihi vitulum, quasi occidat canem[2]. »
V. Quoniam igitur cum simplicitate Ecclesia offert,
te munus ejus purum sacrificium apud Deum deputa-
n est. Quemadmodum et Paulus Philippensibus ait :
tepletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ a vobis
nissa sunt, odorem suavitatis, hostiam acceptabilem,
lacentem Deo[3]. » Oportet enim nos oblationem Deo fa-
re, et in omnibus gratos inveniri fabricatori Deo, in sen-
ntia pura et fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilec-
one ferventi, primitias earum quæ sunt ejus, creatura-
um offerentes. Et hanc oblationem Ecclesia sola puram
ffert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex
reatura ejus. Judæi autem non offerunt : manus enim
orum sanguine plenæ sunt : non enim receperunt Ver-
bum, quod offertur Deo. Sed neque omnes hæretico-
um synagogæ. Alii enim alterum præter fabricatorem di-
entes Patrem, ea quæ secundum nos creata sunt, offerentes
ei, cupidum alieni ostendunt eum, et aliena concupiscen-
tem. Qui vero ex defectione, et ignorantia, et passione di-
cunt facta ea quæ sunt secundum nos, ignorantiæ, passio-
nis, et defectionis fructus offerentes, peccant in Patrem
suum, contumeliam facientes magis ei, quam gratias agen-
tes. Quomodo autem constabit eis, eum panem in quo gra-
tiæ actæ sint, corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis
ejus, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant, id est,

[1] Joan. xix, 11. — [2] Esai. lxvi, 3. — [3] Philip. iv, 18.

Verbum ejus, per quod lignum fructificat, et defluunt fontes, et terra dat primum quidem fœnum, post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica?

V. Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quæ corpore Domini et sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo quæ prædicta sunt. Nostra autem consonans est sententia Eucharistiæ, et Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus enim ei quæ sunt ejus, congruenter communicationem et unitatem prædicantes carnis et Spiritus. Quemadmodum enim qui est a terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et cœlesti : sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.

VI. Offerimus enim ei, non quasi indigenti, sed gratias agentes dominationi ejus, et sanctificantes creaturam. Quemadmodum enim Deus non indiget eorum quæ a nobis sunt, sic nos indigemus offerre aliquid Deo; sicut Salomon ait : « Qui miseretur pauperi, fœnerat Deo[1]. » Qui enim nullius indigens est Deus, in se assumit bonas operationes nostras, ad hoc ut præstet nobis retributionem bonorum suorum, sicut Dominus noster ait : « Venite, benedicti Patris mei, » percipite præparatum vobis regnum. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare : sitivi, et potastis me : hospes fui, » et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et » visitastis me; in carcere, et venistis ad me[2]. » Sicut igitur non his indigens, vult tamen a nobis propter nos fieri, ne simus infructuosi : ita id ipsum Verbum dedit populo præceptum faciendarum oblationum, quamvis non indigeret eis, ut discerent Deo servire; sic et ideo nos quoque

[1] Prov. xix, 17. — [2] Matth. xxv, 34 et seqq.

re vult munus ad altare frequenter sine intermissione. rgo altare in cœlis (illuc enim preces nostræ, et oblas diriguntur); et templum, quemadmodum Joannes pocalypsi ait : « Et apertum est templum Dei[1]; » et rnaculum : « Ecce enim, inquit, tabernaculum Dei, in › habitabit cum hominibus[2]. »

CAPUT XIX.

ena quidem cœlestium typos esse posse : sed ipsa cœlestia aliaim rerum supernarum et ignotarum typos, aut Deum nobis nom alterius ignoti typum sine insania dici non posse.

. Munera autem, et oblationes, et sacrificia omnia in o populus accepit, quemadmodum ostensum est Moysi monte, ab uno et eodem Deo cujus et nunc in Ecclesia rificatur nomen in omnibus gentibus. Sed terrena quin, quæ sunt erga nos disposita, congruit typos esse eon quæ sunt cœlestia, ab eodem tamen Deo facta. Nec im aliter poterat assimilare spiritualium imaginem. Quæ tem supercœlestia et spiritualia sunt, et quantum ad nos ectat invisibilia et inenarrabilia, typos rursus alterorum elestium dicere, et alterius Pleromatis, et Deum alterius tris imaginem esse; et errantium est a veritate, et omniodo stultorum et hebetum. Coguntur enim hi tales, quemlmodum sæpenumero ostendimus, semper typos typorum, imagines imaginum adinvenire, et nunquam figere anium suum in uno et vero Deo. Supra enim Deum factæ nt cogitationes ipsorum, supergressi cordibus suis ipsum agistrum, suspicione quidem superelati et supergressi, vetate autem declinantes a vero Deo.

II. Ad quos juste quis dicat, quemadmodum ipse sermo iggerit : Quatenus super Deum extollitis cogitationes ves-

[1] Apoc. xi, 19. — [2] Apoc. xxi, 3.

tras, inconsiderate elati? Audistis « mensos esse cœlos in » palmā[1]; » dicite mihi mensuram, et enarrate multitudinem cubitorum innumerabilem : exponite mihi plenitudinem, latitudinem, et longitudinem, et altitudinem, circummensurationis initium et finem, quæ non intelligit cor hominis; et non comprehendit ea. Vere enim magna sunt thesaurophylacia cœlestia : immensurabilis est in corde Deus, et incomprehensibilis in animo, qui comprehendit terram pugillo. Quis respicit mensuram dexteræ ejus? Digitum quis cognoscit; aut manum ejus quis intelligit, eam quæ mensurat immensa, eam quæ tendit mensura sua mensuram cœlorum, et constringit pugillo terram cum abyssis, quæ in se continet latitudinem, et longitudinem, et profundum deorsum, et altitudinem supernam universæ conditionis, quæ videtur, quæ auditur et intelligitur, et quæ invisibilis est? Et propter hoc « super omne initium, et potestatem, » et dominationem, et omne nomen quod nominatur[2] » omnium quæ facta sunt et condita sunt, existens Deus. Ipse est qui cœlos implet, et perspicit abyssos, qui est et cum unoquoque nostrum : « Deus, enim inquit, appropinquans » ego sum, et non Deus de longinquo. Si absconditur homo » in absconsis, et ego eum non videbo[3]? » Manus enim ejus apprehendit omnia : et ipsa est quæ cœlos quidem illuminat, illuminat etiam quæ sub cœlo sunt, et scrutatur renes et corda, et in absconsis inest, et in secretis nostris, et in manifesto alit et conservat nos.

III. Si autem plenitudinem et magnitudinem manus ejus non comprehendit homo, quemadmodum poterit quis intelligere aut cognoscere in corde tam magnum Deum? Quem quasi jam mensi sint et perspexerint, et universum eum decurrerint, super eum esse aliud Pleroma Æonum confingunt, et alterum Patrem; ad cœlestia quidem non suspi-

[1] Esai. XL, 12. — [2] Ephes. I, 21. — [3] Jerem. XXIII, 23.

ntes, vere autem in profundum Bythum dementiæ des-
ıdentes : Patrem quidem dicentes suum finiri usque ad
quæ sunt extra Pleroma, Demiurgum vero rursum non
ingere usque ad Pleroma : et sic neutrum eorum ponunt
;e perfectum et comprehendentem omnia. Deerit enim
quidem universa, quæ est extra Pleroma, mundi fabri-
tio; huic autem quæ est intra Pleroma, fabricatio, et neu-
r eorum erit omnium Deus. Quoniam autem magnitudi-
:m Dei ex his quæ facta sunt nemo enarrare potest, hoc
nnibus manifestum est : et quoniam magnitudo ejus non
eficit, sed omnia continet, et pervenit usque ad nos, et no-
iscum est, omnis quicumque digne Deo sapit, confitebitur.

CAPUT XX.

'num Deum per Verbum et Spiritum sanctum omnia quæ in mundo sunt condidisse : atque invisibilem licet in hac vita, et incomprehensibilem, non tamen ignotum esse; utpote quem opera prædicent, et cujus Verbum multis modis semper videndum se et cognoscendum præbuerit.

I. Igitur secundum magnitudinem non est cognoscere Deum; impossibile est enim mensurari Patrem : secundum autem dilectionem ejus (hæc est enim quæ nos per Verbum ejus perducit ad Deum) obedientes ei, semper discimus quoniam est tantus Deus, et ipse est qui per semetipsum constituit, et elegit, et adornavit, et continet omnia : in omnibus autem et hunc mundum, qui est secundum nos. Et nos igitur, cum his quæ continentur, ab eo facti sumus. Et hic est de quo Scriptura ait : « Et plasmavit Deus hominem, limum terræ accipiens, et insufflavit in faciem ejus » flatum vitæ[1]. » Non ergo Angeli fecerunt nos, nec nos plasmaverunt, nec Angeli potuerunt imaginem facere Dei; nec alius quis præter Verbum Domini, nec Virtus longe

[1] Gen. II, 7.

absistens a Patre universorum. Nec enim indigebat horum Deus, ad faciendum quæ ipse apud se prædefinierat fieri, quasi ipse suas non haberet manus. Adest enim ei semper Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus, per quos, et in quibus omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur, dicens : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram[1] ; » ipse a semetipso substantiam creaturarum, et exemplum factorum, et figuram in mundo ornamentorum accipiens.

II. Bene ergo pronuntiavit Scriptura quæ dicit : « Primo » omnium crede, quoniam unus est Deus, qui omnia constituit et consummavit ; et fecit ex eo quod non erat, ut » essent omnia : omnium capax, et qui a nemine capiatur[2]. » Bene autem et in Prophetis Malachias ait : « Nonne unus » Deus qui constituit nos ? Nonne Pater unus est omnium » nostrum[3] ? » Consequenter autem et Apostolus ait : « Unus » Deus, inquit, Pater, qui super omnes, et in omnibus nobis[4]. » Similiter autem Dominus : « Omnia mihi, inquit, » tradita sunt a Patre meo[5] ; » manifeste ab eo qui omnia fecit (non enim aliena, sed sua tradidit ei. In omnibus autem nihil subtractum est : et propter hoc idem est judex viventium et mortuorum, « habens clavem David : aperiet, et nemo claudet : claudet, et nemo aperiet[6]. » Nemo enim alius poterat, nec in cœlo, nec in terra, nec subtus terram aperire paternum librum, nec videre eum, nisi agnus qui occisus est et sanguine suo redemit nos) : ab eodem, qui omnia Verbo fecit, et Sapientia adornavit, accipiens omnium potestatem, quando Verbum caro factum est, ut quemadmodum in cœlis principatum habuit Verbum Dei, sic et in terra haberet principatum, quoniam homo justus, « qui peccatum non fecit, nec inventus est

[1] Gen. I, 26. — [2] Hermas, lib. II, mand. I. — [3] Malach. II, 10. — [4] Ephes. IV, 6. — [5] Matth. XI, 27. — [6] Apoc. III, 7.

us in ore ejus[1]; » principatum autem habeat eorum quæ sub terra, ipse primogenitus mortuorum factus : et ut rent omnia, quemadmodum prædiximus, suum Regem; t in carne Domini nostri occurrat paterna lux, et a ie ejus rutila veniat in nos, et sic homo deveniat in in-uptelam, circumdatus paterno lumine.

[I. Et quoniam Verbum, id est, Filius, semper cum re erat, per multa demonstravimus. Quoniam autem et ientia, quæ est Spiritus, erat apud eum ante omnem stitutionem, per Salomonem ait : « Deus sapientia fun-avit terram, paravit autem cœlum prudentia. Sensu ejus byssi eruperunt, nubes autem manaverunt ros[2]. » Et sus : « Dominus creavit me principium viarum suarum a opera sua, ante sæcula fundavit me, in initio antequam erram faceret, priusquam abyssos constitueret, et prius-quam procederent fontes aquarum, antequam montes confirmarentur : ante omnes autem colles genuit me[3]. » iterum : « Cum pararet cœlum, eram cum illo, et cum firmos faceret fontes abyssi, quando fortia faciebat fun-damenta terræ, eram apud eum aptans. Ego eram cui adgaudebat, quotidie autem lætabar ante faciem ejus in omni tempore, cum lætaretur orbe perfecto, et jucunda-batur in filiis hominum[4]. »

IV. Unus igitur Deus, qui Verbo et Sapientia fecit et ap-ivit omnia : hic est autem Demiurgus, qui et mundum unc attribuit humano generi, qui secundum magnitudi-em quidem ignotus est omnibus his qui ab eo facti sunt nemo enim investigavit altitudinem ejus, nec veterum, ui quieverunt, nec eorum qui nunc sunt) : secundum au-em dilectionem cognoscitur semper, per eum per quem onstituit omnia. Est autem hic Verbum ejus, Dominus

[1] 1 Pet. II, 22. — [2] Prov. III, 19, 20. — [3] Prov. VIII, 22 et seqq. — [4] *Ibid.* 27 et seqq.

noster Jesus Christus, qui novissimis temporibus homo in hominibus factus est, ut finem conjungeret principio, id est, hominem Deo. Et propterea Prophetæ ab eodem Verbo propheticum accipientes charisma, prædicaverunt ejus secundum carnem adventum, per quem commistio et communio Dei et hominis secundum placitum Patris facta est, ab initio prænuntiante Verbo Dei, quoniam videbitur Deus ab hominibus, et conversabitur cum eis super terram, et colloqueretur, et affuturus esset suo plasmati, salvans illud, et perceptibilis ab eo, et liberans nos de manibus omnium odientium nos, hoc est, ab universo transgressionis spiritu; et faciens nos servire sibi in sanctitate et justitia omnes dies nostros, uti complexus homo Spiritum Dei, in gloriam cedat Patris.

V. Hæc prophetice significabant Prophetæ, sed non quemadmodum quidam dicunt, invisibili Patre omnium existente, alterum esse eum qui a Prophetis videretur; qui in totum, quid sit prophetia, nesciunt. Nam prophetia est prædicatio futurorum, id est, eorum quæ post erunt præsignificatio. Præsignificabant igitur Prophetæ quoniam videbitur Deus ab hominibus; quemadmodum et Dominus ait : « Beati » mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt[1]. » Sed secundum magnitudinem quidem ejus, et mirabilem gloriam, « nemo videbit Deum, et vivet[2]; » incapabilis enim Pater : secundum autem dilectionem et humanitatem, et quod omnia possit, etiam hoc concedit iis qui se diligunt, id est, videre Deum, quod et prophetabant Prophetæ. Quoniam « quæ impossibilia apud homines, possibilia apud » Deum[3]. » Homo etenim a se non videt Deum. Ille autem volens videtur hominibus quibus vult, et quando vult, et quemadmodum vult. Potens est enim in omnibus Deus : visus quidem tunc per Spiritum prophetiæ, visus autem et

[1] Matth. v, 8. — [2] Exod. xxxiii, 20. — [3] Luc. xviii, 27.

: Filium adoptive, videbitur autem et in regno cœlorum ternaliter; Spiritu quidem præparante hominem in Filio i, Filio autem adducente ad Patrem, Patre autem incorptelam donante in æternam vitam, quæ unicuique evenit eo quod videat Deum. Quemadmodum enim videntes luen, intra lumen sunt, et claritatem ejus percipiunt: sic qui vident Deum, intra Deum sunt, percipientes ejus clatatem. Vivificat autem eos claritas: percipiunt ergo vitam, ii vident Deum. Et propter hoc incapabilis, et incompreensibilis (et invisibilis), visibilem se, et comprehensibiem, et capacem hominibus præstat, ut vivificet percipiens et videntes se. Quemadmodum enim magnitudo ejus nvestigabilis est, sic et benignitas ejus inenarrabilis: per uam visus vitam præstat iis qui vident eum. Quoniam vivere sine vita impossibile est: subsistentia autem vitæ de Dei participatione evenit: participatio autem Dei est videre Deum, et frui benignitate ejus.

VI. Homines igitur videbunt Deum, ut vivant, per visionem immortales facti, et pertingentes usque in Deum. Quod, sicut prædixi, per Prophetas figuraliter manifestabatur, quoniam videbitur Deus ab hominibus qui portant Spiritum ejus, et semper adventum ejus sustinent. Quemadmodum et in Deuteronomio Moses ait: « In die ista videbimus, quoniam loquetur Deus ad hominem, et vivet[1]. » Quidam enim eorum videbant Spiritum propheticum, et operationes ejus in omnia genera charismatum effusas; alii vero adventum Domini, et eam quæ est ab initio administrationem, per quam fecit voluntatem Patris, quæ est in cœlis, et quæ est in terris; alii vero et glorias paternas temporibus aptas, et ipsis qui videbant et tunc audiebant, et hominibus qui deinceps audituri erant. Sic igitur manifestabatur Deus: per omnia enim hæc Deus Pater ostendi-

[1] Deut. v, 24.

tur, Spiritu quidem operante, Filio vero ministrante, Patre vero comprobante, homine vero consummato ad salutem. Quemadmodum et per Prophetam Osee ait : « Ego, inquit, » visiones multiplicavi, et in manibus Prophetarum assimi» latus sum[1]. » Apostolus autem idipsum exposuit, dicens : « Divisiones autem charismatum sunt, idem autem Spiri» tus : et divisiones ministeriorum sunt, et idem Dominus; » et divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui » operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur ma» nifestatio Spiritus ad utilitatem[2]. » Sed quoniam qui omnia in omnibus operatur, Deus est; *qualis* et quantus est, invisibilis et inenarrabilis est omnibus quæ ab eo facta sunt, incognitus autem nequaquam : *omnia* enim per Verbum ejus discunt, quia est unus Deus Pater, qui *continet* omnia, et omnibus esse præstat, quemadmodum in Evangelio scriptum est : « Deum nemo vidit unquam, nisi *unigenitus Filius*, » qui est in sinu Patris; ipse enarravit[3]. »

VII. Enarrat ergo ab initio Filius *Patris*, quippe qui ab initio est cum Patre, qui et visiones propheticas, et divisiones charismatum, et ministeria sua, et *Patris* glorificationem consequenter et composite ostenderit humano generi, apto tempore ad utilitatem. Ubi est enim consequentia, illic et constantia; et ubi constantia, illic et pro tempore; et ubi pro tempore, illic et utilitas : et propterea Verbum dispensator paternæ gratiæ factus est ad utili*tatem* hominum, propter quos fecit tantas dispositiones, hominibus quidem ostendens Deum, Deo autem exhibens *hominem* : et invisibilitatem quidem Patris custodiens, ne quando homo fieret contemptor Dei, et ut semper haberet ad quod proficeret; visibilem autem rursus hominibus per multas dispositiones ostendens Deum, ne in totum deficiens a Deo homo, cessaret esse. Gloria enim Dei vivens homo : vita *autem hominis*

[1] Osc. XII, 10. — [2] I Cor. XII, 4 et seqq. — [3] Joan. I, 18.

o Dei. Si enim quæ est per conditionem ostensio Dei ım præstat omnibus in terra viventibus, multo magis ea æ est per Verbum manifestatio Patris, vitam præstat his i vident Deum.

VIII. Quoniam ergo Spiritus Dei per Prophetas futura nificavit, præformans et præaptans ad id ut subditi Deo nus, futurum autem erat ut homo per sancti Spiritus neplacitum videret; necessario oportebat eos per quos tura prædicabantur, videre Deum, quem ipsi hominibus dendum intimabant : uti non solum dicatur prophetice eus, et Dei Filius, et Filius, et Pater, sed et ut videatur mnibus membris sanctificatis et edoctis ea quæ sunt Dei; t præformaretur et meditaretur homo applicari in eam loriam quæ postea revelabitur his qui diligunt Deum. Non enim solo sermone prophetabant Prophetæ, sed et isione, et conversatione, et actibus quos faciebant, secunlum id quod suggerebat Spiritus. Secundum hanc igitur ationem invisibilem videbant Deum, quemadmodum Esaias ıit : « Regem Dominum Sabaoth vidi oculis meis[1]; » significans, quoniam videbit oculis Deum homo, et vocem ejus audiet. Secundum hanc igitur rationem et Filium Dei hominem videbant conversatum cum hominibus, id quod futurum erat prophetantes, eum qui nondum aderat adesse dicentes, et impassibilem passibilem annuntiantes, et eum qui tunc in cœlis in limum mortis descendisse dicentes. Et reliquas autem ejus recapitulationis dispositiones, quasdam quidem per visiones videbant, quasdam per verbum annuntiabant, quasdam vero per operationem typice significabant; quæ quidem videnda erant, visibiliter videntes; quæ vero audienda erant, sermone præconantes; quæ vero agenda erant, operatione perficientes; universa vero prophetice annuntiantes. Propterea et Moyses transgressori quidem Legis

[1] Esai. VI, 5.

populo igneum Deum esse dicebat, igneum a Deo dictum superduci eis minitans[1]; his vero qui erga Deum timorem habebant, « Dominus Deus, dicebat, misericors, et pius, et » magnanimus, et magnæ miserationis, et verax, justitiam » servans et misericordiam in millia, auferens injustitias, » et nequitias, et peccata[2]. »

IX. Et Verbum quidem loquebatur Moysi apparens in conspectu, « quemadmodum si quis loquatur ad amicum » suum[3]. » Moyses vero cupivit manifeste videre eum qui secum loqueretur, et dictum est ei : « Sta in loco alto petræ, » et manu mea contegam super te. Quando vero transierit » claritas mea, tunc videbis quæ sunt posteriora mea ; facies » autem mea non videbitur tibi : non enim videt homo fa» ciem meam, et vivet[4] ; » utraque significans, quoniam et impossibilis est homo videre Deum, et quoniam per sapientiam Dei in novissimis temporibus videbit eum homo in altitudine petræ, hoc est, in eo qui est secundum hominem ejus adventu. Et propter hoc facie ad faciem confabulatus est cum eo in altitudine montis, assistente etiam Helia, quemadmodum Evangelium retulit[5], restituens in fine pristinam repromissionem.

X. Non igitur manifeste ipsam faciem Dei videbant Prophetæ, sed dispositiones et mysteria per quæ inciperet homo videre Deum. Quemadmodum et Heliæ dicebatur : « Exies » cras, et stabis in conspectu Domini, et ecce, Dominus » transiet : et ecce spiritus magnus et fortis, qui dissolvet » montes, et conteret petras in conspectu Domini ; et non » in spiritu Dominus : et post spiritum terræ motus ; et non » in terræ motu Dominus : et post terræ motum ignis ; et » non in igne Dominus : et post ignem vox auræ tenuis[6]. » Per hæc enim et Prophetes valde indignans propter trans-

[1] Deut. IV, 24. — [2] Exod. XXXIV 6, 7. — [3] Exod. XXXIII, 11. — [4] *Ibid.* 21 et seqq. — [5] Matth. XVII, 3. — [6] 3 Reg. XIX, 11, 12.

ssionem populi, et propter interfectionem Prophetarum, cebatur mitius agere; ac secundum hominem adventus mini significabatur futurus post illam Legem, quæ data per Moysem, mitis et tranquillus, in quo nec calamum assatum confregit, nec linum fumigans exstinxit. Ostendatur autem et regni ejus mitis et pacifica requietio. st enim spiritum qui conterit montes, et post terræ mo- um, et post ignem, tranquilla et pacifica regni ejus adveunt tempora, in quibus cum omni tranquillitate Spiritus ei vivificat et auget hominem. Manifestius autem adhuc per Ezechielem factum est, quoniam ex parte dispositioes Dei, sed non ipsum videbant Prophetæ proprie Deum. ic enim cum vidisset visionem, et Cherubim, et rotas eoum, et universæ progressionis ejus mysterium cum retuisset, et similitudinem throni cum vidisset super eos, et uper thronum similitudinem quasi figuræ hominis, et illa uidem quæ erant super lumbos ejus, quasi figuram electri, uæ autem deorsum, quasi visionem ignis, et reliquam uniersam thronorum visionem manifestans[1]; ne quis putaret forte eum in his proprie vidisse Deum, intulit : « Hæc visio » similitudinis gloriæ Domini[2]. »

XI. Igitur si neque Moyses vidit Deum, nec Helias, nec Ezechiel, qui multa de cœlestibus viderunt; quæ autem ab his videbantur, erant similitudines claritatis Domini, et prophetiæ futurorum : manifestum est, quoniam Pater quidem invisibilis, de quo et Dominus dixit : « Deum nemo vidit » unquam[3]. » Verbum autem ejus, quemadmodum volebat ipse, et ad utilitatem videntium, claritatem monstrabat Patris, et dispositiones exponebat (quemadmodum et Dominus dixit : « Unigenitus Deus, qui est in sinu Patris, ipse enarra- » vit[4]; » et ipse autem interpretatur Patris Verbum, utpote dives, et multus existens) : non in una figura, nec in uno

[1] Ezech. I, 1 et seqq. — [2] Ezech. II, 1. — [3] Joan. I, 18. — [4] *Ibid.*

characterе videbatur videntibus eum, sed secundum dispensationum ejus causas sive efficaciam, sicut in Daniele scriptum est[1]. Aliquando enim cum his qui erant circa Ananiam, Azariam, Misaelem, videbatur assistens eis in fornace ignis, et in camino, et liberans eos de igne : « Et visio, inquit, » quarti similis Filio Dei[2]. » Aliquando autem « lapis a monte » abscissus sine manibus, » et percutiens temporalia regna, et ventilans ea, et ipse replens universam terram. Rursum hic idem videtur quasi Filius hominis in nubibus cœli veniens, et appropinquans ad veterem dierum, et sumens ab eo universam potestatem, et gloriam, et regnum. « Et potestas, inquit, ejus potestas æterna, et regnum ejus non » interibit[3]. » Sed et Joannes Domini discipulus in Apocalypsi sacerdotalem et gloriosum regni ejus videns adventum : « Conversus sum, inquit, videre vocem quæ loquebatur mecum, et conversus vidi septem candelabra aurea, » et inter candelabra similem Filio hominis indutum podere, et cinctum ad mammas zonam auream. Caput autem » ejus et capilli albi, quemadmodum lana alba, quemodo » nix; et oculi ejus ut flamma ignis; et pedes ejus similes » chalcolibano, quemadmodum in camino succensus est. » Et vox ejus quasi vox aquarum, et habet stellas septem » in manu dextera sua, et de ore ejus romphæa ex utraque » parte acuta exibat, et facies ejus quemadmodum sol fulgens in virtute sua[4]. » In his enim aliquid a Patre clarum ejus significat, ut caput : aliquid vero sacerdotale, ut podere (et propter hoc Moyses secundum hunc typum vestivit Pontificem) : aliquid vero ad finem, quemadmodum chalcolibanum in camino succensum, quod est fortitudo fidei, et perseverabile orationum : propterea adveniens in fine temporum succensionis incendium. Joanne vero non sus

[1] Dan. III, 92. — [2] Dan. II, 34, 35. — [3] Dan. VII, 13, 14. — [4] Apoc. I, 12 et seqq.

ente visionem (« Cecidi *enim*, inquit, ad pedes ejus quasi nortuus[1], » ut fieret quod scriptum est : « Nemo videt)eum et vivet[2] ») et vivificans eum Verbum, et admons quoniam ipse est in cujus pectore recumbebat ad :nam, interrogans quis esset qui inciperet eum tradere, cebat : « Ego sum primus, et ego novissimus; et qui vivo, :t fui mortuus; et ecce vivo in sæcula sæculorum, et habeo claves mortis et inferorum[3]. » Et post hæc in secunda sione eumdem Dominum videns : « Vidi *enim*, inquit, in medio throni, et quatuor animalium, et in medio presbyterorum, agnum stantem quasi occisum, habentem cornua septem et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, dimissi in universam terram[4]. » Et rursum de eodem)so agno ait : « Et ecce equus albus, et qui sedebat super eum vocabatur fidelis et verus, et per justitiam judicat et pugnat, et oculi ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo scit, nisi ipse : et circumamictus vestimentum aspersum sanguine, et vocatur nomen ejus Verbum Dei. Et exercitus cœli sequebantur in equis albis, vestiti byssinum album mundum : et de ore ejus procedit romphæa acuta, ut in ea percutiat gentes : et ipse pascet eos in virga ferrea, et ipse calcat lacum vini furoris iræ Dei omnipotentis; et habet super vestitum, et super femur suum, nomen scriptum, *Rex regum et Dominus dominorum*[5]. » Sic semper /erbum Dei velut lineamenta rerum futurarum habet, et elut species dispositionum Patris hominibus ostendebat, locens nos quæ sunt Dei.

XII. Non solum autem per visiones quæ videbantur, et)er sermones qui præconabantur, sed et in operationibus /isus est Prophetis, ut per eos præfiguraret et præmonstra-

[1] Apoc. I, 17. — [2] Exod, XXXIII, 20. — [3] Apoc. I, 17, 18. — [4] Apoc. V, 6. — [5] Apoc. XIX, 11 et seqq.

ret futura. Propter quod et Osee propheta accepit *uxorem fornicationis;* per operationem prophetans, « quoniam fornicando fornicabitur terra a Domino[1], » hoc est, qui super terram sunt homines; et de hujusmodi hominibus beneplacitum habebit Deus assumere Ecclesiam sanctificandam communicatione Filii ejus, sicut et illa sanctificata est communione Prophetæ. Et propter hoc Paulus « sanctificatam » ait infidelem mulierem in viro fideli [2]. » Adhuc etiam filios suos nominavit Propheta, « Non misericordiam consecuta, *et*, Non populus [3] : » ut, quemadmodum Apostolus ait, « fiat qui non populus, populus; et ea quæ non est » misericordiam consecuta, misericordiam consecuta : et » in loco liberata in quo vocabatur non populus, ibi vocabuntur filii Dei vivi [4]. » Id quod a Propheta typice per operationem factum est, ostendit Apostolus vere factum in Ecclesia a Christo. Sic autem et Moyses Æthiopissam accipiebat uxorem, quam ipse Israelitidem fecit[5]; præsignificans quoniam oleaster inseritur in olivam, et participans pinguedinis ejus erit. Quoniam enim is qui secundum carnem natus est Christus, a populo quidem habebat inquiri ut occideretur, liberari vero in Ægypto, id est, in Gentibus, sanctificare eos qui ibi essent infantes, unde et Ecclesiam ibi perfecit (Ægyptus enim ab initio gentilis, quemadmodum et Æthiopia); propter hoc per nuptias Moysi nuptiæ Verbi ostendebantur, et per Æthiopissam conjugem, ea quæ ex Gentibus est Ecclesia manifestabatur; cui qui detrahunt, et incusant, et derident eam, non erunt mundi. Leprosi enim erunt, et abjicientur justorum castris. Sic autem et Rahab fornicaria semetipsam quidem condemnans, quoniam esset gentilis, omnium peccatorum rea, suscepit autem tres speculatores, qui speculabantur universam ter-

[1] Ose. I, 2, 3. — [2] I Cor. VII, 14. — [3] Ose. I, 6, 9. — [4] Rom. IX, 25, 26 — [5] Exod. II, 21.

ram, et apud se abscondit, Patrem scilicet et Filium cum Spiritu sancto[1]. Et cum universa civitas in qua habitabat concidisset in ruinam, canentibus septem tubicinis, in ultimis Rahab fornicaria conservata est cum universa domo sua, fide signi coccini : sicut et Dominus dicebat his qui adventum ejus non excipiebant, Pharisæis scilicet, et coccini signum nullificant, quod erat pascha, redemptio et exodus populi ex Ægypto, dicens : « Publicani et meretrices » præcedunt vos in regno cœlorum[2]. »

CAPUT XXI.

Unam et eamdem fuisse Abrahæ fidem et nostram : hanc vero veterum Patriarcharum et dictis et factis præsignificatam fuisse.

I. Quoniam autem et in Abraham præfigurabatur fides nostra, et quoniam Patriarcha nostræ fidei, et velut Propheta fuit, plenissime Apostolus docuit in ea epistola quæ est ad Galatas, dicens : « Qui ergo tribuit vobis Spiritum, » et operatur virtutes in vobis; ex operibus Legis, an ex auditu fidei? Sicut Abraham credidit Deo, et reputatum est » illi ad justitiam. Cognoscite itaque, quoniam qui sunt ex » fide, hi filii sunt Abrahæ. Prævidens autem Scriptura, » quoniam ex fide justificat Gentes Deus, prænuntiavit » Abrahæ, quoniam benedicentur in eo omnes gentes. Ita» que qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham[3]. » Ob quæ non solum Prophetam eum dixit fidei, sed et patrem eorum qui ex Gentibus credunt in Christum Jesum, eo quod una et eadem illius et nostra sit fides : illo quidem credente futuris quasi jam factis, propter repromissionem Dei; nobis quoque similiter per fidem speculantibus eam quæ est in regno hæreditatem.

II. Et ea autem quæ circa Isaac, non sine significatione

[1] Jos. II, 1. — [2] Matth. XXI, 31. — [3] Gal. III, 5, 7 et seqq.

sunt. In ea enim epistola quæ est ad Romanos, ait Apostolus : « Sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris » nostri, a Verbo responsum accepit; ut secundum electio» nem propositum Dei permaneat, non ex operibus, sed ex » vocante, dictum est ei[1] : Duo populi in utero tuo, et duæ » gentes in ventre tuo, et populus populum superabit, et » major serviet minori[2]. » Ex quibus manifestum est, non solum prophetationes Patriarcharum, sed etiam partus Rebeccæ prophetiam fuisse duorum populorum ; et unum quidem esse majorem, alterum vero minorem ; et alterum quidem sub servitio, alterum autem liberum ; unius autem et ejusdem patris. Unus et idem Deus noster et illorum, qui est absconsorum cognitor, qui scit omnia antequam fiant; et propter hoc dixit : « Jacob dilexi, Esaü autem odio » habui[3]. »

III. Si quis autem et actus qui sunt Jacob addiscat, inveniet eos non inanes, sed plenos dispositionum : et inprimis in nativitate ejus, quemadmodum apprehendit calcaneum fratris, et Jacob vocatus est, id est, supplantator; tenens, et qui non tenetur; ligans pedes, sed qui non ligatur; luctans et vincens; tenens in manu calcaneum adversarii, id est, victoriam[4]. Ad hoc enim nascebatur Dominus, cujus typum generationis præstabat, de quo et Joannes in Apocalypsi ait : « Exivit vincens, ut vinceret[5]. » Deinde autem primogenita accipiens, quando vituperavit ea frater ejus : quemadmodum et junior populus eum primogenitum Christum accepit, cum eum repulit populus ætate provectior, dicens : « Non » habemus regem, nisi Cæsarem[7]. » In Christo autem universa benedictio : et propter hoc benedictiones prioris populi a Patre subripuit posterior populus, quemadmodum Jacob abstulit benedictionem hujus Esaü. Ob quam causam

[1] Rom. IX, 10 et seqq. — [2] Gen. XXV, 23. — [3] Rom. IX, 13. — [4] Gen. XXV, 25. — [5] Apoc. VI, 2. — [6] Gen. XXV, 32. — [7] Joan. XIX, 15.

», et apud se abscondit, Patrem scilicet et Filium cum
ritu sancto [1]. Et cum universa civitas in qua habitabat
cidisset in ruinam, canentibus septem tubicinis, in ul-
is Rahab fornicaria conservata est cum universa domo
, fide signi coccini : sicut et Dominus dicebat his qui
rentum ejus non excipiebant, Pharisæis scilicet, et coc-
i signum nullificant, quod erat pascha, redemptio et ex-
us populi ex Ægypto, dicens : « Publicani et meretrices
ræcedunt vos in regno cœlorum [2]. »

CAPUT XXI.

nam et eamdem fuisse Abrahæ fidem et nostram : hanc vero veterum Patriarcharum et dictis et factis præsignificatam fuisse.

I. Quoniam autem et in Abraham præfigurabatur fides ostra, et quoniam Patriarcha nostræ fidei, et velut Propheta fuit, plenissime Apostolus docuit in ea epistola quæ st ad Galatas, dicens : « Qui ergo tribuit vobis Spiritum, et operatur virtutes in vobis; ex operibus Legis, an ex auditu fidei? Sicut Abraham credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam. Cognoscite itaque, quoniam qui sunt ex fide, hi filii sunt Abrahæ. Prævidens autem Scriptura, quoniam ex fide justificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ, quoniam benedicentur in eo omnes gentes. Itaque qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham [3]. » Ob quæ non solum Prophetam eum dixit fidei, sed et patrem eorum qui ex Gentibus credunt in Christum Jesum, eo quod una et eadem illius et nostra sit fides : illo quidem credente futuris quasi jam factis, propter repromissionem Dei; nobis quoque similiter per fidem speculantibus eam quæ est in regno hæreditatem.

II. Et ea autem quæ circa Isaac, non sine significatione

[1] Jos. II, 1. — [2] Matth. XXI, 31. — [3] Gal. III, 5, 7 et seqq.

est enim finis humani generis hæredificantis Deum : uti quemadmodum in initio per primos, omnes in servitutem redacti sumus debito mortis; sic in ultimo per novissimum omnes, qui ab initio discipuli, emundati et abluti quæ sunt mortis, in vitam veniant Dei. Qui enim pedes lavit discipulorum, totum sanctificavit corpus, et in emundationem adduxit. Quapropter et recumbentibus eis ministrabat escam, significans eos qui in terra recumbebant, quibus venit ministrare vitam. Sicut Jeremias ait : « Recommemoratus » est Dominus sanctus Israel mortuorum suorum, qui præ» dormierunt in terra defessionis, et descendit ad eos, uti » evangelizaret eis salutare suum, ad salvandum eos. » Propter hoc autem, et discipulorum oculi erant gravati veniente Christo ad passionem, et inveniens eos dormientes Dominus, primo quidem dimisit, significans patientiam Dei in dormitione hominum : secundo vero veniens excitavit eos et erexit, significans quoniam passio ejus expergefactio est dormientium discipulorum, propter quos « et *descendit in* » *inferiora terræ*[1], » id quod erat inoperatum conditionis visurus oculis, de quibus et dicebat discipulis : « Multi Pro» phetæ et justi cupierunt videre et audire quæ vos videtis » et auditis[2]. »

II. Non enim propter eos solos qui temporibus Tiberii Cæsaris crediderunt ei, venit Christus; nec propter eos solos qui nunc sunt homines providentiam fecit Pater: sed propter omnes omnino homines qui ab initio propter virtutem suam in sua generatione, et timuerunt, et dilexerunt Deum, et juste et pie conversati sunt erga proximos, et concupierunt videre Christum, et audire vocem ejus. Quapropter omnes hujusmodi in secundo adventu primo de somno excitabit, et eriget tam eos quam reliquos qui judicabuntur, et constituet in regnum suum. Quoniam

[1] Ephes. IV, 9. — [2] Matth. XIII, 17.

.ris patiebatur insidias et persecutiones frater suus, sicut
Ecclesia hoc idem a Judæis patitur. Peregre nascebantur
odecim Tribus, genus Israel, quoniam et Christus pere-
: incipiebat duodecastylum firmamentum Ecclesiæ ge-
rare. Variæ oves quæ fiebant, huic Jacob merces [1] : et
risti merçes, qui ex variis et differentibus gentibus in
am cohortem fidei convenientes fiunt homines, quem-
modum Pater promisit ei : « Postula, dicens, a me, et
labo tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam
erminos terræ [2]. » Et quoniam multitudinis filiorum Do-
ini Prophetæ fiebat Jacob, necessitas omnis fuit ex dua-
us sororibus eum filios facere; quemadmodum Christus ex
uabus Legibus unius et ejusdem Patris : similiter autem
t ex ancillis; significans quoniam secundum carnem ex
iberis, et ex servis Christus statueret filios Dei, similiter
mnibus dans munus Spiritus vivificantis nos. Omnia autem
lle faciebat propter illam juniorem, bonos oculos haben-
em, Rachel, quæ præfigurabat Ecclesiam, propter quam
sustinuit Christus : qui tunc quidem per Patriarchas suos
et Prophetas præfigurans et prænuntians futura, præexer-
cens suam partem dispositionibus Dei, et assuescens hære-
ditatem suam obedire Deo, et peregrinari in sæculo, et sequi
verbum ejus, et præsignificare futura. Nihil enim vacuum
neque sine signo apud Deum.

CAPUT XXII.

Christum non venisse propter unius sæculi homines, sed propter omnes qui juste ac pie viventes in ipsum crediderant, ac deinceps credituri erant.

I. In novissimis autem temporibus, cum venit plenitudo temporis libertatis, ipsum Verbum per seipsum sordes abluit filiarum Sion, manibus suis lavans pedes discipulorum. Hic

[1] Gen. xxx, 32. — [2] Psal. II, 8.

» tum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per » Prophetam dicentem : Ecce Virgo in utero accipiet, et » pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel[1]; » per sermones Prophetæ suadens ei, et excusans Mariam : hanc eamdem esse ostendens quæ ab Esaia esset prænuntiata Virgo, quæ generaret Emmanuel. Quapropter sine dubitatione suasus Joseph, et Mariam accepit, et in reliqua universa educatione Christi gaudens obsequium præstitit, usque in Ægyptum suscipiens profectionem, et inde regressum, et in Nazareth transmigrationem. Denique qui ignorabant Scripturas, et repromissionem Dei, et dispositionem Christi, patrem eum vocabant pueri. Propter hoc autem et ipse Dominus in Capharnaüm Esaiæ prophetias legebat : « Spi» ritus Domini super me, quapropter unxit me, evangelizare » pauperibus misit me, curare contribulatos corde, præco» nare captivis remissionem, et cæcis visionem[2]. » Semetipsum quoque ostendens prænuntiatum per Esaiæ prophetiam, dicebat eis : « Hodie adimpleta est Scriptura hæc in » auribus vestris[3]. »

II. Propter hoc et Philippus, cum invenisset eunuchum reginæ Æthiopum legentem ea quæ scripta sunt : « Quem» admodum ovis ad victimam ductus est, et quemadmodum » agnus in conspectu tondentis sine voce, sic non aperuit » os suum. In humilitate judicium ejus ablatum est[4]; » et reliqua quæcumque de passione ejus, et de carnali adventu, et quemadmodum inhonoratus est a non credentibus ei, pertransivit Propheta[5]; facile suasit ei credere eum esse Christum Jesum, qui sub Pontio Pilato crucifixus est, et passus est, et quæcumque prædixit Propheta, eumque esse Filium Dei, qui æternam vitam hominibus dat. Et statim ut baptizavit eum, abscessit ab eo. Nihil enim aliud deerat

[1] Matth. I, 22, 23.—[2] Luc. IV, 18.—[3] *Ibid.* 21.—[4] Act. VIII, 27 *et seqq.* —[5] Esai. LIII, 7.

qui a Prophetis fuerat præcatechizatus : non Deum Pa-
;m, non conversationis dispositionem, sed solum adven-
m ignorabat Filii Dei; quem cum breviter cognovisset,
ebat iter gaudens, præco futurus in Æthiopia Christi
ventus. Quapropter non multum laboravit circa eum
ailippus, quoniam erat in timore Dei præaptatus a Pro-
ietis. Propter hoc autem et Apostoli, oves colligentes quæ
rierant domus Israel, de Scripturis alloquentes eos, os-
ndebant Jesum crucifixum hunc esse Christum Filium
ei vivi, et magnam multitudinem suadebant, qui tamen
ibebant timorem ad Deum : et una die baptizati sunt ho-
inum tria millia, et quatuor, et quinque.

CAPUT XXIV.

ifficiliorem fuisse Gentium quam Judæorum conversionem; majorem proinde Apostolorum laborem qui illi, quam qui huic operam navabant.

I. Propter hoc et Paulus, Gentium Apostolus cum esset,
Plus eis, inquit, omnibus laboravi[1]. » Illis enim facilis
atechizatio fuit, videlicet cum ex Scripturis haberent os-
nsiones; et qui Moysem et Prophetas audiebant, et facile
cipiebant primogenitum mortuorum, et principem vitæ
ei, eum qui per extensionem manuum dissolvebat Ama-
ch, et vivificabat hominem de serpentis plaga per fidem
uæ erat in eum. Gentes quidem primo catechizabat Apo-
olus, quemadmodum in eo libro qui ante hunc est osten-
mus, discedere ab idolorum superstitione, et unum Deum
lere, factorem cœli et terræ, et universæ conditionis fa-
ricatorem : esse autem hujus Filium Verbum ejus, per
uem constituit omnia; et hunc in novissimo tempore ho-
inem in hominibus factum, reformasse quidem humanum

[1] I Cor. XV, 10.

genus, destruxisse autem et vicisse inimicum hominis, et donasse suo plasmati adversus reluctantem victoriam. Adhuc autem etsi non faciebant qui erant ex circumcisione sermones Dei, quod essent contemptores; sed erant præstructi non mœchari, nec fornicari, non furari, nec fraudare, et quæcumque in exterminium proximorum fiunt, mala esse, et odiri a Deo. Quapropter et facile assentiebant ab his abstinere, quoniam hæc didicerant.

II. Gentiles vero et hoc ipsum discere oportebat, quoniam hujusmodi operationes malæ, et exterminatoriæ, et inutiles sunt, et damnosæ his qui operantur eas. Quapropter plus laborabat qui in Gentes apostolatum acceperat, quam qui in circumcisione præconabant Filium Dei. Illos enim adjuvabant Scripturæ, quas confirmavit Dominus, et adimplevit, talis veniens qualis et prædicabatur : hic vero peregrina quædam eruditio, et nova doctrina, Deos Gentium non solum non esse Deos, sed et idola esse dæmoniorum; esse autem unum Deum, qui est « super omnem principatum, et dominationem, et potestatem, et omne nomen quod nominatur[1] : » et hujus Verbum naturaliter quidem invisibilem, palpabilem et visibilem in hominibus factum, et « usque » ad mortem *descendisse*, mortem autem crucis[2] : » et eos qui in eum credunt, incorruptibiles et impassibiles futuros, et percipere regnum cœlorum. Et hæc sermone prædicabantur Gentibus sine Scripturis : quapropter et plus laborabant qui in Gentes prædicabant. Generosior autem rursus fides Gentium ostenditur, sermonem Dei assequentium, sine instructione Litterarum.

[1] Ephes. I, 21. — [2] Philip. II, 8.

CAPUT XXV.

umque Testamentum in Abrahamo, et in Thamaris partu præignatum fuisse : unum vero utriusque Testamenti Deum esse.

I. Sic enim oportuerat filios Abrahæ, quos illi de lapi-us excitavit Deus, et fecit, assistere ei, principi et præntiatori facto nostræ fidei; qui et accepit testamentum cumcisionis, post eam justificationem quæ fuerat in prætio fidei : ut præfigurarentur in eo utraque Testamenta, fieret pater omnium qui sequuntur Verbum Dei et pereinationem in hoc sæculo sustinent, id est, eorum qui circumcisione, et eorum qui ex præputio fideles sunt : :ut et « Christus lapis summus angularis [1], » omnia susti-:ns, et in unam fidem Abrahæ colligens eos qui ex utroque estamento apti sunt in ædificationem Dei. Sed hæc quidem ıæ est in præputio fides, utpote finem conjungens prin-ıpio, prima et novissima facta est. Etenim ante circumci-onem erat in Abraham, et in reliquis justis qui placuerunt eo, sicut demonstravimus : et rursus in novissimis tempo-ibus orta est in humano genere per Domini adventum. ircumcisio vero et Lex operationum media obtinuerunt empora.

II. Hoc et per alia quidem multa, jam vero et per Thaıar Judæ nurum typice ostenditur. Cum enim concepisset eminos, alter eorum prior protulit manum suam : et cum bstetrix putaret eum primogenitum esse, coccinum alli-avit signum in manu ejus. Cum hoc autem factum esset, t abstraxisset manum suam, prior exivit frater ejus Phares; ic deinde secundus ille, in quo erat coccinum, Zara [2] : clare ıanifestante Scriptura, eum quidem populum qui habet occinum signum, id est, eam fidem quæ est in præputio,

[1] Ephes. II, 20. — [2] Gen. XXXVIII, 27 et seqq.

præostensam quidem primum in Patriarchis, post deinde subtractam, uti nasceretur frater ejus; deinde sic eum qui prior esset, secundo loco natum, qui est cognitus per signum coccinum quod erat in eo; quod est passio justi, ab initio præfigurata in Abel, et descripta a Prophetis, perfecta vero in novissimis temporibus in Filio Dei.

III. Oportebat enim quædam quidem prænuntiari paternaliter a patribus, quædam autem præfigurari legaliter a Prophetis, quædam vero deformari secundum formationem Christi, ab his qui adoptionem perceperunt : omnia vero in uno Deo ostenduntur. Cum enim unus esset Abraham, in semetipso præfigurabat duo Testamenta, in quibus alii quidem seminaverunt, alii vero messi sunt : « In hoc enim, » inquit, sermo est verus, quoniam alter quidem est qui » seminat *populus,* alter qui metet[1] : » unus autem Deus præstans utrisque quæ sunt apta, semen quidem seminanti, panem vero ad edendum metenti. Quemadmodum alter quidem est qui plantat, et alter qui adaquat, unus autem qui dat incrementum, Deus. Disseminaverunt enim sermonem de Christo Patriarchæ et Prophetæ; demessa est autem Ecclesia, hoc est, fructum percepit. Propter hoc et ipsi orant habere tabernaculum in ea, Jeremia dicente : « Quis dabit mihi in deserto habitationem novissimam[2]? » uti et qui seminat, et qui metit, simul gaudeant in Christi regno, qui omnibus adest, de quibus ab initio bene sensit Deus, attribuens adesse eis Verbum suum.

[1] Joan. IV, 37. — [2] Jerem. IX, 2.

CAPUT XXVI.

aurus absconditus in Scripturis Christus, hujus adventu ac uce patefactus; Scripturarum vero expositionem doctrinæque ritatem a solis episcopis, qui in Ecclesia Catholica successiom habent ab Apostolis, petendam esse.

. Si quis igitur intentus legat Scripturas, inveniet in em de Christo sermonem, et novæ vocationis præfiguonem. Hic est enim thesaurus absconsus in agro[1], id in isto mundo (*Ager enim mundus est*[2]): absconsus o in Scripturis thesaurus Christus, quoniam per typos parabolas significabatur. Unde non poterat hoc quod seadum hominem est intelligi, priusquam consummatio 'um quæ consummata sunt veniret; quæ est adventus risti. Et propter hoc Danieli prophetæ dicebatur: « Muni ermones, et signa librum usque ad tempus consummaionis, quoadusque discant multi, et adimpleatur agnitio. n eo enim cum perficietur dispersio, cognoscent omnia hæc[3]. » Sed et Jeremias ait: « In novissimis diebus intelligent ea[4]. » Omnis enim prophetia, priusquam habeat fectum, ænigmata et ambiguitates sunt hominibus. Cum item venerit tempus, et evenerit quod prophetatum est; nc prophetiæ habent liquidam et certam expositionem. t propter hoc quidem Judæis cum legitur Lex in hoc nunc mpore, fabulæ similis est; non enim habent expositionem nnium rerum pertinentem ad adventum Filii Dei, qui t secundum hominem: a Christianis vero cum legitur, esaurus est absconsus in agro, cruce vero Christi revelas est, et explanatus, et ditans sensus hominum, et ostenens sapientiam Dei, et eas quæ sunt erga hominem dispo itiones ejus manifestans, et Christi regnum præformans,

[1] Matth. XIII, 44. — [2] *Ibid.* 38. — [3] Dan. XII, 4, 7. — [4] Jerem. XXIII, 20.

et hæreditatem sanctæ Hierusalem præevangelizans, et prænuntians quoniam in tantum homo diligens Deum proficiet, ut etiam videat Deum, et audiat sermonem ejus, et ex auditu loquelæ ejus in tantum glorificari, uti reliqui non possint intendere in faciem gloriæ ejus, quemadmodum dictum est a Daniele : Quoniam « intelligentes fulgebunt quemadmodum claritas firmamenti, et a multis » justis sicut stellæ in sæcula, et adhuc[1]. » Quemadmodum igitur ostendimus, si quis legat Scripturas (etenim Dominus sic disseruit discipulis post resurrectionem suam a mortuis, ex ipsis Scripturis ostendens eis quoniam « oportebat pati Christum, et intrare in gloriam suam, et in » nomine ejus remissionem peccatorum prædicari in toto » mundo[2]), et erit consummatus discipulus, et similis patrifamilias, qui de thesauro suo profert nova et vetera.

II. Quapropter eis quæ in Ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus; qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt : reliquos vero, qui absistunt a principali successione, et quocumque loco colligunt, suspectos habere, vel quasi hæreticos, et malæ sententiæ; vel quasi scindentes, et elatos, et sibi placentes; aut rursus ut hypocritas, quæstus gratia et vanæ gloriæ hoc operantes. Omnes autem hi deciderunt a veritate. Et hæretici quidem alienum ignem afferentes ad altare Dei, id est, alienas doctrinas, a cœlesti igne comburentur, quemadmodum Nadab et Abiud[3]. Qui vero exsurgunt contra veritatem, et alteros adhortantur adversus Ecclesiam Dei, remanent apud inferos, voragine terræ absorpti, quemadmodum qui circa Chore, Dathan et Abiron[4]. Qui autem scindunt et separant unitatem

[1] Dan. XII, 3. — [2] Luc. XXIV, 26, 47. — [3] Levit. X, 1, 2. — [4] Num. XVI, 33.

clesiæ, eamdem quam Hieroboam pœnam percipiunt a
o [1].

III. Qui vero crediti quidem sunt a multis esse presbyri, serviunt autem suis voluptatibus, et non præponunt morem Dei in cordibus suis, sed contumeliis agunt reliuos, et principalis concessionis tumore elati sunt, et in bsconsis agunt mala, et dicunt, « Nemo nos videt [2], » redaruentur a Verbo, qui non secundum gloriam judicat, neue faciem attendit, sed in cor; et audient eas quæ sunt Daniele propheta voces : « Semen Chanaan, et non Juda, species seduxit te, et concupiscentia evertit cor tuum [3] : inveterate dierum malorum, nunc advenerunt peccata tua quæ faciebas antea, judicans judicia injusta : et innocentes quidem damnabas, dimittebas vero nocentes, dicente » Domino : Innocentem et justum non occides [4]. » De quibus dixit et Dominus : « Si autem dixerit malus servus in » corde suo, Tardat dominus meus, et incipiat cædere ser» vos et ancillas, et manducare, et bibere, et inebriari; ve» niet dominus servi illius in die qua nescit, et hora qua » non sperat, et dividet eum, et partem ejus cum infidelibus » ponet [5]. »

IV. Ab omnibus igitur talibus absistere oportet; adhærere vero his qui et Apostolorum, sicut prædiximus, doctrinam custodiunt [6], et cum presbyterii ordine sermonem sanum et conversationem sine offensa præstant, ad confirmationem et correptionem reliquorum [7]. Quemadmodum Moyses, cui tantus ducatus est creditus, bona conscientia fretus, purgabat se apud Deum, dicens : « Non concupis» cens alicujus illorum quid accepi, neque male feci alicui » eorum [8]. » Quemadmodum Samuel tot annis judicans po-

[1] 3 Reg. XIV, 10 et seqq. — [2] Dan. XIII, 20. — [3] *Ibid.* 56. — [4] *Ibid.* 52, 53. — [5] Matth. XXIV, 48 et seqq. — [6] 2 Cor. II, 17. — [7] 2 Cor. VII, 2. — [8] Num. XVI, 15.

pulum, et sine ulla elatione ducatum gerens super Israel, in fine purgabat se, dicens : « Ego conversatus sum in conspectu vestro a prima ætate mea usque nunc : respondete mihi in conspectu Dei, et in conspectu Christi ejus, cujus vestrum vitulum accepi, aut asinum, aut super quem potentatus sum, aut quem oppressi, aut si de alicujus manu accepi propitiationem vel calceamentum, dicite adversum me, et reddam vobis[1]. » Cum dixisset autem populus : « Neque potentatus es, neque oppressisti nos, neque accepisti de manu cujusquam aliquid; » testificatus est Dominum, dicens : « Testis Dominus, et testis Christus ejus in die hac, quoniam invenistis in manu mea nihil. Et dixerunt ei : Testis. » Quemadmodum et Paulus Apostolus, cum esset bonæ conscientiæ, dicebat ad Corinthios : « Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur : nemini nocuimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus[2]. »

V. Tales presbyteros nutrit Ecclesia ; de quibus et Propheta ait : « Et dabo principes tuos in pace, et episcopos tuos in justitia[3]. » De quibus et Dominus dicebat : « Quis igitur erit fidelis actor, bonus et sapiens, quem præponit Dominus super familiam suam, ad danda eis cibaria in tempore? Beatus ille servus, quem veniens Dominus invenerit sic facientem[4]. » Ubi igitur tales inveniat aliquis, Paulus docens ait ; « Posuit Deus in Ecclesia primo Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores[5]. » Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea quæ est ab Apostolis Ecclesiæ successio, et id quod est sanum et irreprobabile conversationis, et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. Hi enim

[1] 1 Reg. XII, 3 et seqq. — [2] 1 Cor. II, 17 ; Act. XX, 33, 34; et 1 Cor. IV, 12 — [3] Esai. LX, 17. — [4] Matth. XXIV, 45, 46. — [5] 1 Cor. XII, 28.

eam quæ est in unum Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt: et eam quæ est in Filium Dei, dilectionem adaugent, qui tantas dispositiones propter nos fecit; et Scripturas sine periculo nobis exponunt, neque Deum blasphemantes, neque Patriarchas exhonorantes, neque Prophetas contemnentes.

CAPUT XXVII.

Veterum lapsus, in quos animadvertit Deus, ipso providente litteris mandatos esse, ut iis erudiamur, nec superbiamus. Non igitur hinc colligendum alium Deum esse ab eo quem Christus prædicavit; timendum potius ne unus et idem Deus, qui pœnas ab antiquis sumpsit, graviores a nobis repetat.

I. Quemadmodum audivi a quodam presbytero qui audierat ab his qui Apostolos viderant, et ab his qui didicerant: sufficere veteribus, de his quæ sine consilio Spiritus egerunt, eam quæ ex Scripturis esset correptionem. Cum enim non sit personarum acceptor Deus, quæ sunt non secundum ejus placitum facta, his inferebat congruam correptionem. Quemadmodum sub David, quando persecutionem quidem patiebatur a Saül propter justitiam, et regem Saül fugiebat, et inimicum non ulciscebatur, et Christi adventum psallebat, et sapientia instruebat gentes, et omnia secundum consilium faciebat Spiritus; placebat Deo: quando autem propter concupiscentiam ipse sibi accepit Bersabee Uriæ uxorem, dixit Scriptura de eo: « Nequam autem visus est sermo quem fecit David in oculis » Domini[1]; » et mittitur ad eum Nathan propheta, ostendens ei peccatum ejus, ut ipse dans sententiam de semetipso, et semetipsum adjudicans, misericordiam consequeretur et remissionem a Christo: « Et dixit ei: Duo viri fuerunt in

[1] 2 Reg. XI, 27.

» civitate una, unus dives, et unus pauper : diviti erant greges ovium et boum multi valde, et pauperi nihil aliud nisi ovicula una, quam habebat, et nutriebat, et fuerat cum eo et cum filiis ejus pariter; de pane suo manducabat, et de calice bibebat, et erat ei quasi filia. Et venit hospes homini diviti, et pepercit accipere de grege ovicularum suarum, et de gregibus boum suorum, et facere hospiti : et accepit oviculam viri pauperis, et apposuit viro qui venerat ad eum. Iratus est autem David super hominem illum valde, et dixit ad Nathan : Vivit Dominus, quoniam filius mortis est homo ille qui fecit hoc : et oviculam reddet quadruplum pro eo quod fecit factum hoc, et pro eo quod non pepercit pauperi. Et ait ad eum Nathan : Tu es vir qui fecisti hoc[1] : » et deinceps reliqua exsequitur, exprobrans eum, et enumerans in eum Dei beneficia, et quoniam exacerbavit Dominum cum fecisset hoc; non enim placere Deo hujusmodi operationem, sed iram magnam imminere domui ejus. Compunctus est autem David ad hæc, et ait : « Peccavi Domino; » et Psalmum exomologeseos post psallebat, adventum Domini sustinens, qui abluit et emundat eum hominem qui peccato fuerat obstrictus. Similiter autem et de Salomone, cum perseveraret judicare recte, et sapientiam enarrare, et typum veri templi ædificabat, et glorias exponebat Dei, et adventuram pacem gentibus annuntiabat, et Christi regnum præfigurabat, et loquebatur tria millia parabolarum in adventum Domini, et quinque millia canticorum, hymnum dicens Deo, et eam quæ est in conditione sapientiam Dei exponebat physiologice ex omni ligno, et de omni herba, et de volatilibus omnibus, et de quadrupedibus, et de piscibus; et dicebat : « Si vere Deus, quem cœli non capiunt, super terram habitabit cum hominibus[2]? » et placebat Deo, et omnes

[1] 2 Reg. xii, 1 et seqq. — [2] 3 Reg. viii, 27.

ım admirabantur, et omnes reges terræ quærebant faciem us, ut audirent sapientiam ejus quam dederat illi Deus : : regina Austri a finibus terræ veniebat ad eum, sapienam quæ in eo erat scitura; quam et Dominus ait in juicio resurrecturam cum eorum natione qui audiunt serıones ejus et non credunt in eum, et adjudicaturam eos, uoniam illa quidem subjecta est annuntiatæ sapientiæ per ervum Dei, hi vero eam quæ a Filio Dei dabatur contempserunt sapientiam[1]. Salomon enim servus erat; Christus vero Filius Dei, et Dominus Salomonis. Cum igitur sine offensa serviret Deo, et ministraret dispositionibus ejus, tunc glorificabatur : cum autem uxores accipiebat ab universis gentibus, et permittebat eis erigere idola in Israel, dixit Scriptura de eo : « Et rex Salomon erat amator mulierum, et » accepit sibi mulieres alienigenas : et factum est in tem» pore senectutis Salomonis, non erat cor ejus perfectum » cum Domino Deo suo. Et diverterunt mulieres alienigenæ » cor ejus post Deos alienos. Et fecit Salomon malignum in » conspectu Domini : non abiit post Dominum, quemadmo» dum David pater ejus. Et iratus est Dominus in Salomo» nem : non enim erat cor ejus perfectum in Domino, se» cundum cor David patris ejus[2]. » Sufficienter increpavit eum Scriptura, sicut dixit presbyter, ut non glorietur universa caro in conspectu Domini.

II. Et propter hoc Dominum in ea quæ sunt sub terra descendisse, evangelizantem et illis adventum suum; remissione peccatorum existente his qui credunt in eum. Crediderunt autem in eum omnes qui sperabant in eum, id est, qui adventum ejus prænuntiaverunt, et dispositionibus ejus servierunt, justi, et Prophetæ, et Patriarchæ : quibus similiter ut nobis remisit peccata, quæ non oportet nos imputare his, si quominus contemnimus gratiam Dei. Quemad-

[1] Matth. xii, 42. — [2] 3 Reg. xi, 1 et seqq.

admodum enim illi non imputabant nobis incontinentias nostras, quas operati sumus priusquam Christus in nobis manifestaretur; sic et nos non est justum imputare ante adventum Christi his qui peccaverunt. « Omnes *enim homines* egent gloria Dei[1], » justificantur autem non a semetipsis, sed a Domini adventu, qui intendunt lumen ejus. In nostram autem correptionem conscriptos esse actus eorum, ut sciremus, primum quidem, quoniam unus est Deus noster et illorum, cui non placeant peccata, etiamsi a claris fiant; deinde, ut abstineamus a malis. Si enim hi qui præcesserunt nos in charismatibus veteres, propter quos nondum Filius Dei passus erat, delinquentes in aliquo, et concupiscentiæ carnis servientes, tali affecti sunt ignominia; quid passuri sunt qui nunc sunt, qui contempserunt adventum Domini, et deservierunt voluptatibus suis? Et *illis* quidem curatio et remissio peccatorum mors Domini fuit: propter eos vero qui nunc peccant, Christus non jam morietur, jam enim mors non dominabitur ejus; sed veniet Filius in gloria Patris, exquirens ab actoribus et dispensatoribus suis pecuniam quam eis credidit, cum usuris: et quibus plurimum dedit, plurimum ab eis exiget. Non debemus ergo, inquit ille senior, superbi esse, neque reprehendere veteres; sed ipsi timere, ne forte post agnitionem Christi agentes aliquid quod non placeat Deo, remissionem ultra non habeamus delictorum, sed excludamur a regno ejus. Et ideo Paulum dixisse : « Si enim naturalibus ramis » non pepercit, ne forte nec tibi parcat, qui cum esses oleaster, insertus es in pinguedinem olivæ, et socius factus » es pinguedinis ejus[2]. »

III. Similiter et plebis prævaricationes vides descriptas esse, non propter illos qui tunc transgrediebantur, *sed in* correptionem nostram, et ut sciremus unum et eumdem

[1] Rom. III, 23. — [2] Rom. XI, 21, 17.

cum, in quem illi delinquebant, et in quem nunc delinquunt quidam ex his qui credidisse se dicunt. Et hoc autem Apostolum in epistola quæ est ad Corinthios, manifestissime ostendisse, dicentem : « Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes in Mose baptizati sunt in nube, et in mari, omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt : bibebant autem enim de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum bene sensit Deus; prostrati sunt enim in deserto. Hæc in figuram nostri fuerunt, ut non simus concupiscentes malorum, quemadmodum et illi concupierunt; neque idololatræ sitis, quemadmodum » quidam eorum; sicut scriptum est : Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Neque fornicemur, » sicut quidam ex illis fornicati sunt, et corruerunt una die » viginti tria millia. Nec tentemus Christum, quemadmodum quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, sicuti quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. Hæc autem » omnia in figura fiebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos finis sæculorum devenit. » Quapropter qui putat se stare, videat ne cadat[1]. »

IV. Sine dubitatione igitur et sine contradictione ostendente Apostolo, unum et eumdem esse Deum, qui et illa judicavit, et ea quæ nunc sunt exquirit, et causam descriptionis eorum demonstrante; indocti, et audaces, adhuc etiam imprudentes inveniuntur omnes qui propter transgressionem eorum qui olim fuerunt, et propter plurimorum indicto audientiam, alterum quidem aiunt illorum fuisse Deum, et hunc esse mundi fabricatorem, et esse in diminutione; alterum vero a Christo traditum Patrem, et hunc

[1] 1 Cor. x, 1 et seqq.

esse qui sit ab unoquoque eorum mente conceptus : non intelligentes, quoniam quemadmodum ibi in pluribus eorum qui peccaverunt non bene sensit Deus; sic et hic « vocati multi, pauci vero electi [1] : » quemadmodum ibi injusti, et idololatræ, et fornicatores vitam perdiderunt; sic et hic : et Domino quidem prædicante, in ignem æternum mitti tales [2], et Apostolo dicente : « An ignoratis, quoniam » injusti regnum Dei non hæreditabunt ? Nolite seduci: ne- » que fornicatores, neque idololatræ, neque adulteri, neque » molles, neque masculorum concubitores, neque fures, » neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rap- » tores, regnum Dei possidebunt [3]. » Et quoniam non ad eos qui extra sunt hoc dicit, sed ad nos, ne projiciamur extra regnum Dei, tale aliquid operantes, intulit : « Et hæc » quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis in » nomine Domini Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri [4]. » Et quemadmodum illic condemnabantur et projiciebantur hi qui male operabantur et reliquos exterminabant; *similiter* et hic oculus quoque effoditur scandalizans, et pes, et manus, ne reliquum corpus pariter pereat [5]. Et habemus præceptum : « Si quis frater nominatur fornicator, aut avarus, » aut idololatra, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum » hujusmodi nec cibum sumere [6]. » Et iterum ait Apostolus : « Nemo vos seducat inanibus verbis; propter hæc enim ve- » nit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo fieri participes » eorum [7]. » Et quemadmodum ibi peccantium damnatio participabat et reliquos, quoniam placebant eis, et una cum eis conversabantur; sic et hic « modicum fermentum to- » tam massam corrumpit [8]. » Et quemadmodum ibi adversus injustos ira descendebat Dei; et hic similiter Apostolus ait : « Revelabitur enim ira Dei de cœlo super omnem im-

[1] Matth. xx, 16. — [2] Matth. xxv, 41. — [3] 1 Cor. vi, 9, 10. — [4] *Ibid.* 11. — [5] Matth. xviii, 8, 9. — [6] 1 Cor. v, 11. — [7] Ephes. v, 6, 7. — [8] 1 Cor. v, 6.

pietatem et injustitiam eorum hominum, qui veritatem in injustitia detinent[1]. » Et quemadmodum ibi in Ægyptios, qui injuste puniebant Israel, vindicta a Deo fiebat; sic et hic, Domino quidem dicente : « Deus autem non faciet vindictam electorum suorum, quicumque clamant ad eum die et nocte? Etiam dico vobis, faciet vindictam eorum cito[2]; » et Apostolo, in ea quæ est ad Thessalonicenses epistola, ista prædicante : « Si quidem justum est apud Deum » retribuere retributionem his qui tribulant vos, et vobis qui » tribulamini, refrigerium nobiscum, in revelatione Domini » nostri Jesu Christi de cœlo cum Angelis virtutis ejus, et » in flamma ignis, dare vindictam in eos qui non noverunt » Deum, et in eos qui non obediunt Evangelio Domini nos» tri Jesu Christi : qui etiam pœnas pendent interitus æter» nas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus, cum venerit » magnificari in sanctis suis, et admirabilis esse omnibus » qui crediderunt[3] » in eum.

CAPUT XXVIII.

Insipientes esse qui Christi misericordiam exaggerantes, judicium tacentes, majoremque N. Testamenti gratiam spectantes, majoris vero, quam a nobis exigit, perfectionis obliti, alterum Deum a creatore statuere nituntur.

I. Cum ergo hic et illic eadem sit in vindicando Deo justitia Dei, et illic quidem typice, et temporaliter, et mediocrius; hic vero vere, et semper, et austerius; ignis enim æternus, et quæ a cœlo revelabitur ira Dei a facie Domini nostri (quemadmodum et David ait : « Vultus autem Domini » super facientes mala, ut perdat de terra memoriam ipso» rum[4]), majorem pœnam præstat iis qui incidunt in eam :

[1] Rom. I, 18. — [2] Luc. XVIII, 7, 8. — [3] 2 Thess. I, 6 et seqq. — [4] Psal. XXXIII, 17.

valde insensatos ostendebant presbyteri eos qui, ex his quæ acciderunt his qui olim Deo obtemperabant, tentant alterum Patrem introducere; e contrario opponentes, quanta Dominus ad salvandos eos qui receperunt eum, veniens fecisset, miserans eorum; tacentes autem de judicio ejus, et quæcumque provenient his qui audierunt sermones ejus et non fecerunt, et quoniam expediebat eis si non essent nati, et quoniam tolerabilius Sodomæ et Gomorrhæ erit in judicio, quam civitati illi quæ non recepit sermones discipulorum ejus.

II. Quemadmodum enim in novo Testamento ea quæ est ad Deum fides hominum aucta est, additamentum accipiens Filium Dei, ut et homo fieret particeps Dei; ita et diligentia conversationis aucta est, cum non solum a malis operibus abstinere jubemur, sed ab ipsis cogitationibus, et otiosis dictionibus, et sermonibus vacuis, et verbis scurrilibus : sic et pœna eorum qui non credunt Verbo Dei, et contemnunt ejus adventum, et convertuntur retrorsum, adampliata est; non solum temporalis, sed et æterna facta. Quibuscumque enim dixerit Dominus : « Discedite a me, » maledicti, in ignem perpetuum[1]; » isti erunt semper damnati; et quibuscumque dixerit : « Venite, benedicti Patris » mei, percipite hæreditatem regni quod præparatum est » vobis in sempiternum[2]; » hi semper percipiunt regnum, et proficiunt : cum sit unus et idem Deus Pater, et Verbum ejus, semper assistens humano generi, variis quidem dispositionibus, et multa operans, et salvans ab initio eos qui salvantur (sunt enim hi qui diligunt Deum, et secundum suum genus sequuntur Verbum Dei), et adjudicans eos qui adjudicantur, id est, eos qui obliviscuntur Deum, et sunt blasphemi, et transgressores ejus verbi.

III. Etenim hi ipsi qui a nobis prædicti sunt, hæretici

[1] Matth. xxv, 41. — [2] *Ibid.* 34.

ciderunt sibi, accusantes Dominum, in quem dicunt se
edere. Quæ enim denotant in Deo, qui tunc temporaliter
dicaverit incredulos, et percussit Ægyptios, salvavit au-
m obedientes; eadem nihilominus recurrent in Dominum,
sempiternum quidem adjudicantem quos adjudicat, et
sempiternum dimittentem eos quos dimittit: et invenie-
ır, secundum illorum verba, maximi peccati causa factus
is qui in eum immiserunt manus et pupugerunt eum. Si
ıim non ita venisset, utique illi Domini sui interfectores
ıcti non fuissent: et si non misisset Prophetas ad eos,
on utique occidissent eos, et Apostolos quoque similiter.
lis igitur qui imputant nobis, et dicunt: Si non Ægyptii
lagati fuissent, et persequentes Israel præfocati fuissent in
ıari, non poterat Deus salvare populum suum; occurrit
llud: Nisi igitur Judæi interfectores Domini facti fuissent
quod quidem abstulit ab eis æternam vitam), et Apostolos
nterficientes, et persequentes Ecclesiam, in iracundiæ in-
:idissent profundum, nos salvari non poteramus. Quemad-
nodum enim illi per Ægyptiorum, sic et nos per Judæo-
:um cæcitatem accepimus salutem: siquidem mors Domini
ːorum quidem qui cruci eum fixerunt, et non crediderunt
ːjus adventum, damnatio est, salvatio vero eorum qui cre-
lunt in eum. Nam et Apostolus ait in epistola secunda ad
Corinthios: « Quoniam Christi suavis odor sumus Deo, et
» in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt: quibusdam
» quidem odor mortis in mortem; quibusdam autem odor
» vitæ in vitam[1]. » Quibus ergo est odor mortis in mortem,
nisi his qui non credunt neque subjecti sunt Verbo Dei?
Qui sunt autem qui et tunc semetipsos morti tradiderunt?
Hi scilicet qui non credunt neque subjiciuntur Deo. Rur-
sum autem, qui salvati sunt, et acceperunt hæreditatem?
Hi scilicet qui credunt Deo, et eam quæ est erga illum

[1] 2 Cor, II, 15, 16.

dilectionem custodierunt; quemadmodum Caleb Jephone, et Jesus Nave, et pueri innocentes qui neque malitiæ sensum habuerunt. Qui sunt autem qui hic salvantur, et accipiunt vitam æternam? Nonne hi qui diligunt Deum, et qui pollicitationibus ejus credunt, et malitia parvuli effecti sunt?

CAPUT XXIX.

Dissolvit argumentum Marcionitarum, quo Deum malorum auctorem probare nitebantur, quod Pharaonem et ministros ejus excæcaverit.

I. Sed induravit, inquiunt illi, Deus cor Pharaonis et famulorum ejus. Qui ergo hæc imputant, non legunt in Evangelio, ubi discipulis dicentibus Domino : « Quare in parabolis loqueris eis? » respondit Dominus : « Quoniam vobis » est datum nosse mysterium regni cœlorum; illis autem in » parabolis loquor, ut videntes non videant, et audientes non » audiant, intelligentes non intelligant, ut impleatur erga » eos prophetia Esaiæ dicens : Incrassa cor populi hujus, et » aures eorum obtura, et oculos eorum excæca. Vestri autem » beati oculi, qui vident quæ vos videtis, et aures vestræ, » quæ audiunt quæ auditis[1]. » Unus enim et idem Deus, his quidem qui non credunt, sed nullificant eum, infert cæcitatem; quemadmodum sol, qui est creatura ejus, his qui propter aliquam infirmitatem oculorum non possunt contemplari lumen ejus : his autem qui credunt ei, et sequuntur eum, pleniorem et majorem illuminationem mentis præstat. Secundum hunc igitur sermonem et Apostolus ait in secunda ad Corinthios : « In quibus Deus, sæculi hujus excæcavit » mentes infidelium, uti non fulgeat illuminatio Evangelii » gloriæ Christi[2]. » Et iterum in ea quæ est ad Romanos : « Et quemadmodum non probaverunt Deum habere in no-

[1] Matth. XIII, 10 et seqq. — [2] 2 Cor. IV, 4.

titia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, facere quæ non conveniunt[1]. » In secunda autem ad Thessalonicenses manifeste ait, de Antichristo dicens : « Et ideo mittit eis Deus operationem erroris, uti credant mendacio : uti judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati[2]. »

II. Si igitur et nunc, quotquot scit non credituros Deus, cum sit omnium præcognitor, tradidit eos infidelitati eorum, et avertit faciem ab hujusmodi, relinquens eos in tenebris, quas ipsi sibi elegerunt; quid mirum, si et tunc nunquam crediturum Pharaonem, cum his qui cum eo erant, tradidit eos suæ infidelitati? Quemadmodum Verbum ait de rubo ad Moysen : « Ego autem scio quoniam non dimittet vos » Pharao rex Ægypti abire, nisi in manu valida[3]. » Et qua ratione Dominus in parabolis loquebatur, et cæcitatem faciebat Israel, ut videntes non viderent, sciens incredulitatem eorum : eadem ratione et cor Pharaonis indurabat, ut videns quoniam digitus Dei est qui educit populum, non crederet, sed in infidelitatis præcipitaretur pelagus; per magicam operationem opinatus fieri exitum eorum, et Rubrum mare non ex virtute Dei transitum præstitisse populo, sed naturaliter sic se habere.

CAPUT XXX.

Diluit aliud Marcionitarum argumentum, quod nimirum Hebræi, jubente Deo, spoliassent Ægyptios.

I. Qui vero exprobrant et imputant, quod profecturus populus jussu Dei vascula omnis generis et vestimenta acceperit ab Ægyptiis, et sic abierit, ex quibus et Tabernaculum factum est in eremo[4]; ignorantes justificationes Dei,

[1] Rom. I, 28. — [2] 2 Thess. II, 10, 11. — [3] Exod. III, 19. — [4] Exod. XI, 2, et XII, 35, 36.

et dispositiones ejus, semetipsos arguunt, sicut et presbyter dicebat. Si enim non in typica profectione hoc consensisset Deus, hodie in vera nostra profectione, id est, in fide in qua sumus constituti, per quam de numero gentilium exempti sumus, nemo poterat salvari. Omnes enim nos aut modica, aut grandis sequitur possessio, quam ex mammona iniquitatis acquisivimus. Unde enim domus in quibus habitamus, et vestimenta quibus induimur, et vasa quibus utimur, et reliqua omnis ad diuturnam vitam nostram ministratio, nisi ex his quæ, cum Ethnici essemus, de avaritia acquisivimus, vel ab Ethnicis parentibus, aut cognatis, aut amicis, de injustitia acquirentibus percepimus? Ut non dicamus, quia et nunc in fide existentes acquirimus. Quis enim vendit, et non lucrari vult ab eo qui emit? Quis autem emit, et non vult utiliter secum agi ab eo qui vendit? Quis autem negotians non propterea negotiatur ut inde alatur? Quid autem et hi qui in regali aula sunt fideles, nonne ex eis quæ Cæsaris sunt habent utensilia, et his qui non habent unusquisque eorum secundum virtutem præstat? Ægyptii populi erant debitores non solum rerum, sed et vitæ suæ, propter Patriarchæ Joseph præcedentem benignitatem: nobis autem secundum quid debitores sunt Ethnici, a quibus et lucra et utilitates percipimus? quæcumque illi cum labore comparant, his nos, in fide cum simus, sine labore utimur.

II. Ad hoc populus pessimam servitutem serviebat Ægyptiis, quemadmodum Scriptura ait : « Et cum vi potestatem » exercebant Ægyptii in filios Israel, et in odium eis addu- » cebant vitam in operibus duris, luto et latere, et omnibus » operibus quæ faciebant in campis, per omnia opera qui- » bus eos deprimebant cum vi[1] : » et ædificaverunt eis civitates munitas, multum laborantes, et augentes eorum

[1] Exod, I, 13, 14.

ıbstantias annis multis, et per omnem modum servitutis, ım illi non solum ingrati essent adversus eos, verum et niversos perdere vellent. Quid igitur injuste gestum est, ex multis pauca sumpserunt, et qui potuerunt multas sub- ;antias habere, si non servissent eis, et divites abire, pau- issimam mercedem pro magna servitute accipientes, inopes bierunt? Quemadmodum si quis liber, abductus ab alique er vim, et serviens ei annis multis, et augens substantiam jus, post deinde aliquod adminiculum consecutus, pute- ur quidem modica quædam ejus habere, revera autem ex nultis laboribus suis, et ex acquisitione magna, pauca per- :ipiens discedat, et hoc ab aliquo imputetur ei, quasi non ecte fecerit; ipse magis injustus judex apparebit ei, qui per vim in servitium fuerit deductus. Sic ergo sunt et hujus- modi qui imputant populo parva de multis accipienti sibi; et ipsis non imputant, qui nullam gratiam ex merito paren- tum debitam reddiderunt, imo et in gravissimam servitu- tem redigentes, maximam ab eis consecuti sunt utilitatem: et illos quidem non signatum aurum et argentum in paucis vasculis, quemadmodum prædiximus, accipientes, injuste fecisse dicunt; semetipsos autem (dicetur enim quod ve- rum est, licet ridiculum quibusdam esse videatur), ex alie- nis laboribus insigne aurum, et argentum, et æramentum, cum inscriptione et imagine Cæsaris in zonis suis ferentes, juste (se) facere dicunt.

III. Si autem comparatio fiat nostra et illorum; qui jus- tius apparebunt accepisse? utrumne populus ab Ægyptiis, qui erant per omnia debitores; an nos a Romanis, et reli- quis gentibus, et a quibus nihil tale nobis debeatur? Sed et mundus pacem habet per eos, et nos sine timore in viis ambulamus et navigamus quocumque voluerimus. Adversus igitur hujusmodi aptus erit sermo Domini : « Hypocrita, » dicens, exime primo trabem de oculo tuo, et tunc perspi-

» cies auferre festucam de oculo fratris tui [1]. » Etenim si is qui tibi hæc imputat, et gloriatur in sua scientia, separatus est a gentilium cœtu, et nihil est alienorum apud eum, sed est simpliciter nudus, et nudis pedibus, et sine domo in montibus conversatur, quemadmodum aliquod ex his animalibus quæ herbis vescuntur; veniam merebitur, ideo quod ignoret necessitates nostræ conversationis. Si autem ab hominibus quæ dicuntur aliena esse participatur, et arguit typum eorum; semetipsum injustissimum ostendit, retorquens in se ejusmodi accusationem. Invenietur enim aliena circumferens, et ea quæ ejus non sunt concupiscens; et propter hoc dixisse Dominum : « Nolite judicare, ne ju» dicemini : in quo enim judicio judicabitis, judicabitur de » vobis [2]. » Non utique ut peccantes non corripiamus, nec ut his quæ male fiunt consentiamus; sed ut Dei dispositiones non judicemus injuste, cum ille omnia juste profutura providerit. Quoniam enim sciebat nos de nostra substantia, quam ab alio accipientes haberemus, bene acturos : « Qui » enim habet, inquit, duas tunicas, det ei qui non habet : » et qui habet escam, similiter faciat [3]. » Et : « Esurivi enim, » et dedistis mihi manducare : et nudus fui, et vestistis me [4]. » Et : « Cum facis misericordiam, non sciat sinistra tua quid » faciat dextra tua [5]; » et reliqua quæcumque benefacientes justificamur, velut de alienis nostra redimentes : de alienis autem ita dico, non quasi mundus alienus sit a Deo, sed quoniam hujusmodi dationes ab aliis accipientes habemus, similiter velut illi ab Ægyptiis qui non sciebant Deum, et per hæc ipsa erigimus nobismetipsis tabernaculum Dei : cum bene enim facientibus habitat Deus; quemadmodum Dominus ait : « Facite vobis amicos de mammona iniquita» tis, ut hi, quando fugati fueritis, recipiant vos in æterna

[1] Matth. VII, 5. — [2] Matth. I, 2. — [3] Luc. III, 11. — [4] Matth. XXV. 35, 36. — [5] Matth. VI, 3.

tabernacula[1]. » Quæcumque enim, cum essemus Ethnici, de injustitia acquisivimus, hæc, cum crediderimus, in dominicas utilitates conversantes, justificamur.

IV. Necessarie igitur in typo præmeditabantur, et Tabernaculum Dei ex his fabricatur : illis quidem juste accipientibus, quemadmodum ostendimus; nobis autem præostensis, qui inciperemus per aliena Deo deservire. Universa enim quæ ex Ægypto profectio fiebat populi a Deo, typus et imago fuit profectionis Ecclesiæ, quæ erat futura ex Gentibus : propter hoc et in fine educens eam hinc in suam hæreditatem, quam non Moyses quidem famulus Dei, sed Jesus Filius Dei in hæreditatem dabit. Si quis autem diligentius intendat his quæ a Prophetis dicuntur de fine, et quæcumque Joannes discipulus Domini vidit in Apocalypsi[2], inveniet easdem plagas universaliter accipere Gentes, quas tunc particulatim accepit Ægyptus.

CAPUT XXXI.

Quod Scriptura non redarguit, veteribus crimini temere dandum non esse; sed typum in eo quærendum : quod probatur exemplo incestus a Lot commissi.

I. Talia quædam enarrans de antiquis presbyter, reficiebat nos, et dicebat : De eisdem delictis de quibus ipsæ Scripturæ increpabant Patriarchas et Prophetas, nos non oportet exprobare eis, neque fieri similes Cham, qui irrisit turpitudinem patris sui, et in maledictionem decidit; sed gratias agere pro illis Deo, quoniam in adventu Domini nostri remissa sunt eis peccata : etenim illos dicebat gratias agere, et glorificari in nostra salute. De quibus autem Scripturæ non increpant, sed simpliciter sunt positæ, nos non debere fieri accusatores (non enim sumus diligentiores

[1] Luc. XVI, 9. — [2] Apoc. XVI, 2 et seqq.

Deo, neque super magistrum possumus esse), sed typum quærere. Nihil enim otiosum est eorum, quæcumque inaccusabilia posita sunt in Scripturis. Quemadmodum et Lot, qui eduxit de Sodomis filias suas, quæ conceperunt de patre suo, et qui reliquit in circumfinio uxorem suam statuam salis usque in hodiernum diem. Etenim Lot non ex sua voluntate, neque ex sua concupiscentia carnali, neque sensum neque cogitationem hujusmodi accipiens, consummavit typum. Quemadmodum Scriptura dicit : « Et intravit major nata, et dormivit cum patre suo nocte illa : et non » scivit Lot cum dormiret illa, et cum surgeret [1]. » Et in minore hoc idem : « Et non scivit, inquit, cum dormisset » secum, nec cum surrexisset [2]. » Nesciente igitur homine, neque libidini serviente, dispensatio perficiebatur, per quam duæ filiæ, id est, duæ synagogæ, ab uno et eodem patre in sobolem adoptatæ significabantur sine carnis libidine. Nec enim alter erat aliquis qui semen vitale et filiorum fructum posset dare eis, quemadmodum scriptum est : « Dixit autem » major ad minorem : Pater noster senior est, et nemo est » super terram qui intret ad nos, ut oportet omni terræ : » veni, potionemus patrem nostrum vino, et dormiamus cum » eo, ut suscitemus de patre nostro semen [3]. »

II. Illæ quidem filiæ secundum simplicitatem et innocentiam putantes universos homines periisse, quemadmodum Sodomitas, et in universam terram iracundiam Dei supervenisse, dicebant hæc. Quapropter et ipsæ excusabiles sunt, arbitrantes se solas relictas cum patre suo ad conservationem generis humani, et propter hoc circumveniebant patrem. Per verba autem earum significabatur, neminem esse alterum qui possit filiorum generationem majori et minori synagogæ præstare, quam Patrem nostrum. Pater autem generis humani Verbum Dei : quemadmodum Moyses

[1] Gen. XIX, 33. — [2] *Ibid.* 35. — [3] *Ibid.* 31, 32.

ostendit dicens : « Nonne hic ipse Pater tuus possedit te, et fecit te, et creavit te [1] ? » Quando igitur hic vitale semen, id est, Spiritum remissionis peccatorum per quem vivificamur, effudit in humanum genus? Nonne tunc cum convescebatur cum hominibus, et bibebat vinum in terra? « Venit *enim*, inquit, filius hominis manducans et bibens [2] : » et cum recubuisset, obdormivit, et somnum cepit. Quemadmodum ipse in David dicit : « Ego dormivi et somnum » cepi [3]. » Et quoniam in nostra communicatione et vita hoc agebat, iterum ait : « Et somnus meus suavis mihi factus est [4]. » Totum autem significabatur per Lot, quoniam semen patris omnium, id est, Spiritus Dei, per quem facta sunt omnia, commixtus et unitus est carni, hoc est, plasmati suo : per quam commixtionem et unitatem duæ synagogæ, id est, duæ congregationes fructificantes ex patre suo filios vivos vivo Deo.

III. Et cum hæc fierent, uxor remansit in Sodomis, jam non caro corruptibilis, sed statua salis semper manens, et per naturalia ea quæ sunt consuetudinis hominis, ostendens quoniam et Ecclesia, quæ est sal terræ, subrelicta est in confinio terræ, patiens quæ sunt humana : et dum sæpe auferuntur ab ea membra integra, perseverat statua salis, quod est firmamentum fidei, firmans et præmittens filios ad Patrem ipsorum.

CAPUT XXXII.

Utriusque Testamenti unum Deum auctorem esse, senioris Apostolorum discipuli auctoritate confirmat.

I. Hujusmodi quoque de duobus Testamentis senior Apostolorum discipulus disputabat, ab uno quidem et eodem Deo utraque ostendens : nec esse alterum Deum præter

[1] Deut. XXXII, 6. — [2] Matth. XI, 19. — [3] Psal. III, 6. — [4] Jerem. XXXI, 26.

unum qui fecit et plasmavit nos, nec firmitatem habere sermonem eorum qui dicunt, aut per Angelos, aut per quamlibet Virtutem, aut ab alio Deo factum esse hunc mundum qui est secundum nos. Si enim semel quis transmoveatur a factore omnium, et concedat ab aliquo altero aut per alium factam conditionem quæ est secundum nos, multam incongruentiam et plurimas contradictiones necesse est incidat hujusmodi : ad quas nullas dabit rationes, neque secundum verisimile, neque secundum veritatem. Et propter hoc hi qui alias doctrinas inferunt, abscondunt a nobis quam habent ipsi de Deo sententiam; scientes quassum et futile doctrinæ suæ, et timentes ne victi salvari periclitentur. Si autem credat quis unum Deum, et qui Verbo omnia fecit, quemadmodum et Moses ait : « Dixit Deus, fiat lux, et facta » est lux [1]; » et in Evangelio legimus : « Omnia per ipsum » facta sunt, et sine ipso factum est nihil [2]; » et Apostolus Paulus similiter : « Unus Dominus, una fides, unum bap» tisma, unus Deus et Pater, qui est super omnes, et in » omnibus nobis [3] : » hic primo erit « tenens caput, ex quo » totum corpus compactum et connexum, et per omnem » juncturam subministrationis in mensura uniuscujusque » partis, incrementum corporis fecit, in ædificationem sui » in charitate [4]. » Post deinde et omnis sermo ei constabit, si et Scripturas diligenter legerit apud eos qui in Ecclesia sunt presbyteri, apud quos est Apostolica doctrina, quemadmodum demonstravimus.

II. Apostoli enim omnes duo quidem Testamenta in duobus populis fuisse docuerunt : unum autem et eumdem esse Deum, qui disposuerit utraque ad utilitatem hominum, secundum quos Testamenta dabantur, qui incipiebant credere Deo, ex ipsa demonstravimus Apostolorum doctrina in tertio libro : et quoniam non otiose, nec frustra, aut ut

[1] Gen. I, 3. — [2] Joan. I, 3. — [3] Ephes. IV, 5, 6. — [4] Ibid. 16; Coloss. II, 19.

venit, datum est prius Testamentum; sed illos quidem ibus dabatur in servitutem Dei concurvans, ad utilitatem rum (non enim indiget Deus ab hominibus servitutem): pum autem cœlestium ostendens, quoniam nondum porat homo per proprium visum videre quæ sunt Dei: et nagines eorum quæ sunt in Ecclesia præfigurans, ut firma quæ secundum nos est, fiat fides: et prophetiam futurum continens, ut disceret homo, præscium esse omnium eum.

CAPUT XXXIII.

Quisquis unum Deum utriusque Testamenti auctorem esse confitetur, et Scripturas apud Ecclesiæ presbyteros accurate legit, hic vere spiritualis discipulus est; atque vera agnitione, quæ in sola Ecclesia Catholica reperitur, illustratus, quæcumque de Christo ac novi Testamenti libertate prænuntiarunt Prophetæ, perspicit et recte interpretatur.

I. Talis discipulus vere spiritualis recipiens Spiritum Dei, qui ab initio in universis dispositionibus Dei affuit hominibus, et futura annuntiavit, et præsentia ostendit, et præterita enarrat; judicat quidem omnes, ipse autem a nemine judicatur. Nam judicat Gentes, « creaturæ magis quam » Creatori servientes [1], » et reprobabili mente universam suam operationem in vanum consumentes. Judicat autem etiam Judæos, non percipientes Verbum libertatis, neque volentes abire liberos, cum habeant præsentem liberatorem; sed intempestive extra Legem servire simulantes nihil indigenti Deo, et Christi adventum, quem propter salutem hominum fecit, non cognoscentes: neque intelligere volentes, quoniam duos adventus ejus omnes annuntiaverunt Prophetæ: unum quidem, in quo homo in plaga factus est [2], sciens ferre imbecillitatem, et in pullo asinæ sedens [3], repro-

[1] Rom. I, 25. — [2] Esai. LIII, 3. — [3] Zach. IX, 9.

batus lapis ab ædificantibus[1], et sicut ovis ad victimam adductus[2], et per extensionem manuum dissolvens quidem Amalech[3], congregans autem dispersos filios a terminis terræ in ovile Patris[4], et « recommemoratus mortuorum suorum qui ante dormierant, et descendens ad eos, uti erueret eos et salvaret eos[5]. » Secundum autem, in quo super nubes veniet, superducens diem quæ est sicut clibanus ardens[6], et percutiens terram Verbo oris sui[7], et Spiritu per labia sua interficiens impios[8], et ventilabrum in manu habens, et emundans aream suam, et triticum quidem in horreum colligens, comburens autem paleas igne inexstinguibili[9].

II. Examinabit autem et doctrinam Marcionis, quomodo accipiat duos Deos esse, infinita distantia separatos ab invicem. Vel quemadmodum bonus erit qui alienos homines abstrahit ab eo qui fecit, et ad suum advocat regnum? et quare bonitas ejus deficit, non omnes salvans? et quare circa homines quidem bonus videtur, in ipsum autem qui fecit homines injustissimus, auferens ab eo quæ sunt ejus? Quomodo autem juste Dominus, si alterius Patris existit, hujus conditionis quæ est secundum nos accipiens panem, suum corpus esse confitebatur, et temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit? Et quare se Filium hominis confitebatur, si non eam, quæ ex homine est, generationem sustinuisset? Quemadmodum autem et peccata nobis dimittere poterat, quæ nostro debeamus factori et Deo? Quomodo autem et cum caro non esset, sed pareret quasi homo, crucifixus est, et e latere ejus puncto sanguis exiit et aqua? Quod autem corpus sepelierunt sepultores, et quid illud erat quod surrexit a mortuis?

III. Judicabit autem et eos qui sunt a Valentino omnes, quia lingua quidem confitentur unum Deum Patrem, et ex

[1] Psal CXVII, 22. — [2] Esai. LIII, 7. — [3] Exod. XVII, 11. — [4] Esai. XI, 12. — [5] Jerem. — [6] Dan. VII, 13. — [7] Malach. IV, 1. — [8] Esai. XI, 4. — [9] Matth. III, 12.

)c omnia; ipsum autem, qui fecit omnia, defectionis sive bis fructum esse dicunt: et unum Dominum Jesum Chrisım Filium Dei similiter lingua confitentes, propriam quiem emissionem sententia sua Unigenito donantes, propriam ero Verbo, et alteram Christo, alteram vero Salvatori; ita t secundum eos dicantur quidem omnia esse quasi unum, numquemque autem ipsorum separatim intelligi, et proriam habere emissionem, secundum suam conjugationem. .inguas itaque eorum videlicet solas in unitatem cessisse; ententiam vero eorum et sensum quæ profunda sunt scruari, decidentem ab unitate, incidere in multiforme Dei udicium, cum de his quæ sibimetipsi adinvenerunt interogabuntur a Christo: quem et postea natum quam Pleoma Æonum dicunt, et emissionem ejus post diminutionem sive defectionem, et propter eam passionem quæ facta est in Sophia, semetipsos obstetricatos esse affirmant. Accusabit autem eos Homerus proprius ipsorum propheta, a quo eruditi talia invenerunt, ipso dicente hæc: « Inimicus » est enim ille mihi similiter atque fores inferorum, qui aliud » quidem abscondit in corde suo, aliud autem enarrat[1]. » Judicabit autem et vaniloquia pravorum Gnosticorum, Simonis eos magi discipulos ostendens.

IV. Judicabit autem et Ebionitas. Quomodo possunt salvari, nisi Deus est qui salutem illorum super terram operatus est? Et quomodo homo transiet in Deum, si non Deus in hominem? Quemadmodum autem relinquet mortis generationem, si non in novam generationem mire et inopinate a Deo, in signum autem salutis, datam, quæ est ex Virgine per fidem, regenerationem? Vel quam adoptionem accipient a Deo, permanentes in hac genesi quæ est secundum hominem in hoc mundo? Quomodo autem plus quam Salomon, aut plus quam Jona habebat, et Dominus erat

[1] Iliad. IX, 312, 313.

David, qui ejusdem cum ipsis fuit substantiæ? Quomodo autem eum qui adversus homines fortis erat, qui non solum vicit hominem, sed et detinebat eum sub sua potestate, devicit, et eum quidem qui vicerat vicit; eum vero qui victus fuerat hominem dimisit, nisi superior fuisset eo homine qui fuerat victus? Melior autem eo homine, qui secundum similitudinem Dei factus est, et excellentior quisnam sit alius, nisi Filius Dei, ad cujus similitudinem factus est homo? Et propter hoc in fine ipse ostendit similitudinem: Filius Dei factus est homo, antiquam plasmationem in semetipsum suscipiens, quemadmodum ostendimus in eo libro qui est hoc superior.

V. Judicabit autem et eos qui putativum inducunt. Quemadmodum enim ipsi vere se putant disputare, quando magister eorum putativus fuit? Aut quemadmodum firmum quid habere possunt ab eo, si putativus, et non veritas erat? Quomodo autem ipsi salutem vere participare possunt si ille in quem credere se dicunt, semetipsum putativum ostendebat? Putativum est igitur, et non veritas, omne apud eos : et nunc jam quæretur, ne forte cum et ipsi homines non sint, sed muta animalia, hominum umbras apud plurimos perferant.

VI. Judicabit autem et pseudoprophetas, qui non accepta a Deo prophetica gratia, nec Deum timentes, sed aut propter vanam gloriam, aut ad quæstum aliquem, aut et aliter secundum operationem mali spiritus, fingunt se prophetare, mentientes adversus Deum.

VII. Judicabit autem et eos qui schismata operantur, qui sunt inanes, non habentes Dei dilectionem, suamque utilitatem potius considerantes quam unitatem Ecclesiæ, et propter modicas et quaslibet causas magnum et gloriosum corpus Christi conscindunt et dividunt, et quantum in ipsis est, interficiunt : pacem loquentes, et bellum operan-

s : vero liquantes culicem, et camelum transglutientes. ılla enim ab eis tanta potest fieri correctio, quanta est hismatis pernicies. Judicabit autem et omnes eos qui ınt extra veritatem, id est, qui sunt extra Ecclesiam : ›se autem a nemine judicabitur. Omnia enim ei constant : t in unum Deum omnipotentem, ex quo omnia, fides in- :gra ; et in Filium Dei Christum Jesum Dominum nostrum, er quem omnia, et dispositiones ejus, per quas homo fac- us est filius Dei, sententia firma, quæ est in Spiritu Dei, ui præstat agnitionem veritatis, qui dispositiones Patris et Filii exposuit, secundum quas aderat generi humano, quem- admodum vult Pater.

VIII. Agnitio vera est Apostolorum doctrina, et antiquus Ecclesiæ status, in universo mundo, et character corporis Christi secundum successiones episcoporum, quibus illi eam, quæ in unoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt : quæ pervenit usque ad nos custoditione sine fictione Scripturarum tractatio plenissima, neque additamentum neque ablationem recipiens; et lectio sine falsatione, et secundum Scripturas expositio legitima, et diligens, et sine periculo, et sine blasphemia; et præcipuum dilectionis munus, quod est pretiosius quam agnitio, gloriosius autem quam prophetia, omnibus autem reliquis charismatibus supereminentius.

IX. Quapropter Ecclesia omni in loco ob eam quam habet erga Deum dilectionem, multitudinem martyrum in omni tempore præmittit ad Patrem; reliquis autem omnibus non tantum non habentibus hanc rem ostendere apud se, sed nec quidem necessarium esse dicentibus tale martyrium; esse enim martyrium verum sententiam eorum : nisi si unus, aut duo aliquando, per omne tempus ex quo Dominus apparuit in terris, cum martyribus nostris, quasi et ipse misericordiam consecutus, opprobrium simul baju-

lavit nominis, et cum eis ductus est, velut adjectio quædam donata eis. Opprobrium enim eorum qui persecutionem patiuntur propter justitiam, et omnes pœnas sustinent, et mortificantur propter eam quæ est erga Deum dilectionem, et confessionem Filii ejus, sola Ecclesia pure sustinet (sæpe debilitata, et statim augens membra et integra fiens; quemadmodum et typus ejus, quæ fuit illius Lot, salis figmentum[1]) : similiter ut veteres Prophetæ sustinentes persecutionem, quemadmodum Dominus ait : « Sic enim persecuti » sunt Prophetas, qui ante vos fuerunt[2]; » quoniam nove quidem, sed idem Spiritus requiescens super eam, ab his qui non recipiunt Verbum Dei, persecutionem patitur.

X. Quod quidem Prophetæ cum reliquis quæ prophetabant et hoc prophetaverunt, quoniam super quoscumque requieverit Spiritus Dei, et obediverint Verbo Patris, et secundum virtutem servierint ei, persecutionem patientur, et lapidabuntur, et occidentur. In semetipsis enim hæc omnia præfigurabant Prophetæ, propter dilectionem Dei, et propter verbum ejus. Cum enim et ipsi membra essent Christi, unusquisque eorum secundum quod erat membrum, secundum hoc et prophetationem manifestabat, omnes et multi unum præformantes, et ea quæ sunt unius annuntiantes. Quomodo enim per nostra membra operatio quidem universi corporis ostenditur; figura autem totius hominis per unum membrum non ostenditur, sed per omnia : sic et Prophetæ omnes quidem unum præfigurabant; unusquisque autem eorum secundum quod erat membrum, secundum hoc et dispositionem adimplebat, et eam quæ secundum illud membrum erat, operationem Christi præformabat.

XI. Quidam enim in gloria videntes eum, gloriosam ejus apud Patrem a dextris conversationem videbant; alii super

[1] Gen. XIX, 26. — [2] Matth. V, 12.

nubes, quemadmodum Filium hominis, venientem, et dicentes de eo : « Videbunt in quem compunxerunt [1] ; » adventum ejus significabant, de quo ipse ait : « Putas, cum Filius » hominis venerit, inveniet fidem super terram [2] ? » De quo et Paulus ait : « Si tamen justum est apud Deum retribuere » eis qui tribulant vos, tribulationem ; et vobis qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de » cœlo cum Angelis virtutis ejus, et in flamma ignis [3]. » Alii vero judicem dicentes eum, et diem Domini tanquam clibanum ardentem, qui « colligit triticum in horrea, paleas » autem comburet igni inexstinguibili [4], » comminabantur eis qui increduli erant ; de quibus et ipse Dominus ait : « Abite a me maledicti in ignem æternum, quem præparavit » Pater meus diabolo et Angelis ejus [5]. » Et Apostolus autem similiter ait : « Qui pœnas dabunt interitus æternas a facie » Domini, et a gloria virtutis ejus, cum venerit glorificari in » sanctis suis, et admirabilis fieri his qui credunt in eum [6]. » Et qui dicunt : « Speciosus forma præ filiis hominum [7] ; » et : « Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis [8] ; » et, « Accingere gladium tuum, potentissime, circa » femur tuum : specie tua et pulchritudine tua et intende, et prospere procede, et regna propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam [9] ; » et quæcumque alia talia dicta sunt de eo, eam quæ est in regno speciem ejus et decorem, et exsultationem supercoruscantem, et supereminentiorem omnibus qui regnantur sub ipso, significabant : ut qui audiunt, concupiscerent ibi inveniri, placentia facientes Deo. Qui iterum dicentes : « Homo est, et quis cognoscet eum [10] ? » et : « Veni ad Prophetam, et peperit filium [11], et vocatur no-

[1] Psal. cix, 1 ; Dan. vii, 13 ; Zach. xii, 10. — [2] Luc. xviii, 8. — [3] 2 Thess. 1, 6 et seqq. — [4] Matth. iii, 12. — [5] Matth. xxv, 41. — [6] 2 Thess. 1, 9, 10. — [7] Psal. xliv, 3. — [8] *Ibid.* 8. — [9] *Ibid.* 4, 5. — [10] Jerem. xvii, 9. — [11] Esai. viii, 3.

» men ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis[1]; » et qui eum ex Virgine Emmanuel prædicabant, adunitionem Verbi Dei ad plasma ejus manifestabant[2]: quoniam Verbum caro erit, et Filius Dei filius hominis (purus pure puram aperiens vulvam, eam quæ regenerat homines in Deum, quam ipse puram fecit); et hoc factus quod et nos, Deus fortis est, et inenarrabile habet genus. Et qui dicunt: « Dominus in » Sion locutus est, et de Hierusalem dedit vocem suam[3]; » et: « Notus in Judæa Deus[4]; » qui in Judæa, adventum ejus significabant. Qui autem rursus dicunt « ab Africo venire » Deum, et de monte umbroso et condenso[5], » adventum ejus qui est ex Bethleem dicebant (quemadmodum ostendimus in eo libro qui est ante hunc): unde et is qui præest, et pascit populum Patris sui, venit. Qui autem dicunt: Adventu ejus, « quemadmodum cervus claudus saliet, » et plana erit lingua mutorum, et aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum audient[6], » et manus dissolutæ et genua debilia firmabuntur[7]; et: « Resurgent qui in monumento sunt mortui[8]; » et: « Ipse infirmitates nostras » accipiet, et languores portabit[9]; » eas quæ ab eo curationes fiebant annuntiaverunt.

XII. Quidam autem hominem infirmum, et ingloriosum, et scientem ferre infirmitatem[10], et sedentem super pullum asinæ[11] venturum Hierosolymam, dorsum suum ponentem ad flagella et maxillas suas ad palmas[12], et quemadmodum ovem adduci ad victimam[13], et aceto et felle potari[14], et ab amicis et ab his qui proximi sunt derelinqui[15], et extendentem manus per totam diem[16], et ab eis qui eum intuebantur subsannari et maledici, et partiri vestimenta ejus

[1] Esai. IX, 6. — [2] Esai. VII, 14. — [3] Joel. III, 16. — [4] Psal. LXXV, 3. — [5] Habac. III, 3. — [6] Esai. XXXV, 5, 6. — [7] Ibid. 3. — [8] Esai. XXVI, 19. — [9] Esai. LIII, 4. — [10] *Ibid.* 3. — [11] Zach. IX, 9. — [12] Esai. L, 6. — [13] Esai. LIII, 7. — [14] Psal. LXVIII, 22. — [15] Psal. XXXVII, 12. — [16] Esai. LXV, 2.

super vestimentum ejus mitti sortem, et in limum mortis eductum [1], et omnia talia; eum qui secundum hominem st adventum ejus, sicut intravit in Hierosolymam, in qua t passus, et crucifixus, sustinuit omnia quæcumque sunt rædicta, prophetabant. Alii autem dicentes : « Rememoratus est Dominus sanctus mortuorum suorum, qui prædormierunt in terra limi, et descendit ad eos uti erigeret ad salvandum illos [2]; » causam reddiderunt propter quam passus est hæc omnia. Qui autem dixerunt : « In illa die, dicit Dominus, Occidet sol meridie, et erunt tenebræ super » terram in die lucis, et convertam dies festos vestros in » luctum, et universa cantica vestra in lamentationem [3]; » eum occasum solis qui crucifixo eo fuit ab hora sexta, manifeste annuntiaverunt, et quia posteaquam hoc factum est, hi qui secundum Legem erant dies festi eorum, et cantica, in luctum et lamentationem verterentur, cum inciperent tradi gentibus. Adhuc etiam manifestius hoc idem et Hieremias ostendit, sic dicens : « Exinanita est quæ parit, tæ» duit anima ejus : occidit sol ei, cum adhuc medius dies » esset; confusa est, et improperium passa est : reliquos eo» rum in gladium dabo in conspectu inimicorum eorum [4]. »

XIII. Qui autem dixerunt eum dormisse, et somnum cepisse, et resurrexisse, quoniam Dominus suscepisset eum [5], et præcipientes principibus cœlorum aperire æternas portas, ut introeat Rex gloriæ [6]; resurrectionem ejus quæ est a mortuis per Patrem, et receptionem in cœlos præconaverunt. In eo autem quod dixerunt : « A summo cœlo egressio » ejus, et occursus ejus usque ad summum cœli, et non est » qui se abscondat a calore ejus [7]; » quoniam illuc assumptus est unde et descendit, et non est qui justum judicium ejus effugiat, id ipsum annuntiabant. Et qui dicebant :

[1] Psal. xxi, 8, 16, 19. — [2] Jerem. — [3] Amos, viii, 9, 10. — [4] Jerem. xv, 9. — [5] Psal. iii, 6. — [6] Psal. xxiii, 7, 9. — [7] Psal. xviii, 7.

« Dominus regnavit, irascantur populi; qui sedet super » Cherubim, commoveatur terra[1]; » partim quidem eam quæ post assumptionem ejus facta est super eos qui in eum crediderunt, iram ab omnibus populis, et motum universæ terræ adversus Ecclesiam prophetabant; partim autem veniente eo de cœlis cum Angelis virtutis ejus, commoveri universam terram, quemadmodum ipse ait : « Erit terræ » motus magnus, qualis non est factus ab initio[2]. » Et rursus in eo cum dicit : « Quisquis judicatur, ex adverso astet; » et quisquis justificatur, appropinquet puero Dei[3]; » et : « Væ vobis, quoniam omnes veterascetis sicut vestimen- » tum, et tinea comedet vos; » et : « Humiliabitur omnis » caro, et exaltabitur Dominus solus in altissimis[4]; » significatur, quoniam post passionem qui contra eum fuerunt, sub pedibus ejus subjiciet Deus, et ipse super omnes exaltabitur, et nemo erit qui justificetur aut comparetur ad eum.

XIV. Et qui dicunt, dispositurum Deum Testamentum novum hominibus, non quemadmodum disposuit patribus in Horeb[5]; et cor novum, et spiritum novum dare hominibus[6]; et rursus : « Et antiqua nolite reputare; ecce, facio » nova, quæ nunc orientur, et scietis : et faciam in deserto » viam, et in terra inaquosa flumina, ad potandum genus » electum, populum meum quem acquisivi, ut virtutes meas » enarret[7]; » quæ est novi Testamenti libertas, hanc manifeste annuntiabant, et novum vinum quod in novos utres mittitur[8], fidem quæ est in Christo, qua annuntiavit ortam in eremo viam justitiæ, et in terra inaquosa flumina Spiritus sancti, adaquare genus electum Dei, quod acquisivit, ut virtutes ejus enarrentur[9]; sed non ut blasphemarent eum qui hæc fecit, Deus.

[1] Psal. xcviii, 1. — [2] Matth. xxiv, 21. — [3] Esai. l, 8, 9. — [4] Esai. ii, 17. — [5] Jerem. xxxi, 31, 32. — [6] Ezech. xxxvi, 26. — [7] Esai. xliii, 18. — [8] Matth. ix, 17. — [9] 1 Petr. ii, 9.

XV. Et reliqua omnia quæcumque per tantam seriem cripturæ demonstravimus Prophetas dixisse, spiritualis ere qui est interpretabitur, unumquodque eorum quæ dicta unt, in quem dictum sit characterem dispositionis Domini, t integrum corpus operis Filii Dei ostendens; semper eumlem Deum sciens, et semper eumdem Verbum Dei co;noscens, etiamsi nunc nobis manifestatus est; et semper umdem Spiritum Dei cognoscens, etiamsi in novissimis emporibus nove effusus est in nos, et a conditione mundi isque ad finem in ipsum humanum genus : ex quo qui credunt Deo, et sequuntur Verbum ejus, percipiunt eam quæ est ab eo salutem. Qui vero abscedunt ab eo, et contemnunt præcepta ejus, et per opera sua inhonorant eum qui se fecit, et sententia sua blasphemant eum qui se alit, justissimum adversus se coacervant judicium. Hic igitur examinat omnes, ipse vero a nemine examinatur; neque Patrem suum blasphemans, neque dispositiones ejus frustrans, neque Patres accusans, neque Prophetas exhonorans, aut ab alio Deo dicens eos, aut iterum ex alia et alia substantia fuisse prophetias.

CAPUT XXXIV.

Adversus Marcionitas, ab uno et eodem Deo Prophetas extitisse ex eo probat, quod quæcumque de Christo, novi Testamenti libertate, ac futura hominum renovatione prædixerunt, in unum Christum nostrum, a quo impleta sunt omnia, nec in alium conveniant.

I. Dicemus autem adversus omnes hæreticos, et primo quidem adversus eos qui sunt a Marcione, et adversus eos qui sunt similes illis, ab altero Deo dicentes esse Prophetas : Legite diligentius id quod ab Apostolis est Evangelium nobis datum, et legite diligentius Prophetas, et invenietis universam actionem, et omnem doctrinam, et omnem passio-

nem Domini nostri prædictam in ipsis. Si autem subit vos hujusmodi sensus, ut dicatis : Quid igitur Dominus attulit veniens? cognoscite, quoniam omnem novitatem attulit, semetipsum afferens, qui fuerat annuntiatus. Hoc enim ipsum prædicabatur, quoniam novitas veniet innovatura et vivificatura hominem. Regis enim adventus ab his quidem qui mittuntur servis prænuntiatur, propter apparatum et expeditionem eorum qui inciperent suscipere suum dominum. Cum autem venit rex, et illi prænuntiato gaudio adimpleti sunt qui sunt subjecti, et perceperunt eam quæ est ab eo libertatem, et participant visionem ejus, et audierunt sermones ejus, et fruiti sunt muneribus ab eo; non jam requiretur quid novus attulit rex super eos qui annuntiaverunt adventum ejus, apud eos videlicet qui sensum habent. Semetipsum enim attulit, et ea quæ prædicta sunt bona, in quæ concupiscebant Angeli intendere, donavit hominibus.

II. Tunc autem fuissent servi mendaces, et non a Domino missi, si non Christus adveniens talis qualis et prædicabatur, adimplesset eorum sermones. Quapropter dicebat : « Ne putetis, quoniam veni dissolvere Legem aut Prophe» tas : non veni dissolvere, sed adimplere. Amen enim dico » vobis, donec pertranseat cœlum et terra, iota unum aut » unus apex non transiet a Lege et Prophetis, quoadusque » omnia fiant[1]. » Omnia enim ipse adimplevit veniens, et adhuc implet in Ecclesia, usque ad consummationem, a Lege prædictum novum Testamentum. Quemadmodum et Paulus Apostolus ejus ait in ea quæ est ad Romanos : « Nunc » autem sine Lege justitia Dei manifestata est, testificata a » Lege et Prophetis[2] : Justus enim ex fide vivet[3]. » Hoc autem, quoniam justus ex fide vivet, per Prophetas prædictum fuerat.

[1] Matth. v, 17, 18. — [2] Rom. III, 21. — [3] Rom. I, 17.

III. Unde autem poterant prædicere Prophetæ Regis adventum, et eam libertatem quæ ab eo dabatur prævangelizare, et omnia quæ a Christo facta sunt, et sermonem, et operationem, et passionem ejus prænuntiare, et novum Testamentum prædicere, si ab altero Deo propheticam inspirationem acceperunt; ignorantes inenarrabilem Patrem, secundum vos, et regnum ejus, et dispositiones ejus, quas Filius Dei veniens in terris implevit? Neque enim casu quodam hæc evenisse potestis dicere, tanquam a Prophetis quidem de altero quodam dicta, similiter autem evenerunt Domino. Omnes enim Prophetæ hæc eadem prophetaverunt: sed neque alicui ex veteribus evenerunt. Si enim evenissent alicui ex veteribus ista, non utique qui postea fuerunt prophetassent in novissimis temporibus futura hæc. Adhuc etiam nemo est neque Patrum, neque Prophetarum, neque antiquorum regum, circa quem proprie ac specialiter factum sit aliquid horum. Nam omnes quidem Christi passiones prophetaverunt; ipsi autem ad patiendum, similiter ut ipsa prædicta sunt, longe erant. Et argumenta autem quæ prædicta sunt Dominicæ passionis, in nullo altero facta sunt. Neque enim sol medio die occidit aliquo de veteribus mortuo, neque scissum est velum templi, neque terra mota est, neque petræ disruptæ sunt, neque mortui resurrexerunt, neque in tertia die quis illorum surrexit, neque receptus est in cœlum, neque cum assumeretur aperti sunt cœli, neque in nomen alicujus alterius crediderunt gentes, neque quis ex eis mortuus et resurgens aperuit novum libertatis Testamentum. Non igitur de altero, sed de Domino, in quem concurrerunt omnia prædicta signa, dicebant Prophetæ.

IV. Si autem aliquis Judæis advocationem præstans, erectionem Templi, quæ, posteaquam in Babylonem transmigraverunt, facta est sub Zorobabel, et discessionem populi, quæ facta est post septuaginta annos, dicat hoc esse novum

Testamentum; cognoscat, quoniam lapideum quidem Templum restructum est tunc (adhuc enim illa quæ in lapideis tabulis facta fuerat, lex servabatur); novum autem Testamentum datum est nullum, sed ea lege quæ per Moysem data est utebantur usque ad adventum Domini: Domini autem adventu novum Testamentum ad pacem reconcilians, et vivificatrix lex in universam exivit terram: « Ex Sion enim prodiet lex, et verbum Domini de Hierusalem, et arguet populum multum: et concident gladios suos in aratra, et lanceas suas in falces, et jam non discent pugnare[1]. » Si igitur alia lex et verbum exiens ab Hierusalem, tantam pacem fecit apud eas gentes quæ eum receperunt, et per eas arguit imprudentiæ multum populum, videtur consequens de altero dixisse Prophetas. Si autem libertatis lex, id est, verbum Dei ab Apostolis, qui ab Hierusalem exierunt, annuntiatum in universam terram, in tantum transmutationem fecit, ut gladios et lanceas bellatorias in aratra fabricaverit ipse, et in falces, quæ donavit ad metendum frumentum, in organa pacifica, demutaverit, et jam nesciunt pugnare, sed percussi et alteram præbent maxillam; non de aliquo alio Prophetæ dixerunt hæc, sed de eo qui fecit ea. Hic autem est Dominus noster, et in hoc est sermo verus: quoniam ipse est qui aratrum fecit, et falcem intulit, hoc est, hominis primam seminationem, quæ fuit secundum Adam plasmatio, et in novissimis temporibus per Verbum collectam fructificationem: et propter hoc qui initium fini conjungebat, et utrorumque Dominus existens, in fine quidem aratrum ostendit, lignum copulatum ferro, et sic ejus expurgavit terram: quoniam firmum Verbum unitum carni, et habitu tali confixus, emundavit sylvestrem terram. Initio autem falcem figurabat per Abel, significans justi generis humanam collectionem: « Vide enim, inquit,

[1] Esai. II, 3, 4; Mich. IV, 2, 3.

« quomodo justus perit, et nemo intuetur; et viri justi tol-« luntur, et nemo excipit corde[1]. » Hæc autem in Abel quidem præmeditabantur, a Prophetis vero præconabantur, in Domino autem perficiebantur, et in nobis autem idipsum est, consequente corpore suum caput.

V. Et adversus eos quidem qui ab alio Deo Prophetas dicunt, ab altero autem Patre Dominum nostrum, talia sunt apta, si quo modo tandem quiescant a tanta irrationabilitate. Propter hoc enim et laboramus eas quæ sunt ex Scripturis adhibere ostensiones, ut ipsis sermonibus confutantes eos, quantum in nobis est, cohibeamus eos a grandi blasphemia, et a multorum Deorum dementi fabricatione.

CAPUT XXXV.

Vana et insana esse quæ de variis Scripturarum principiis comminiscebantur Valentiniani et Gnostici; nec proinde Prophetas (multo minus Christum) partim a summitate, partim a medietate, partim a Demiurgo afflatos, locutos fuisse.

I. Adversus eos rursus qui sunt a Valentino, et reliquos falsi nominis Gnosticos, qui aliquando quidem a summitate quædam eorum quæ sunt in Scripturis posita dicta dicunt, propter semen quod est inde; aliquando vero a medietate, propter matrem Prunicam audacem; multa vero a mundi fabricatore, a quo et missi sunt Prophetæ : dicimus valde irrationabile esse, in tantum inopiæ deducere Patrem universorum, quasi non habuerit sua instrumenta, per quæ pure ea quæ sunt in Pleromate annuntiarentur. Quem enim timebat, ut non libere et sine commixtione ejus spiritus, qui est in diminutione et ignorantia factus, proprie ac separatim significaret voluntatem suam? An timebat ne plurimi salvarentur, cum plures pure audissent ea quæ sunt

[1] Esai. LVII, 1.

veritatis? An rursus impotens erat ipse sibi præparare eos, qui adventum Salvatoris annuntiarent?

II. Si autem cum huc venisset Salvator, suos Apostolos misit in mundum, pure adventum ejus annuntiantes, et voluntatem Patris docentes, in nullo communicantes neque Gentium neque Judæorum doctrinæ; multo magis in Pleromate existens prædicatores proprios destinasset, annuntiantes in hunc mundum futurum adventum ejus, in nullo communicantes iis prophetis quæ sunt a Demiurgo. Si autem, cum esset intra Pleroma, usus est iis Prophetis qui erant secundum Legem, et per eos ostendit quæ sunt sua; multo magis, cum huc venisset, his ipsis usus fuisset magistris, et per eos annuntiasset nobis Evangelium. Jam igitur non Petrum et Paulum et reliquos Apostolos dicant annuntiasse veritatem, sed Scribas, et Pharisæos, et reliquos per quos Lex annuntiabatur. Si autem suos in suo adventu proprios Apostolos emisit in spiritu veritatis, et non in spiritu erroris; hoc idem ipsum et in Prophetis fecit: semper enim idipsum Verbum Dei. Et si quidem de principalitate Spiritus fuit, secundum regulam ipsorum, Spiritus lucis, et Spiritus veritatis, et Spiritus perfectionis, et Spiritus agnitionis; is vero qui a Demiurgo, fuit Spiritus ignorantiæ, et diminutionis, et erroris, et umbræ progenies; quemadmodum in uno et eodem potuit esse perfectio et diminutio, agnitio et ignorantia, error et veritas, lux et tenebræ? Si autem in Prophetis impossibile erat hæc ita esse, sed ab uno Deo verbum Domini præconabant, et adventum Filii ejus annuntiabant; multo magis Dominus ipse nunquam modo quidem de principali, modo vero de subjecta deminoratione fecisset sermones, et agnitionis et ignorantiæ simul factus magister: nec unquam modo quidem mundi fabricatorem, modo autem eum qui super hunc est glorificaret Patrem, quemadmodum ipse ait: « Nemo immittit

» commissuram vestimenti novi in vestimentum vetus, nec » mittunt vinum novum in utres veteres [1]. » Igitur aut omni modo et ipsi abstineant se a Prophetis, tanquam a veteribus; et non dicant, eos ab ea novitate quæ secundum principalitatem est quædam dixisse, præmissos a Demiurgo : aut rursus arguuntur a Domino dicente, « novum vinum non » mitti in utres veteres. »

III. Unde autem semen Matris ipsorum poterat cognoscere ea quæ erant intra Pleroma sacramenta, et de his eloqui? Siquidem extra Pleroma existens Mater, peperit hoc ipsum semen; quod autem extra Pleroma est, extra agnitionem esse dicunt, quod est ignorantia. Quomodo igitur id quod erat ignorantia, semen conceptum, agnitionem annuntiare poterat? Aut quemadmodum ipsa Mater ea quæ erant Pleromatis cognoscebat sacramenta, informis et infigurata, quasi abortivum projecta foras, et ibi aptata et formata, et ab Horo prohibita interius ingredi, et usque ad consummationem extra Pleroma perseverans, id est, extra agnitionem? Rursus autem passionem Domini typum esse dicentes extensionis Christi superioris, qua extensus Horo formavit eorum Matrem; in reliquis arguuntur, non habentes similitudinem typi ostendere. Ubi enim sursum Christus aceto et felle potatus est? aut ubi divisa sunt vestimenta ejus? aut ubi punctus est, et exivit sanguis et aqua? aut ubi guttas sanguinis sudavit? et reliqua quæcumque Domino acciderunt, de quibus dixerunt Prophetæ. Unde ergo de iis quæ tunc quidem nondum evenerant, incipiebant autem evenire, aut Mater, aut semen ejus divinavit?

IV. Adhuc etiam super hæc dicunt quidem a principalitate quædam dicta, confutati ab iis quæ in Scripturis de Christi adventu referuntur. Quæ autem sint hæc, non jam unum sentiunt, sed alii alia de his ipsis respondent. Si quis

[1] Luc. v, 36, 37.

enim experimentum eorum volens accipere, separatim interroget de aliquo sermone eos qui excellentes sint apud eos; inveniet alium quidem dicentem de Propatore, id est, de Bytho, esse id quod interrogetur; alium vero de Initio omnium, id est, de Unigenito; alterum vero de Patre omnium, hoc est, de Verbo: alter rursus dicet de uno Æone eorum qui sunt in Pleromate Æones, dici; alii autem de Christo, et alius de Salvatore. Qui autem illorum peritior est, posteaquam multum tacens protraxerit, de Horo ait dictum esse; alius vero eam quæ est intra Plenitudinem, Sophiam significari; alius vero illam quæ extra Plenitudinem est, Matrem annuntiari: et alius mundi fabricatorem Deum dicet. Tantæ sunt de uno inter eos diversitates, de iisdem Scripturis varias habentes sententias: et uno eodemque sermone lecto, universi obductis superciliis agitantes capita, valde quidem altissime se habere sermonem dicunt, non autem omnes capere magnitudinem ejus intellectus, qui ibidem continetur: et propter hoc, *silentium* maximam rem esse apud sapientes; oportere enim eam quæ sit sursum, Sigen, per id quod est apud *eos silentium* deformari. Sic autem abeunt omnes, quotquot sunt, tantas de uno gestantes sententias, in abscondito ferentes secum sua acumina. Cum igitur inter eos convenerit de iis quæ in Scripturis sunt prædicta, tunc et a nobis confutabuntur. Non enim bene sentientes, interim tamen semetipsos arguunt, de iisdem verbis non consentientes. Nos autem unum et solum verum Deum doctorem sequentes, et regulam veritatis habentes ejus sermones, de iisdem semper eadem dicimus omnes, unum Deum scientes, factorem hujus universitatis, qui Prophetas misit, qui eduxit populum de terra Ægypti, qui in novissimis temporibus Filium suum manifestavit, uti confunderet incredulos, et exquireret justitiæ fructum.

CAPUT XXXVI.

Ab uno et eodem Patre missos esse Prophetas, a quo et Christus missus est.

I. Quem enim non confutat Dominus, neque ab altero dicere Prophetas, nisi a Patre ejus, neque ab alia et alia substantia, sed ab uno et eodem Patre, neque alium aliquem ea quæ sunt in hoc mundo fecisse, nisi suum Patrem, docens sic : « Homo erat quidam paterfamilias, et plantavit » vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, » et ædificavit turrim, et locavit eam colonis, et peregre pro- » fectus est. Cum autem appropinquasset tempus fructuum, » misit servos suos ad colonos, ut acciperent de fructibus » suis. Et coloni apprehensis servis, unum quidem cecide- » runt, alium autem lapidaverunt, alium vero occiderunt. » Iterum misit alios servos plures prioribus : et fecerunt eis » similiter. Novissime autem misit eis filium suum unicum, » dicens : Forte verebuntur filium meum. Coloni vero cum » vidissent filium, dixerunt intra se : Hic est hæres, venite, » occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus : et ap- » prehensum eum ejecèrunt extra vineam, et occiderunt » eum. Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet co- » lonis illis ? Et dixerunt illi : Malos male perdet, et vineam » suam locabit aliis colonis, qui reddent ei fructus tempo- » ribus suis. Iterum dicit Dominus : Nunquam legistis : » Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est » in caput anguli ? A Domino factus est et est mirabilis in » oculis nostris. Propter quod dico vobis, quoniam aufere- » tur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus » ejus[1]. » Per quæ ostendit manifeste discipulis suis unum quidem et eumdem patremfamilias, hoc est, Deum Patrem,

[1] Matth. xxi, 33 et seqq.

qui per seipsum omnia facit : varios vero agricolas, quosdam quidem contumeliosos, et superbos, et infructuosos, et Domini interfectores; quosdam vero cum omni obedientia reddentes fructus temporibus suis : et eumdem hunc Patremfamilias, aliquando quidem mittentem servos, aliquando quidem Filium suum. A quo igitur Patre missus est Filius ad eos colonos qui interfecerunt eum, ab hoc et servi. Sed Filius quidem quasi a Patre veniens principali auctoritate, dicebat : « Ego autem dico vobis[1] : » servi autem quasi a Domino serviliter; et propter hoc dicebant : « Hæc dicit Dominus. »

II. Quem igitur illi Dominum præconabant increduli, hunc Christus tradidit his qui obediunt sibi : et qui priores, sive primum per servilem legisdationem, vocaverat Deus, hic posteriores, sive postea per adoptionem, assumpsit. Plantavit enim Deus vineam humani generis, primo quidem per plasmationem Adæ, et electionem patrum : tradidit autem colonis per eam legisdationem quæ est per Moysem : sepem autem circumdedit, id est, circumterminavit eorum culturam; et turrim ædificavit, Hierusalem elegit : et torcular fodit, receptaculum prophetici Spiritus præparavit : et sic Prophetas misit antequam esset in Babylonem transmigratio, et post transmigrationem alteros iterum, plures quam priores, expetentes fructus, dicentes illis : « Emundate vias vestras et mores vestros; judicium » justum judicate, et misericordiam et miserationem facite » unusquisque ad fratrem suum : in viduam, et orphanum, » et proselytum, et pauperem ne exercueritis potentatum, et » unusquisque malitiæ fratris sui ne recordemini in cordibus » vestris[2]; et jusjurandum falsum nolite diligere[3]. Lavamini, » mundi estote, auferte nequitias a cordibus vestris, discite

[1] Matth. v, 22, 28, etc. — [2] Jerem. vii, 3; Zach. vii, 9, 10. — [3] Zach. viii, 17.

» benefacere, exquirite judicium, defendite vim patientem, » judicate pupillo, et justificate viduam; et venite, disputemus, dicit Dominus[1]. » Et rursum : « Cohibe linguam » tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Diverte a » malo, et fac bonum; inquire pacem, et sequere eam[2]. » Hæc præconantes Prophetæ, fructum petebant justitiæ. Non credentibus autem illis, novissime misit Filium suum, misit Dominum nostrum Jesum Christum, quem cum occidissent mali coloni, projecerunt extra vineam. Quapropter tradidit eam Dominus Deus non jam circumvallatam, sed expansam in universum mundum aliis colonis, reddentibus fructus temporibus suis, turre electionis exaltata ubique et speciosa. Ubique enim præclara est Ecclesia, et ubique circumfossum torcular : ubique enim sunt qui suscipiunt Spiritum. Quoniam enim Filium Dei reprobaverunt, et projecerunt eum, cum eum occidissent, extra vineam, juste reprobavit eos Deus, et extra vineam existentibus Gentibus dedit fructificationem culturæ. Quemadmodum et Hieremias propheta ait : « Reprobavit Dominus, et abjecit gen- » tem facientem hæc : quoniam fecerunt filii Juda malignum » in conspectu meo, dicit Dominus[3]. » Similiter autem Hieremias : « Constitui super vos exploratores : Audite vocem » tubæ; et dixerunt : Non audiemus. Propter hoc audie- » runt gentes, et qui pascunt pecora in eis[4]. » Unus ergo et idem Deus Pater, qui plantavit vineam, qui populum eduxit, qui Prophetas misit, qui Filium suum misit, qui vineam dedit aliis colonis, his qui reddunt fructus in temporibus suis.

III. Et propter hoc dicebat Dominus discipulis suis, bonos operarios nos præparans : « Attendite vobis, et vigilate » semper in omni tempore, ne quando graventur corda ves-

[1] Esai. I, 16 et seqq. — [2] Psal. XXXIII, 14, 15. — [3] Jerem. VII, 29, 30. — [4] Jerem. VI, 17, 18.

» tra in crapula, et ebrietate, et cogitationibus sæcularibus,
» et repente assistat super vos dies illa. Superveniet enim
» quasi laqueus super omnes sedentes super faciem terræ[1].
» Sint igitur lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes, et
» vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum[2].
» Quomodo enim factum est in diebus Noe : manducabant
» et bibebant, et emebant et vendebant, nubebant et nu-
» bebantur, et non scierunt, quoadusque intravit Noe in
» arcam, et venit diluvium, et perdidit omnes. Et quem-
» admodum factum est in diebus Lot : manducabant et
» bibebant, emebant et vendebant, plantabant et ædifica-
» bant, quoadusque exivit Lot a Sodomis : pluit ignem de
» cœlo, et perdidit omnes : sic erit et in adventu Filii ho-
» minis[3]. Vigilate igitur, quoniam nescitis qua die Dominus
» vester veniet[4]. » Unum et eumdem annuntians Dominum,
qui in temporibus Noe propter inobedientiam hominum su-
perduxit diluvium, et temporibus Lot propter multitudinem
peccatorum Sodomitarum pluit ignem a cœlo, et in novis-
simo, propter hanc eamdem inobedientiam et similia pec-
cata, superducet diem judicii : in quo ait, tolerabilius So-
domis et Gomorrhis futurum, quam civitati et domui quæ
non receperit verbum Apostolorum ejus. « Et tu, Caphar-
» naüm, dicebat, numquid usque ad cœlum exaltaberis?
» Usque ad inferos descendes. Quoniam si in Sodomis factæ
» fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, mansissent usque
» in hodiernum diem. Verumtamen dico vobis, tolerabilius
» erit Sodomis in die judicii quam vobis[5]. »

IV. Unum et idem cum semper sit Verbum Dei; credentibus quidem ei fontem aquæ in vitam æternam dans, infructuosam vero fici arborem arefaciens statim : et temporibus Noe diluvium inducens, uti exstingueret pessimum genus

[1] Luc. XXI, 34, 35. — [2] Luc. XII, 35, 36. — [3] Luc. XVII, 26 et seqq. — [4] Matth. XXIV, 42. — [5] Matth. XI, 23, 24.

orum qui tunc erant homines, qui jam fructificare Deo non poterant, cum Angeli transgressores commixti fuissent is; et ut peccata eorum compesceret, servaret vero arcæ typum, Adæ plasmationem : et temporibus Lot qui pluit super Sodomam et Gomorrham ignem et sulphur de cœlo, « exemplum justi judicii Dei[1], » ut cognoscerent omnes, quoniam « omnis arbor quæ non facit fructum bonum, ex» cidetur, et in ignem mittetur[2] : » et in universali judicio tolerabilius Sodomis utens, quam his qui viderunt ejus virtutes quas faciebat, et non crediderunt in eum, neque receperunt ejus doctrinam. Quemadmodum enim majorem dedit gratiam per suum adventum his qui crediderunt ei, et faciunt ejus voluntatem; sic et majorem in judicio habere pœnam eos qui non crediderunt ei, significavit, justus existens super omnes æqualiter, et quibus plus dedit, plus ab eis exacturus : plus autem, non quod alterius Patris agnitionem ostendit, sicut per tot et tanta ostendimus; sed quia majorem donationem paternæ gratiæ per suum adventum effudit in humanum genus.

V. Si cui autem non sufficiunt quæ prædiximus, ad credendum ab uno et eodem Patre Prophetas missos esse, a quo et Dominus noster missus est, aperiens autem os cordis sui, et Christum Jesum Dominum magistrum invocans, audiat dicentem eum, « simile esse regnum cœlorum regi » nuptias facienti filio suo, et mittenti servos suos ad con» rogandum eos qui vocati fuerunt ad nuptias. » Et illis nolentibus obedire : « Iterum, ait, alios servos misit, di» cens : Dicite his qui sunt vocati : Venite, prandium meum » paravi, tauri mei et omnia saginata occisa; et omnia pa» rata sunt, venite ad nuptias. Illi autem abierunt negligen» tes eum, alii quidem in agrum suum, alii autem in ne» gotiationem suam; reliqui vero arripuerunt servos, et

[1] 2 Thess. I, 5. — [2] Matth. III, 10.

» alios quidem contumeliose tractaverunt, alios vero occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est, et mittens exercitus suos, perdidit interfectores illos, et civitatem eorum succendit, et dixit servis suis : Nuptiæ quidem paratæ sunt, vocati vero non fuerunt digni. Exite igitur ad exitus viarum, et quotquot inveneritis, congregate ad nuptias. Et exeuntes servi ejus congregaverunt omnes quotquot invenerunt, bonos et malos; et impletæ sunt nuptiæ a discumbentibus. Introiens autem rex videre recumbentes, vidit ibi hominem non vestitum indumentum nuptiarum, et dicit ei : Amice, quomodo venisti huc, non habens indumentum nuptiarum? Illo autem obmutescente, dixit rex ministris : Tollite eum a pedibus et manibus, et mittite eum in tenebras quæ sunt exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi[1]. » Manifeste enim et per hæc verba sua ostendit Dominus omnia, et quoniam unus Rex et Dominus omnium Pater, de quo et antea dixit : « Neque in Hierosolyma jures, quoniam civitas est magni Regis[2]. » Et quoniam ab initio nuptias præparavit Filio suo, et propter immensam benignitatem per servos suos vocabat priores ad convivium nuptiarum; et ubi illi noluerunt obedire, rursus alios servos misit convocans eos, neque sic obedierunt ei, sed et eos qui vocationem annuntiabant lapidaverunt et occiderunt : illos quidem perdidit mittens exercitus suos, et civitatem illorum succendit; et ex omnibus autem viis, id est, ex universis gentibus ad convivium nuptiarum Filii sui convocavit, quemadmodum et per Jeremiam ait : « Et misi ad vos servos meos Prophetas; dicere : Avertimini unusquisque a via nequissima, et meliora facite opera vestra[3]. » Et rursus per eumdem : « Et misi, inquit, ad vos omnes servos meos Prophetas inter diem et ante lu-

[1] Matth. XXII, 2 et seqq. — [2] Matth. V, 35. — [3] Jerem. XXXV, 15.

cem; et non obedierunt mihi, neque intenderunt aures » ipsorum. Et dices eis hunc sermonem : Hoc genus quod » non obedivit voci Domini, neque recepit disciplinam, de» fecit fides ex ore ipsorum[1]. » Qui igitur nos per Apostolos undique vocavit Dominus, hic per Prophetas vocabat eos qui olim fuerunt, quemadmodum ex sermonibus Domini ostenditur : et non ab alio quidem Prophetæ, ab alio autem Apostoli, etiamsi variis gentibus præconabant; sed ab uno et eodem, alii quidem Dominum annuntiabant, alii autem Patrem evangelizabant : et alii quidem adventum prænuntiabant Filii Dei, alii vero præsentem eum jam his qui longe erant, præconabant.

VI. Adhuc etiam manifestavit oportere nos cum vocatione et justitiæ operibus adornari, uti requiescat super nos Spiritus Dei. Hoc est enim indumentum nuptiarum, de quo et Apostolus ait : « Nolumus exspoliari, sed superindui, uti » absorbeatur mortale ab immortalitate[2]. » Qui autem vocati quidem sunt ad cœnam Dei, et propter malam suam conversationem non perceperunt Spiritum sanctum, « pro» jicientur, inquit, in tenebras exteriores[3]. » Manifeste ostendens, quod idem ipse Rex, qui convocaverit undique fideles ad nuptias Filii sui, et incorruptibile convivium donaverit, jubeat mitti in tenebras exteriores eum qui non habet indumentum nuptiarum, hoc est, contemptorem. Quemadmodum enim in priori Testamento « non in multis » illorum bene sensit[4]; » sic et hic « multi vocati, pauci » electi[5]. » Non alius igitur qui judicat Deus, et alius qui convocat ad salutem, Pater : nec alius qui æternum lumen donat, alius vero qui jubet in exteriores mitti tenebras eos qui non habent indumentum nuptiarum. Sed unus et idem Dominus Pater Domini nostri, a quo et Prophetæ missi sunt :

[1] Jerem. VII, 25 et seqq. — [2] 2 Cor. V, 4. — [3] Matth. XXII, 13. — [4] 1 Cor. X, 5. — [5] Matth. XXII, 14.

indignos quidem convocans propter immensam benignitatem; eos vero qui convocati sunt inspiciens si convenientes habeant indumentum, et congruens nuptiis Filii sui: quoniam nihil inconveniens neque malum placet ei. Quemadmodum Dominus dixit ei qui curatus fuerat: « Ecce, sanus » factus es: jam noli peccare, ne quid deterius tibi fiat[1]. » Qui enim est bonus, et justus, et mundus, et immaculatus, neque malum aliquid, neque injustum, neque abominandum in suo sponsali thalamo sustinebit. Est autem hic Pater Domini nostri, cujus providentia constant omnia, et jussu administrantur omnia: et gratuito quidem donat in quos oportet; secundum autem meritum dignissime distribuit adversus ingratos et non sentientes benignitatem ejus, justissimus retributor: et propterea ait: « Mittens exercitus suos perdidit interfectores illos, et civitatem illorum » incendit[2]. » Exercitum autem ejus inquit, quia omnes homines Dei: « Domini *enim* est terra, et plenitudo ejus, orbis » terrarum, et omnes qui habitant in ea[3]. » Et propter hoc Paulus Apostolus in ea epistola quæ est ad Romanos ait: « Non enim est potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt, a Deo » ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi damnationem sibi » acquirunt. Principes enim non sunt timori bono operi, » sed malo. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac. » et habebis laudem ex ea: Dei enim minister est tibi ad » bonum. Si autem male feceris, time. Non enim sine causa » gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei » qui malum agit. Ideoque subjecti estote, non tantum » propter iram, sed et propter conscientiam. Propter hoc » enim et tributa penditis: ministri enim Dei sunt in hoc » ipsum servientes[4]. » Sed et Dominus igitur et Apostoli

[1] Joan. v, 14. — [2] Matth. xxii, 7. — [3] Psal. xxiii, 1. — [4] Rom. xiii, 1 et seqq.

num Deum Patrem annuntiant eum, qui legisdationem fecit, qui misit Prophetas, qui omnia fecit; et propter hoc it : « Mittens exercitus suos : » quoniam omnis homo, secundum quod est homo, plasma ipsius est, licet ignoret Deum suum. Omnibus enim ut sint præstat, qui « solem suum oriri facit super malos et bonos, et pluit super justos et injustos[1]. »

VII. Et non solum per ea quæ prædicta sunt, sed et per parabolam duorum filiorum, quorum minor luxuriose consumpsit substantiam, vivens cum fornicariis, unum et eumdem docuit Patrem, majori quidem filio ne hædum quidem indulgentem, propter eum autem qui perierat, minorem filium suum, jubentem occidi vitulum saginatum, et primam ei stolam donantem[2]. Et per parabolam autem eorum operariorum qui variis temporibus in vineam mittebantur, unus et idem Dominus ostenditur : vocans alios quidem statim in initio mundi fabricationis; alios vero post hoc; et alios circa medietatem temporum; et alios progressis jam temporibus; item alios in fine[3] : ut sint quidem multi operarii secundum sua ipsorum tempora, unus autem qui convocat eos, paterfamilias. Etenim vinea una, quoniam et una justitia; et unus dispensator, unus enim Spiritus Dei, qui disponit omnia : similiter autem et merces una; omnes enim acceperunt singulos denarios, imaginem et inscriptionem Regis, agnitionem Filii Dei quæ est incorruptela. Et propter hoc a novissimis cœpit dare mercedem, quoniam in novissimis temporibus manifestatus Dominus, omnibus semetipsum repræsentavit.

VIII. Et Publicanus autem qui in oratione Pharisæum superavit[4], non quoniam alterum Patrem adorabat, testimonium accepit a Domino quod sit magis justificatus, sed

[1] Matth. v, 5. — [2] Luc. xv, 11 et seqq. — [3] Matth. xx, 1 et seqq. — [4] Luc. xviii, 10 et seqq.

quoniam cum magna humilitate, sine extollentia et sine jactantia, exomologesin eidem Deo faciebat. Et duorum autem filiorum parabola, eorum qui in vineam mittuntur, quorum alter quidem contradixit patri, et postea pœnitetur, quando nihil profuit ei pœnitentia; alter autem pollicitus est abire, statim promittens patri, non abiit autem[1] (quoniam *omnis homo mendax*[2]; et velle quidem in promptu adjacet, non invenit autem perficere[3]), unum et eumdem ostendit Patrem. Sed et arboris fici parabola, de qua Dominus ait : « Ecce, jam triennium venio quærens fructum » in hac arbore fici, et non invenio[4]; » per Prophetas adventum suum significans, per quos venit aliquoties exquirens justitiæ fructum ab eis, quem non invenit, aperte manifestavit, et quoniam excidetur arbor fici propter prædictam causam. Et sine parabola autem dicebat ad Hierusalem Dominus : « Hierusalem, Hierusalem, quæ interficis » Prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui colligere filios tuos, sicut gallina pullos suos sub alas, » et noluisti? Ecce, remittitur vobis domus vestra deserta[5]. » Quod enim per parabolam dictum fuerat : « Ecce, triennium » venio quærens fructum; » et manifeste iterum : « Quoties » volui colligere filios tuos; » si non hujus adventum qui per Prophetas est intelligamus, erit mendacium : siquidem semel, et tunc primum, venit ad eos. Sed quoniam et Patriarchas qui elegit, et nos, idem est Verbum Dei, et illos semper visitans per propheticum Spiritum, et nos qui undique convocati sumus, per suum adventum, super ea quæ dicta sunt, vere hæc dicebat : « Multi ab Oriente et Occasu » venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob, » in regno cœlorum. Filii autem Regni ibunt in tenebras » exteriores; illic erit fletus et stridor dentium[6]. » Si igitur

[1] Matth. XXI, 28 et seqq. — [2] Psal. CXV, 2. — [3] Rom. VII, 18. — [4] Luc. XIII, 6 et seqq. — [5] *Ibid.* 34 et seqq. Matth. XXIII, 37. — [6] Matth. VIII, 11, 12.

ii qui per præconium Apostolorum ejus ab Oriente et Occidente credentes in eum, cum Abraham, Isaac, et Jacob in regno cœlorum recumbent, participantes cum eis epulationem; unus et idem Deus ostenditur, qui elegit quidem Patriarchas, visitavit vero populum, Gentes vero advocavit.

CAPUT XXXVII.

Homines liberos esse, et eligendi facultate præditos; nec proinde quosdam natura bonos, quosdam natura malos esse.

I. Illud autem, quod ait : « Quoties volui colligere filios » tuos, et noluisti[1] ? » veterem legem libertatis hominis manifestavit : quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut et suam animam, ad utendum sententia Dei voluntarie, et non coactum a Deo. Vis enim a Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper. Et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus. Posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum et in Angelis (etenim Angeli rationabiles) : uti hi quidem qui obedissent, juste bonum sint possidentes, datum quidem a Deo, servatum vero ab ipsis. Qui autem non obedierunt, juste non invenientur cum bono, et meritam pœnam percipient : quoniam Deus quidem dedit benigne bonum, ipsi vero non custodierunt diligenter illud, neque pretiosum arbitrati sunt, sed supereminentiam bonitatis contempserunt. Abjicientes igitur bonum, et quasi respuentes, merito omnes justum judicium incident Dei, quemadmodum et Apostolus Paulus in ea epistola quæ est ad Romanos testificatus est, dicens ita : « An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, » et longanimitatis contemnis, ignorans quoniam bonitas » Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duri- » tiam tuam et cor impœnitens thesaurizas tibimetipsi iram

[1] Matth. XXIII, 37.

» in die iræ et revelationis justi judicii Dei. Gloria autem » et honor, inquit, omni operanti bonum[1]. » Dedit ergo Deus bonum, quemadmodum et Apostolus testificatur in eadem epistola : et qui operantur quidem illud, gloriam et honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possint non operari illud; hi autem qui illud non operantur, judicium justum excipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possint operari illud.

II. Si autem naturaliter quidam boni, quidam vero mali facti fuissent, neque hi laudabiles essent qui boni sunt, tales enim facti fuerant; sed neque illi vituperabiles, et ipsi enim tales fuerant instituti. Sed quoniam omnes ejusdem sunt naturæ, et potentes retinere et operari bonum, et potentes rursum amittere id, et non facere; juste etiam apud homines sensatos (quanto magis apud Deum) alii quidem laudantur, et dignum percipiunt testimonium electionis bonæ et perseverantiæ; alii vero accusantur, et dignum percipiunt damnum, eo quod justum et bonum reprobaverint. Et ideo Prophetæ quidem hortabantur homines justitiam agere, bonumque operari, sicut per multa ostendimus : quia in nobis sit hoc, et propter multam negligentiam in oblivionem inciderimus, et consilio egeamus bono; propter quob bonus Deus præstavit bonum consilium per Prophetas.

III. Propter hoc autem et Dominus : « Luceat lumen » vestrum, dicebat, coram hominibus, ut videant bona facta » vestra, et clarificent Patrem vestrum qui in cœlis est[2]. » Et : « Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in » crapula, et ebrietate, et sollicitudinibus sæcularibus[3]. » Et : « Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes, et » vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, » quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit et pulsave» rit, aperiant ei. Beatus servus ille quem, cum venerit

[1] Rom. II, 4 et seqq. — [2] Matth. v, 16. — [3] Luc. XXI, 34.

» dominus ejus, invenerit ita facientem[1]. » Et iterum : « Servus qui scit voluntatem domini sui, et non facit, vapulabit multas[2]. » Et : « Quid mihi dicitis, Domine, Domine, » et non facitis quæ dico[3]? » Et iterum : « Si autem dicat » servus in corde suo : Tardat dominus meus; et incipiat » cædere conservos, et manducare, et bibere, et inebriari; » veniet dominus ejus in die qua non sperat, et dividet eum, » et partem ejus cum hypocritis ponet[4]. » Et omnia talia, quæ liberum et suæ potestatis ostendunt hominem, et quia consilio instruat Deus, adhortans nos ad subjectionem sibi, et avertens ab incredulitate, non tamen de violentia cogens.

IV. Etenim ipsum Evangelium si noluerit quis sequi, licet quidem ei, non tamen expedit. Inobedientia enim Dei, et amissio boni est quidem in hominis potestate; læsionem autem et damnum non quamlibet infert. Et propter hoc Paulus ait : « Omnia licent, sed non omnia expediunt[5]; » et libertatem referens hominis, quapropter et *omnia licent*, non cogente eum Deo; et id, *non expedit*, ostendens, ut non ad velamen malitiæ abutamur libertate : non enim hoc expedit. Et iterum ait : « Loquimini veritatem unusquisque » cum proximo suo[6]. » Et : « Omnis sermo malus de ore » vestro non exeat, aut turpitudo, aut vaniloquium, aut » scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum » actio[7]. » Et : « Eratis enim aliquando tenebræ, nunc au» tem lumen in Domino : quasi filii lucis honeste ambu» late[8] : non in comessationibus et ebrietatibus, non in » cubilibus et in libidinibus, non in ira et zelo[9]. Et hæc » quidam fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis in no» mine Domini nostri[10]. » Si igitur non in nobis esset facere hæc, aut non facere, quam causam habebat Apostolus, et

[1] Luc. XII, 35, 36. — [2] *Ibid.* 47. — [3] Luc. VI, 46. — [4] Luc. XII, 45, 46. — [5] 1 Cor. VI, 12, et X, 23. — [6] Ephes. IV, 25. — [7] *Ibid.* 29, et V, 4. — [8] *Ibid.* 8. — [9] Rom. XIII, 13. — [10] 1 Cor. VI, 11.

multo prius ipse Dominus, consilium dare, quædam quidem facere, a quibusdam vero abstinere? Sed quoniam liberæ sententiæ ab initio est homo, et liberæ sententiæ est Deus, cui ad similitudinem factus est; semper consilium datur ei, continere bonum, quod perficitur ex ea quæ est ad Deum obedientia.

V. Et non tantum in operibus, sed etiam in fide liberum et suæ potestatis arbitrium hominis servavit Dominus, dicens: « Secundum fidem tuam fiat tibi[1]; » propriam fidem hominis ostendens, quoniam propriam suam habet sententiam. Et iterum: « Omnia possibilia sunt credenti[2]; » et: « Vade, sicut credidisti fiat tibi[3]. » Et omnia talia suæ potestatis secundum fidem ostendunt hominem. Et propter hoc, is « qui credit ei habet vitam æternam: qui autem » non credit Filio, non habet vitam æternam, sed ira Dei » manebit super ipsum[4]. » Secundum hanc igitur rationem, et suum proprium bonum ostendens Dominus, et sui arbitrii ac suæ potestatis hominem significans, dicebat ad Hierusalem: « Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina pullos suos sub ascellas, et noluisti? » Quapropter relinquetur vobis domus vestra deserta[5]. »

VI. Qui autem his contraria dicunt, ipsi impotentem introducunt Dominum, scilicet quasi non potuerit perficere hoc quod voluerit; aut rursum ignorantem natura choicos, ut ipsi dicunt, et eos qui non possunt accipere ejus incorruptelam. Sed oportebat, inquit, eum neque Angelos tales fecisse ut possent transgredi, neque homines qui statim ingrati existerent in eum; quoniam rationabiles, et examinatores, et judiciales facti sunt, et non (quemadmodum irrationabilia, sive inanimalia, quæ sua voluntate nihil possunt facere, sed cum necessitate et vi ad bonum trahuntur,

[1] Matth. IX, 29. — [2] Marc. IX, 22. — [3] Matth. VIII, 13. — [4] Joan. III, 36. — [5] Matth. XXIII, 37, 38.

quibus unus sensus et unus mos) inflexibiles, et sine dicio, qui nihil aliud esse possunt præterquam quod facti nt. Sic autem nec suave esset eis quod est bonum, neque etiosa communicatio Dei, neque magnopere appetendum onum, quod sine suo proprio motu, et cura, et studio rovenisset, sed ultro et otiose insitum : ita ut essent nullus momenti boni, eo quod natura magis quam voluntate ales existerent, et ultroneum haberent bonum, sed non ecundum electionem; et propter hoc nec hoc ipsum intelligentes, quoniam pulchrum sit quod bonum, neque fruentes eo. Quæ enim fruitio boni apud eos qui ignorant? Quæ autem gloria his qui non studuerunt illud? Quæ autem corona his qui non eam, ut victores in certamine, consecuti sunt?

VII. Et propter hoc Dominus violentum dixit regnum cœlorum : « et qui vim faciunt, inquit, diripiunt illud [1]; » hoc est, qui cum vi et agone vigilantes instanter, diripiunt illud. Propter hoc autem et Paulus Apostolus ait Corinthiis : « Nescitis, quoniam hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium. Sic currite, ut comprehendatis. Omnis autem qui agonizatur, in omnibus continens est : illi quidem ut corruptibilem accipiant coronam, nos autem incorruptibilem. Ego autem sic curro, non in incertum : sic pugno, non quasi aerem cædens; sed lividum facio corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte, aliis prædicans, ipse reprobus efficiar [2]. » Bonus igitur agonista ad incorruptelæ agonem adhortatur nos, uti coronemur, et pretiosam arbitremur coronam, videlicet quæ per agonem nobis acquiritur, sed non ultro coalitam. Et quanto per agonem nobis advenit, tanto est pretiosior : quanto autem pretiosior, tanto eam semper diligamus. Sed neque similiter diliguntur ea quæ ultro adveniunt, quam

[1] Matth. xi, 12. — [2] 1 Cor. ix, 24 et seqq.

illa quæ cum multa sollicitudine adinveniuntur. Quoniam igitur pro nobis erat plus diligere Deum, cum labore hoc nobis adinvenire Dominus docuit, et Apostolus tradidit. Et alias autem esset videlicet nostrum insensatum bonum, quod esset inexercitatum. Sed et videre non in tantum nobis esset desiderabile, nisi cognovissemus quantum esset malum non videre : et bene valere autem male valentis experientia honorabilius efficit; et lucem, tenebrarum comparatio; et vitam, mortis. Sic et cœleste regnum honorabilius est his qui cognoverunt terrenum. Quanto autem honorabilius, tanto magis diligimus illud : et si plus illud dilexerimus, clariores erimus apud Deum. Pro nobis igitur omnia hæc sustinuit Dominus, uti per omnia eruditi, in omnibus in futurum simus cauti, et perseveremus in omni ejus dilectione, rationabiliter edocti diligere Deum : Deo quidem magnanimitatem præstante in apostasia hominis; homine autem erudito per eam, quemadmodum et Propheta ait : « Emendabit te abscessio tua [1]; » præfiniente Deo omnia ad hominis perfectionem, et ad efficaciam, et manifestationem dispositionum : uti et bonitas ostendatur, et justitia perficiatur, et Ecclesia ad figuram imaginis Filii ejus coaptetur, et tandem aliquando maturus fiat homo, in tantis maturescens ad videndum et capiendum Deum.

CAPUT XXXVIII.

Cur non ab initio perfectus factus est homo?

I. Si hoc dicat aliquis : Quid enim? non poterat ab initio Deus perfectum fecisse hominem? Sciat, quoniam Deus quidem cum semper sit idem, et innatus, quantum ad ipsum est, omnia possibilia ei. Quæ autem facta sunt ab eo, secundum quod postea facturæ initium habuerunt, secun-

[1] Jerem. II, 19.

dum hoc et minora esse oportuit eo qui se fecerit : nec enim poterant infecta esse, quæ nuper facta sunt. Propter quod autem non sunt infecta, propter hoc et (ideo) deficiunt a perfecto. Secundum enim quod sunt posteriora, secundum hoc et infantilia; et secundum quod infantilia, secundum hoc et insueta, et inexercitata ad perfectam disciplinam. Quemadmodum enim mater potest quidem præstare perfectam escam infanti, ille autem adhuc non potest robustiorem se percipere escam : sic et Deus ipse quidem potens fuit homini præstare perfectionem ab initio, homo autem impotens percipere illam : infans enim fuit. Et propter hoc Dominus noster in novissimis temporibus, recapitulans in semetipso omnia, venit ad nos, non quomodo ipse poterat, sed quomodo illum nos videre poteramus. Ipse enim in sua inenarrabili gloria ad nos venire poterat : sed nos magnitudinem gloriæ ipsius portare non poteramus. Et propter hoc, quasi infantibus, ille qui erat panis perfectus Patris, lac nobis semetipsum præstavit, quod erat secundum hominem ejus adventus : ut quasi a mammilla carnis ejus enutriti, et per talem lactationem assueti manducare et bibere Verbum Dei, et eum qui est immortalitatis panis, qui est Spiritus Patris, in nobis ipsis continere possimus.

II. Et propter hoc Paulus Corinthiis ait : « Lac vobis po» tum dedi, non escam : nondum enim poteratis escam » percipere [1] : » id est, eum quidem adventum Domini qui secundum hominem, didicistis; nondum autem Patris Spiritus requiescit super vos, propter vestram infirmitatem. « Ubi enim zelus, et discordia, ait, in vobis, et dissensiones, » nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis [2] ? » Hoc est, quoniam nondum Spiritus Patris erat in ipsis, propter imperfectionem eorum, et infirmitatem conversationis. Quemadmodum igitur Apostolus poterat dare escam

[1] 1 Cor. III, 2. — [2] *Ibid.* 3.

(quibuscumque enim imponebant Apostoli manus, accipiebant Spiritum sanctum, qui est esca vitæ[1]); illi autem non poterant accipere illud, quoniam infirmum adhuc et inexercitabilem sensum erga Deum conversationis habebant: sic et initio Deus quidem potens fuit dare perfectionem homini; ille autem nunc nuper factus non poterat illud accipere, vel accipiens capere, vel capiens continere. Et propter hoc coinfantiatum est homini Verbum Dei, cum esset perfectus; non propter se, sed propter hominis infantiam sic capax effectus, quemadmodum homo illum capere potuit. Non igitur erga Deum impossibile et indigens, sed circa eum qui nunc nuper factus est homo; quoniam non infectus erat.

III. Erga Deum autem virtus simul, et sapientia, et bonitas ostenditur : virtus quidem et bonitas, in eo quod ea quæ nondum erant voluntarie constituerit et fecerit; sapientia vero, in eo quod apta et consonantia quæ sunt fecerit. Quædam autem propter immensam ejus benignitatem augmentum accipientia, et in multum temporis perseverantia, infecti gloriam referunt, Deo sine invidia donante quod bonum est. Secundum enim id quod facta sunt, non sunt infecta : secundum id vero quod perseverant longis æonibus, virtutem infecti assument, Deo gratuito donante eis sempiternam perseverationem. Et sic principalitatem quidem habebit in omnibus Deus, quoniam et solus infectus, et prior omnium, et omnibus ut sint ipse est causa : reliqua vero omnia in subjectione manent Dei. Subjectio autem Dei, incorruptelæ perseverantia est : incorruptela autem, gloria infecti. Per hanc igitur ordinationem, et hujusmodi convenientiam, et tali ductu, factus et plasmatus homo secundum imaginem et similitudinem constituitur infecti Dei : Patre quidem bene sentiente, et ju-

[1] Act. VIII, 17.

bente; Filio vero ministrante, et formante; Spiritu vero nutriente, et augente; homine vero paulatim proficiente, et perveniente ad perfectum, id est, proximum infecto fieri. Perfectus enim est infectus : hic autem est Deus. Oportuerat autem hominem primo fieri, et factum augeri, et auctum corroborari, et corroboratum multiplicari, et multiplicatum convalescere, convalescentem vero glorificari, et glorificatum videre suum Dominum. Deus enim est qui habet videri : visio autem Dei efficax est incorruptelæ : « incorruptela vero proximum facit esse Deo [1]. »

IV. Irrationabiles igitur omni modo, qui non exspectant tempus augmenti, et suæ naturæ infirmitatem adscribunt Deo. Neque Deum neque semetipsos scientes, insatiabiles et ingrati, nolentes primo esse hoc quod et facti sunt, homines passionum capaces; sed supergredientes legem humani generis, et antequam fiant homines jam volunt similes esse factori Deo, et nullam esse differentiam infecti Dei et nunc facti hominis, qui plus irrationales sunt quam muta animalia. Hæc enim non imputant Deo, quoniam non homines facit ea; sed unumquodque eo quod factum est, quoniam factum est, gratias agit. Non enim imputamus ei, quoniam non ab initio dii facti sumus, sed primo quidem homines, tunc demum dii : quamvis Deus secundum simplicitatem bonitatis suæ hoc fecerit, ne quis eum putet invidiosum, aut impræstantem. « Ego, inquit, dixi, Dii estis, » et filii Excelsi omnes [2]. » Nobis autem potestatem divinitatis bajulare non sustinentibus : « Vos autem, inquit, sicut » homines moriemini; » utraque referens, et illud quod est benignum suæ donationis, et infirmitatem nostram, et quod essemus nostræ potestatis. Secundum enim benignitatem suam bene dedit bonum, et similes sibi suæ potestatis homines fecit : secundum autem providentiam scivit homi-

[1] Sap. vi, 19. 20. — [2] Psal. LXXXI, 6, 7.

num infirmitatem, et quæ ventura essent ex ea; secundum autem dilectionem et virtutem vincet factæ naturæ substantiam. Oportuerat autem primo naturam apparere, post deinde vinci et absorbi mortale ab immortalitate, et corruptibile ab incorruptibilitate, et fieri hominem secundum imaginem et similitudinem Dei, agnitione accepta boni et mali.

CAPUT XXXIX.

Bonum a malo discernendi facultatem homini inditam esse, ut sua voluntate et electione, nulla vi coactus, Dei mandata peragat, quo ab eo perficiatur, malaque rebellibus parata a se avertat.

I. Agnitionem autem accepit homo boni et mali. Bonum est autem obedire Deo, et credere ei, et custodire ejus præceptum; et hoc est vita hominis : quemadmodum non obedire Deo, malum; et hoc est mors ejus. Magnanimitatem igitur præstante Deo, cognovit homo et bonum obedientiæ, et malum inobedientiæ : uti oculus mentis utrorumque accipiens experimentum, electionem meliorum cum judicio faciat, et nunquam segnis neque negligens præcepti fiat Dei : et id quod aufert ab eo vitam, id est, non obedire Deo, experimento discens quoniam malum est, neque tentet quidem illud unquam; quod autem conservatorium vitæ ejus est, obedire Deo, sciens quoniam bonum est, cum omni intentione diligenter custodiat. Propter hoc etiam duplices habuit sensus, utrorumque agnitionem habentes, ut electionem meliorum cum disciplina faciat. Disciplinam autem boni quemadmodum habere potuisset, ignorans quod est contrarium? Firmior est enim et indubitata subjacentium apprehensio, quam ea quæ est ex suspicione conjectura. Quemadmodum enim lingua per gustum accipit experimentum dulcis et amari, et oculus per visionem discernit quod est nigrum ab albo, et auris per auditum differentias

...e; Spiritu vero proficiente, ...lo fieri. 543

CONTRA ...

...mens pe...

...ens, fir...

... ino...

... qu...

X

...PI.

...al, ne ...

... Dei. Si autem utror...

... duplices sensus cognitionis quis defuga...

semetipsum occidit hominem.

II. Quemadmodum igitur erit Deus qui nondum factus est homo? quomodo autem perfectus, nuper effectus? quomodo autem immortalis, qui in natura mortali non obedivit factori? Oportet enim te primo quidem ordinem hominis custodire, tunc deinde participari gloriæ Dei. Non enim tu Deum facis, sed Deus te facit. Si ergo opera Dei es, manum artificis tui exspecta, opportune omnia facientem: opportune autem, quantum ad te attinet, qui efficeris. Præsta autem ei cor tuum molle et tractabile, et custodi figuram qua te figuravit artifex, habens in temetipso humorem, ne induratus amittas vestigia digitorum ejus. Custodiens autem compaginationem, ascendes ad perfectum: ab artificio enim Dei absconditur, quod est in te, lutum. Fabricavit substantiam in te manus ejus: liniet te ab intus et a foris auro puro et argento, et in tantum ornabit te, ut et ipse Rex concupiscat speciem tuam. Si vero statim obduratus respuas artem ejus, et ingratus existas in eum, quoniam homo factus es; ingratus Deo factus, simul et artem ejus et vitam amisisti. Facere enim proprium est benignitatis Dei: fieri autem proprium est hominis naturæ. Si igitur tradideris ei quod est tuum, id est, fidem in eum et subjectionem; recipies ejus artem, et eris perfectum opus Dei.

III. Si autem non credideris ei, et fugeris manus ejus, erit causa imperfectionis in te qui non obedisti, sed non in

idem Pater manifestissime ostenditur, « faciens pacem, et » condens mala[1], » præparans utrisque quæ sunt apta; quemadmodum et unus judex utrosque in aptum mittens locum : quemadmodum in zizaniorum et in tritici parabola manifestavit Dominus, dicens : « Quemadmodum colligun- » tur zizania, et igni comburuntur; sic erit in consumma- » tione sæculi. Mittet Filius hominis Angelos suos, et colli- » gent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt » iniquitatem, et mittent eos in clibanum ignis : illic erit » fletus et stridor dentium. Tunc justi fulgebunt sicut sol » in regno Patris ipsorum[2]. » Qui ergo regnum præparavit justis Pater, in quod assumpsit Filius ejus dignos; hic et caminum ignis præparavit, in quem dignos mittent ii qui a Filio hominis missi sunt, Angeli, secundum jussum Dei.

III. Hic enim in agro suo bonum semen seminavit : « Ager » autem, inquit, sæculum est[3]. Cum autem dormirent homi- » nes, venit inimicus, et superseminavit zizania inter fru- » mentum, et abiit[4]. » Ex tunc enim apostata est Angelus hic et inimicus, ex quo zelavit plasma Dei, et inimicum illum Deo facere aggressus est. Quapropter et Deus eum quidem qui a semetipso zizania absconse seminavit, id est, transgressionem quam ipse intulit, separavit a sua conversatione : eum autem qui negligenter quidem, sed male accepit inobedientiam, hominem miseratus est; et retorsit inimicitiam, per quam inimicum Deo facere voluit, in ipsum inimicitiarum auctorem : auferens quidem suam, quæ erat adversus hominem, inimicitiam; retorquens autem illam, et remittens illam in Serpentem. Quemadmodum et Scriptura ait dixisse Serpenti Deum : « Et inimicitiam ponam inter te et inter mu- » lierem, et inter semen tuum et inter semen mulieris. Ipse » tuum calcabit caput, et tu observabis calcaneum ejus[5]. »

[1] Esai. XLV, 7. — [2] Matth. XIII, 40 et seqq. — [3] *Ibid.* 38. — [4] *Ibid.* 25. — [5] Gen. III, 15.

Et inimicitiam hanc Dominus in semetipsum recapitulavit, de muliere factus homo, et calcans ejus caput : quemadmodum in eo qui ante hunc est libro ostendimus.

CAPUT XLI.

Qui Deo non credunt, ipsique non obediunt, Angeli et filii diaboli sunt; non natura quidem, sed imitatione. Epilogus hujus libri, et scopus sequentis.

I. Quoniam Angelos quosdam dixit diaboli, quibus æternus ignis præparatus est, et rursus in zizaniis ait : « Zizania » sunt filii maligni[1]; » necessarium est dicere, quoniam omnes qui sunt abscessionis, adscripsit illi qui princeps est hujus transgressionis. Sed non ille quidem natura aut Angelos aut homines fecit : nihil enim in totum diabolus invenitur fecisse, videlicet cum et ipse creatura sit Dei, quemadmodum et reliqui Angeli; omnia enim fecit Deus, quemadmodum et David ait : « Quoniam ipse dixit, et facta sunt; » ipse præcepit, et creata sunt[2]. »

II. Cum igitur a Deo omnia facta sunt, et diabolus sibimetipsi et reliquis factus est abscessionis causa; juste Scriptura eos qui in abscessione perseverant, semper filios diaboli, et Angelos dixit maligni. Filius enim, quemadmodum et quidam ante nos dixit, dupliciter intelligitur : alius quidem secundum naturam, eo quod natus sit filius; alius autem secundum id quod factus est, reputatur filius : licet sit differentia inter natum et factum; quoniam ille quidem ex eo natus est, ille autem ab ipso factus est, sive secundum conditionem, sive secundum doctrinæ magisterium. Qui enim ab aliquo edoctus est, verbo, filius docentis dicitur, et ille ejus pater. Secundum igitur naturam, quæ est secundum conditionem, ut ita dicam, omnes filii Dei sumus, propter quod a

[1] Matth. XIII, 38. — [2] Psal. CXLVIII, 5.

Deo omnes facti sumus. Secundum autem dicto audientiam et doctrinam, non omnes filii Dei sunt, sed qui credunt ei, et faciunt ejus voluntatem. Qui autem non credunt, et non faciunt ejus voluntatem, filii et Angeli sunt diaboli. Quoniam autem ita se habet hoc, in Esaia dixit : « Filios genui » et exaltavi, ipsi autem me spreverunt[1]. » Et iterum quæ dicit filios alienos eos ita : « Filii alieni mentiti sunt mihi[2]. » Secundum enim naturam filii sunt, propter hoc quod ab eo facti sunt; secundum autem opera non sunt filii.

III. Quemadmodum enim in hominibus indicto audientes patribus filii abdicati, natura quidem filii eorum sunt, lege vero alienati sunt; non enim hæredes fiunt naturalium parentum : eodem modo apud Deum, qui non obediunt ei, abdicati ab eo, desierunt filii ejus esse. Unde nec hæreditatem ejus percipere possunt; quemadmodum David ait : « Alienati sunt peccatores ab utero : ira eis secundum similitudinem serpentis[3].» Et propter hoc Dominus quos sciebat hominum esse progeniem, dixit sic progeniem viperarum[4], secundum similitudinem horum animalium in varietate ambulantes, et lædentes reliquos. « Attendite, inquit, a fermento Pharisæorum et Sadducæorum[5]. » Sed et de Herode dicens : « Dicite, inquit, vulpi huic[6]; » nequam astutiam ejus et dolum significans. Quapropter David propheta ait : « Homo in honore positus, assimilatus est jumentis[7]. » Et iterum Jeremias : « Equi furentes circa fœminas facti sunt, » unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat[8]. » Et Esaias in Judæa præconans, et cum Israel disputans, principes Sodomorum, et populum Gomorrhæ dicebat eos[9] : similem Sodomitis transgressionem, et eadem quæ illis fuerunt, peccata esse apud eos significans, propter similem

[1] Esai. I, 2. — [2] Psal. XVII, 46. — [3] Psal. LVII, 4, 5. — [4] Matth. XXIII, 33. — [5] Matth. XVI, 6. — [6] Luc. XIII, 32. — [7] Psal. XLVIII, 21. — [8] Jerem. V, 8. — [9] Esai. I, 10.

operationem eodem vocabulo vocans eos. Et quia non natura essent sic facti a Deo, sed qui possent et juste agere, idem dicebat, consilium eis dans bonum : « Lavamini, » mundi estote, auferte nequitias ab animabus vestris ante » oculos meos, quiescite ab iniquitatibus vestris[1]. » Scilicet, quoniam idem ipsi cum transgrederentur et peccarent, eamdem quam Sodomitæ perceperunt objurgationem. Cum enim converterentur, et pœnitentiam agerent, et quiescerent a malitia, filii poterant esse Dei, et hæreditatem consequi incorruptelæ, quæ ab eo præstatur. Secundum hanc igitur rationem, Angelos diaboli et filios dixit maligni, qui diabolo credunt et ea quæ sunt ejus agunt. Qui quidem ab initio omnes ab uno et eodem Deo facti sunt : verum quando credunt, et subjecti esse Deo perseverant, et doctrinam ejus custodiunt, filii sunt Dei; cum autem abscesserunt, et transgressi fuerint, diabolo adscribuntur principi, ei qui primo sibi, tunc et reliquis causa abscessionis sit factus.

IV. Quoniam autem multi quidem Domini sermones, unum autem et eumdem omnes annuntiant Patrem factorem mundi hujus, oportebat et nos propter eos qui in multis erroribus continentur, per multa confutare; si quomodo possent, per multa confutati, et ad veritatem converti et salvari. Necessarium est autem conscriptioni huic, in sequenti post Domini sermones subjungere Pauli quoque doctrinam, et examinare sententiam ejus, et Apostolum exponere, et quæcumque ab hæreticis, in totum non intelligentibus quæ a Paulo dicta sunt, alias acceperunt interpretationes, explanare, et dementiam insensationis eorum ostendere; et ab eodem Paulo, ex quo nobis quæstiones inferunt, manifestare, illos quidem mendaces, Apostolum vero prædicatorem esse veritatis, et omnia consonantia ve-

[1] Esai. I, 16.

ritatis præconio docuisse, unum Deum Patrem eum qui locutus sit ad Abraham, qui legislationem fecerit, qui Prophetas præmiserit, qui novissimis temporibus Filium suum misit, et salutem suo plasmati donat, quod est carnis substantia. Reliquos igitur sermones Domini, quos quidem non per parabolas, sed simpliciter ipsis dictionibus docuit de Patre, et expositionem epistolarum beati Apostoli in altero libro disponentes, integrum tibi opus exprobrationis et eversionis falso cognominatæ agnitionis, præstante Deo, præbebimus; et nos ipsos et te ad contradictionem omnium hæreticorum in quinque exercentes libris.

INDEX

TOMI SECUNDI.

FINIS INDICIS.